

M. T. CICERONIS
ORATIONVM VOLVMINA TRIA.

Post postremam Naugerianam, & Victorianam, correctionem

EMENDATA A IOAN. STVRMIO

Omnia & paginarum & uersuum numero atq; longitudine Aldinis respondent.



poribus, &
rum institutu
tione sese Ci
cæterorum si
do esse malue
nomē est, &
phia Socratici, aut Epicurei, sic
Ciceroniani nominati sunt, im
uæ est in rebus ut dixi, sed quæ
oquentiæ. Itaq; nostris tempo
adhuc adolescentulo, in diuers



Cum gratia & priuilegio Cæsario ad Septennium

ARGENTORATI

ANNO XL.

BIBL. ACADEM. DORPATENS.

4/6989

Be. 431.

A. B. v. H. 1749

R
1718

4-II A
6989.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM GVILIELMVM, DVCEM Geldrorum, Iuliacensium, Cliucnsium, Montensiũ, COMITEM Zutphaniæ, Marchiæ, & Rauenspurgi: DOMINO in Rauenstein Ioannis Sturmij Præfatio.

VIt Guilielme dux illustrissime, inuidiosum nostris tẽporibus, & adhuc est, eorum institutum: qui imitatione sese Ciceronis, quàm cæterorum similes in dicendo esse maluerunt. Inuentũ nomẽ est, & quemadmodũ in Philosophia Socratici, aut Epicurei, sic in exercitatione dicendi, Ciceroniani nominati sunt, imitatione ueritatis, non quæ est in rebus ut dixi, sed quæ in oratione est perfectæ eloquentiæ. Itaq; nostris temporibus Guilielme dux me adhuc adulescentulo, in diuersas partes discentium studia, non iudicio, sed eorum quos sequebantur amore, sunt diuisa. Id factum est Erasmi Roterodami, & Christophori Longolij, dissidentibus inter se de perfecto dicendi genere opinionibus. Scio te quamdiu uixeret, Erasmi perstudiosum fuisse, eiusq; mortui nondũ deposuisse credo memoriam. Et Christophorus Longolius multos & egregios amicos in Italia Galliaq; habuit: sed Erasmi causam maior plurimorum hominum applausus comprobauit. Ac tametsi difficile est, ita de utriusq; sententiam suam explicare, ut alterius partis in-

uidia tollatur, & alterius nõ læsa uideatur authoritas: tamen quid de Erasmo Longolioq; sentiam, & quid de uniuerso imitandi genere statuã: breuiter in hoc tẽpore tibi, nostrisq; hominibus exponam. De Erasmo igitur sic statuo, amisisse nos eo die maximũ uirũ, quoipse hac luce est priuatus. Fuit in eo incredibilis memoria: plurimarũ & maximarũ rerum doctrina: orationis mirabilis facultas & copia. Nam quid ego de diligentia in elaborando, constantia in perseuerando, prudentia in iudicando, dicam? Quis enim est qui plura scripserit, quæ quidẽ laudem doctorum mereantur? quis ita studia sua perpetuauit: qui inde à pueritia, usq; ad occasum uitæ extremũq; spiritum nunquã distrahi se à sua bibliotheca suoq; otio est passus: etiam tũ cum sæpe maxima præmia, summiq; honores proponerentur. Quis uero illo tẽpore quo ille scribere cœpit, acutius iudicauit, quis etiam copiosius, & politius scripsit, cuius exemplo atq; authoritate non solum Germania, sed etiam Gallia Italiaq;, partim excitata, partim confirmata, multos habuit & patronos & studiosos literarum. Sed neq; Longolius, neq; ante Longolium Bembus, & in eadẽ ratione ut opinor hoc tẽpore maior Bembus, ad hanc laudem peruenissent: si his, quæ in Erasmo admiramur, fuissent destituti: imo etiam si in his quoq; non illi magni atq; egregij extitissent. Sadoletum quis est, qui existimet, hæc facere posse, quæ facit? absq; egregio ingenio, diuturna consuetudine: singulari doctrina. nisi ad literas natus, nisi in Philosophia et eruditus, & edoctus esset, tot tantasq; res eiusmodi oratione qua ipse utitur, non posit explicare. Iulij Camilli non tanta taliaq; ornamenta haberet oratio, nisi eius sententiæ Aristotelicis & Platonicis essent tinctæ præceptis. Quid ergo est? unde illa doctissimorum hominũ dissensio: aut quid utraq; pars secuta, suoq; contenta iudicio, cõtempsit alteram? Exponã equidẽ quod sentio Gulielme dux, nulla arrogantia, sed partim ut nostros ad meliorẽ rationẽ adhorter, partim ut recte atq; præclare de utroq; sentiamus: ne dum alterius studiosi sumus: infideles alteri & iniqui esse uideamur. Erasmus quoniam Longolium & qui ab illo stabant: putabat nihil probare quod Ciceronis non esset, idq; uerbis nõ ratione æstimare: nimis solicitã ac diuturnam curam improbauit, & cæterorũ scriptorũ qui tum erant, quiq; superiore ætate floruerunt, et qui post Ciceronem aliquid ediderunt, opinionem atq; existimationẽ, quæ laborare & decrescere his studijs nouaq; laude uidebatur, conatus est retinere: & ab hac solicitudine quos potuit est dehortatus. Hi uero quoniã suã rationem, mortuis nõ obstare & uiuis utilem fore uidebant: & quia uiderunt, Erasmum si unum potius qui princeps in lingua latina esset, imitari uoluisset, cæteros uero cognoscere: ornatius potuisse scribere: & quia nihil melius perfectiusq; Cicerone inuenerunt, eam quam ingressi sunt uiam crediderunt esse meliorem. Quamobrẽ alteri non placebat immodica imitationis atq; ingenij intentio, alteri remissionẽ cogitationis ac styli non probabant: ita ut altera pars summam elegantiam in dicendo uoluisse, altera ut ne quid ad summam laudem deesset, elaborasse uideatur. Hos authores secutus est alius ingeniorum grex: quorũ pars una dum per omnia legendo oberrat, nullumq; quẽ sequatur habet propositum: omnes cognoscendo, neminem imitando: dum libertatem iudicij tueri studet, id quod conseruare uult, penitus amittit, ut nullo iudicio

prædita uideatur. Altera in Ciceronianorum se numero poni cupit: & præter uerborum uolubilitatem, et sonũ nihil in dicendo admirabile esse arbitratur. Quo fit ut alteri impuri sint & inconcinni: alteri inflati & tumidi: utriq; magnas in literarum studia calamitates important. Id fit propterea quod eorum quorũ causam probant, rationem non tenent. Neq; enim Erasmus negauit Ciceronem cæteris anteponi debere, sed seruitutem à doctorum ingenijs depellere conatus est, & iudicium prudentiamq; requisiuit. neq; Longolius cæteros scriptores contemnendos existimabat: sed delectum habendum censuit: & in optimis erudiendũ ingeniũ statuit. In hoc uero solũ dissidebant, quod alter non satis, alter nimium alteri in eo quem uterq; probabat, operæ insumpsisse uidebatur. Sed certe solicitudine opus est: egregium exemplum ei eloquentiæ necessarium est, qui ad summa studet peruenire, præsertim in aliena & ablata à populo lingua. Magna enim res est & ardua Guilielme Dux, dicendi studium, atq; usq; adeo magna est, ut facilius esse putem unum hominem & medicum & iurisperitum & mathematicum, quàm eloquentem fieri: & cum nihil maius sapientia esse possit, tamen multis facilius fuit sapientis quàm eloquentis nomen defendere: propterea quod eloquentia his omnibus rebus constet, quæ ipsa profitetur sapientia: & multa habet, quæ ipsa proprio suo iure sibi potest arrogare: sapientia sæpe in suis se terminis continens, etiam cum exire conatur, ab Oratoris regno depellitur. Itaq; reprehendi non debent, qui tantæ rei amore atque admiratione ducti, uel omnem ætatem in eo studio consumunt: uel plus attentionis & laboris, atque diuturniorem uigilantiam & diligentiam ad unum aliquem conferunt, eumq; perpetuum quem sequantur propositum habent: præsertim cum id cæteri scriptores latini, ingenio, fœlicitate, uarietate, copia, facultate, elegantia tali, qualis decet oratorem, non sint assecuti. Nam ut de Historicis exponam quod sentio: habent illi quidem multa oratorum ornamenta: sed quoniam etiam multa propria habent, non in omnibus sunt imitandi. Itaq; Cæsaris commentarij, & Xenophontis libri tametsi oratorij magna ex parte sunt, tamen de quibusdam aliter dissereret orator. Ipse etiam Cæsar aliter reos suos in foro defendit, & in Senatu sententiam dixit, quàm in suis commentarijs res à se gestas exposuit: in quibus quidem pura & illustris breuitas à Bruto laudata est: sed tamen illæ tabulæ pictæ in bono lumine oratorijs ornamentis collocatæ, & splendor ille non ueteratorius, quæ eidem in Bruto tribuuntur, in commentarijs non apparent. Quamobrem aliter commentarios scribendos, aliter causas agendas esse iudicauit. Minus Poetæ adsecuti sunt, etiam hi qui sunt ornatißimi. Et quos habemus in manibus Philosophi suo genere orationis contenti, de rebus non his qui in curia & foro, & concionibus uersati sunt, sed his qui uel in bibliothecis resederunt uel in Lyceo disputarunt, uel ambularunt in academia, uel in Stoa commentati sunt, tradiderunt præcepta. Idem de medicis et reliquis scriptoribus statuendum est, quorum omnium genus eloquendi, etiam cum ornatissimum est, ad doctrinam magis rerumq; cognitionem, quam ad delectationem & motum populumq; dirigitur. Quid ergo est? an non hi quoq; cognoscendi? ut sunt ne apud Ciceronem omnia? Dicam equidem

Gulielme dux illustrißime sententiam meam: & ad te dicam qui adhuc hisce studijs delectaris: non ut te doceam, qui enim possem? sed ut tibi consilij mei rationem non exponam, sed reddam. Multum inter se discere & scribere: cognoscere & dicere differunt. Rem arduam atq; difficilem dicendi rationem esse diximus: quæ ex multis magnisq; rebus constet: neq; eloquentem quenquam dici mereri qui sapientiæ nomen tueri non possit. Itaq; omnia quæ sapientiæ studium profitetur sunt cognoscenda: nemoq; contemnendus scriptor, qui aliquid noui & boni adferat: sed tametsi omnia eodem discantur modo, tamen non eodem sunt orationis genere explicanda. Nos cũ de imitatione loquimur, non quos legere, sed quem potißimũ sequi et quibus uestigijs insequi oporteat, inuestigamus: qua in re illud optabile est, ut cuius te similem esse uelis: is eiusmodi sit, ut cæteris præstet, et semper aliquid habeat, quod nec apud alium inuenias, nec ipse per te inuenisses, neq; assecutus esses, si ab eodem discessisses: ut quoties ad eum redeas, toties aliquid obserues, cuius te non queat pœnitere. apud quem etiam si non omnia tradita sint: tamen quomodo tradere omnia singulaq; possis, et quomodo conueniat, quidue in unaquaq; re deceat, eius ille uiam rationemq; ostendat. Res enim ipsæ tametsi uerbis naturisq; inter se differant: sæpe tamen quæ in eadem sunt naturæ societate, communem orationis formam et quasi figuram habent. Eum igitur imitemur scriptorem, isq; orator sit, qui si non omnium tamen prope omnium exempla proposuit. Talis uero aut nullus est, eorum quidem quos nostro seculo habemus: aut si quis est, profecto M. Tullius Cicero est: et quidem est certe: atq; eiusmodi, ut

ut talis nemo fuerit, nostris etiam temporibus sit nullus: neq; quisquam posthac unq; sit futurus: non solum in latina lingua quod excusari potest: sed etiam quod est admirabile, nemo in suo patrioq; sermone id assequetur, quod Cicero: ut quodcunq; scripserit dixeritue, id à nullo possit fieri melius. Quid est ergo quod in eo admiramur? Duæ solum res sunt. Prudentia etenim est & ornatus congruens, quorum alterum multi habuerunt: alterum nemo est ita ut perfectum sit consecutus. Nam sapientes quidem multi fuerunt: neque quicquam nostra religione sapientius: sed ornatus ille quem requirimus qui est non solũ uerborũ sed etiam rerũ, à cæteris aut cõquisitus nõ est, aut nõ est inuentus: ne quidem à M. Antonio et L. Crasso quos cæteris omnibus Cicero anteponit oratoribus. Nam de oratoribus loquor: Poetæ enim multi excellentes fuerunt: neq; quicq̃ Homero perfectius potest excogitari: sed inter Oratores Cicero ne græcorũ quidẽ nemini potest postponi. Nam Demosthenes tametsi uiribus aliquando robustior esse uideatur, & in collocando non cedat: tamen neq; ornatu est superior, & credo si iisdẽ tẽporibus, in eadẽq; ciuitate uersati essent: quo tẽpore cũ Aeschine pugnauit Demosthenes: si Aeschinis causam Cicero egisset, aut in exiliũ eiectus Aeschines nõ esset, aut si esset, tñ iniuria facta innocẽti uideretur. Leue quidẽ atq; incertũ istud argumentũ est: sed tñ mihi est ita psuasum: ut quoniã maiora in Cicerone ornamenta, q̃ in illa Ctesiphontis causa, reliquisue Demosthenis orationibus animaduertere potui: credo hunc potuisse Demosthenem superare. Sed esto: concedam Demosthenem Ciceroni postponi in oratione non posse: tamẽ cæteras artes et philosophiam ille, quod fecit Cicero, non illustrauit: & apud la-

tinos nemo Cicerone melior, cuius rei maximũ signum est: minimam partem eorum qui quidem prudenter Ciceronem imitati sunt, legi cum fastidio: illorum uero qui aliorum se similes esse maluerunt, aut proprium dicendi genus habere uoluerunt, multo minimam partem elegantiæ laudẽ esse consecutam. Non quod illi omnes sint reprehendẽdi aut quod nihil ab his peccetur, dixi enim iam quosdam inflatos esse & tumidos, & sine causa circumfluentes Ciceronis studiosos: & præclari multi qui huic studio sese non dederunt: sed quia si numerum augeri uolumus eorum qui consuetudinem uitiosam ratione pura emendent: qui morem corruptum incorrupta consuetudine corrigant: qui claudant incultam & sylueſtrem nostrorum hominum uiam: & ueterum ac latinorum amœnißimum & pulcherrimum iter aperiant: qui eleganter, polite, copiose, ornateq; scribant, ingredi in hunc campũ oportet & Ciceronis ueſtigijs in summum eloquentiæ locum est ascendendum: quod quidem nostris temporibus minime facimus: qui cum hunc solum oratorem habeamus absq; hoc, oratores nos euadere posse credimus. Hoc primum inde accidit, quod facilius est male, quam bene scribere: et quod ipsa imitatione nõ solũ obseruando annotandoq;, sed etiam exercendo, atq; scribendo labor curaq; augetur æmulatori. Deinde non tantum desidia infectum homines animum habent, & ad inertiæ arcem confugiunt: sed multas etiam cæterorum artium utilitates à recta uia ueraq; ratione auocant: ita ut malint pecuniam in quæstuosis artibus quærere, quam in re difficili laborare. Caret enim eloquentia nostro adhuc seculo suis præmijs: nondumq; suos est assecuta uel patronos uel iudices. Plures adhuc ineptis, & stultis, & furiosis, &

barbaris, quam cultis & moderatis, & prudentibus, & ornatis, scriptoribus, delectantur. Vis enim fit nostra ætate literatis præclaroq; iudicio præditis hominibus: non armis sed opinionbus. Vulgusq; nihil nisi petulans, & dißipatũ, & fluens, in oratione credit esse eruditum. Quamobrẽ quoniam amicorũ subsidijs Guilielme Dux illustrißime, multitudinisq; applausu dicendi ratio destituta est: patronos requirit: qui hoc tempore sunt comparandi: non in hominum eruditorum solum numero: sed in uestro etiam ordine: apud quos ipsa contra barbaros, quasi portum, & apud eruditos quasi theatrum quoddã, sic laudem opemq; inueniat. In his tu Guilielme dux principem locum tenes: neq; habet quicquam tua uel animi uis sapientius, uel amplitudo maius, uel fortuna præclarius, quàm egregiam erga nostras literas uoluntatem: ad quam tibi tua natura dux fuit: quam ipsæ in te literæ auxerunt: et in qua te doctor tuus Conradus Heresbachius cõfirmauit: à quibus ita imbutus, ita instlitutus, ita educatus es, ut quæ habes, & quæ tibi sine armis relicta sunt: neq; fortuna tempestate aliqua tollere neq; uis inimicorũ bello detrahere possit: absq; studio sorum, bonorumq; uirorum dolore: ut tuis malis quasi per tuum latus reliqui omnes sauciari uideãtur. Quamobrem ego tibi gratulor, literis lætor, patriæq; meæ Solædæ gaudeo, quæ Mongaudijs tuis & Drimburgensibus, & Oleuanis uicina est. à Deoq; præcor ut te in hac florente fortuna tua conseruet: ut pace quam Reip. tuæ retinere studes, perpetua utaris: ut amici potius tibi in ocio ornamento, quàm in bello auxilio esse posßint. ut si concordiã & ociũ inimici non permittant ad quæcunq; pericula traharis, in his Deus suo numine tibi dux et adiutor existat: ut

quarum rerum nunc nobis egregia documenta das, earũ in senectute uberrimos fructus capies pietatis, modestiæ, æquitatis, iusticiæ, fortitudinis, religionis: quæ cum in amplißimis hominibus sunt, nihil potest ad ueram fœlicitatem præclaramq; gloriam deesse. Sed ornantur hæc omnia literarum lumine atq; splendore, quæ quoniam in earum gremijs per adolescentiam cogitationes tuas deposuisti: et eædem ad huc tibi curæ sunt: dabunt tibi egregios aliquando tuarum uirtutum præcones. Vere princeps nobilitatis haberi debet, cuius genus, excellensq; natura, & uitæ ratio doctrina illustrata est: proximus qui tametsi hac destitutus sit, tamen eos qui præditi sunt, amat: qui uero neq; habent, & eos qui habent, oderunt: hi, ut ne quid grauius dicam, idcirco odisse uidentur: quod eorum qui habent, metuant ne dignitas obsit, & scientia obficiat. Quo fit ut illi minus amentur: tu uero cõiunctam tibi literatorum omnium beneuolentiam habebis, cum propter summum amorem erga nostra studia: tum eruditionem talem, qualis quidem in cæteris non facile solet inueniri, qui maiorum suorum uirtute tantum modo nituntur: autam uero gloriam noua laude non studeant amplificare.

LIBRARIVS.

VEteres olim & Romani & Græci certam rationem metiendorum distinguendorumq; uersuum: non poetarum solũ quorũ carmina finita sunt: sed etiã oratorũ atq; philosophorũ habebant. Nam et apud Asconium Pedianum, quædam Ciceronis orationes uersuũ numero sunt digestæ. et Galenus Hippocratis librum de natura humana, eodẽ modo terminauit: Sed nos hanc & rationẽ & consuetudinem amisimus: & temere paginas complemus. At utilis erat ad conseruandam memoriam hæc distinctio: & artificiosa ratio erat: quam quoniam recuperare per consuetudinem non licuit: ut tamen magnitudine uoluminum, & dimensione aliqua leuaremus discentium laborem, et iuuaremus memoriam: Aldum per omnia secuti sumus: tum propter authoritatẽ uiri: tum propter Italorum obseruationes, qui suos commentarios, ad huius uiri exemplaria referunt. Permagni enim refert à puero eadem uersari uolumina, neq; commutare id quod tibi sit notum. deinde fallax est commentariorũ ratio in imitando, q suis exemplis formas sententiarũ annotant, res tamen ipsas quibus illæ applicandæ sunt sæpe non indicant: neq; uideri earum usus potest, nisi ad autorem unde desumptæ sunt recurratur. Sed hæc hactenus de uolumine: de emendatione nõ aliud pollicemur, quam legẽdo poterit cognosci. Difficillimus labor est libros corrigere, laus exigua. Omnis uero emendatorum ratio, in tollẽdo, addendo, transponẽdo, commutando, distinguendo posita est. Sed ut in cæteris rebus ars si non uicio sa

tura existat utilis ipsa semper est: si uero deprauatus animus illam habeat, perniciosa sæpe est: ita etiam in hac re accidit: ut qui ingenio sunt bono nihil noceãt, qui uero malo, possint multorum applausu ingeniose optimos autores deprauare. id quod in Cicerone factũ uidemus. Sæpe enim numerus transpositione uerborum diuulsus: sæpe sententiæ commutando deprauatæ, tollendo aut mutilatæ aut deformatæ sunt: qua in re nos magnam curam adhibuimus: ut non tam mutando, quam retinendo restituendoq; laudem inueniremus. Id si assecuti sumus, non solum nobis gratulabimur: sed etiam communibus rationibus gaudebimus, ad quas nostros labores studemus esse aggregatos. Vt autem illud assequamur, nunc orationes Ciceronis emittimus: proxime reliqua uolumina.

LEONI X. PONTIFICI MAXIMO, ANDREAS NAVGERIVS.

Magna quædam res est, & ut nihil fortasse præstantius, ita longe difficilius quiddam, quàm homines opinantur, eloquentia excellere. uni est id homini à natura datum: ut ea quæ mente concipimus, communicare inter nos, ac dicendo, animi sensa eloqui possimus: hac una re maxime à cæteris nos animantibus natura seiunxit. hæc iam inde ab initio humani generis egregias nobis semper utilitates attulit. atque hæc cum æque omnibus concessa sit, unumquempiam è multis esse, quem magna cæteri cum admiratione dicentem audiant: cui maximis ita plerunq; de rebus assentiantur, ut illi potius, quam sibi ipsis credendum putent: qui clamores, qui lachrymas, qui risus, cum uelit, moueat: atq; omnes adeo animorum motus quasi habenis quibusdam regat: qui deniq; ita loquatur, ut tantum prope reliquæ hominum multitudini præstare uideatur, quantum homines ipsi bestijs antecellunt. profecto id fieri necesse est, quod is, & longe præstantiora quædam, q̃ alij omnes cogitatione, atq; animo complectantur: et ea, quæ cogitarit, admirabili ac diuina quadam dicendi ratione explicare, ac proferre possit. At hoc, si quis id recte consideret, eiusmodi est, ut eo omnia, quæ in hominum cogitationem cadere possunt, comprehẽdantur. quid enim illi, qui & res omnes de quibus possit acci-

dere ut aliquando loquendum sit, optime omnium teneat, quod ei qui perfecte eloquens esse uoluerit, necessarium est: & ornatißimis ac grauißimis eas uerbis illustrare, atq; omni lumine orationis queat, deesse dicendum est? id uero quàm arduum, ac magnum sit, uel ex eo facillime cognosci potest, quod cum nemo ferè unquam fuerit qui non hanc sibi eloquentiæ gloriam summopere appetendam duxerit: permulti uero acerrimo ingenio homines nihil aliud summo studio tota uita egerint: perpauci tamen tot ætatibus inuenti sunt qui ita probati sint, ut non multa illis deesse uiderentur. Et certe singulas quasque artes egregie aliquem nouisse permagnum est: nedum ut plurimæ ab uno quopiam comprehendi poßint. Sed ut ea quis etiam ingenij felicitate fuerit, ut omnium sit maximarum rerum scientiam consecutus: tum uero quoties illi dicendum sit, suo quicq; loco collocare, quantæ prudentiæ est? Iam res ipsas eo orationis genere, his uerbis ornare: eaq; ipsa uerba tam compositè, tam concinne, tam apte inter se connectere, ut nihil illustrius, nihil auditu iucundius esse poßit: id uero longe omnium difficillimum haberi debet. profecto cum multa etiam in oratore alia requirantur: ab hac una re tamen eloquentiæ inditum nomen est. Quid de actione dicam? huic primas, huic secundas, huic tertias tribuisse Demosthenes dicitur. hac una si careat, ut cætera illi omnia cumulatißime concessa sint, nihil est, quod magnum ab se quippiam effici posse orator putet. at eiusmodi ea est, ut si cui à natura negata sit, paruum sit, & exile quoddam quod ab arte tradatur. Sed & multo minus memoria aut

procreari

procreari, aut inseri arte ulla potest. ratio certe quædam, qua ea adiuuetur, reperta est. sed hæc nulla sit, nisi id ipsum prius naturæ bonum in ingenijs nostris extiterit. at hæc in oratore quasi fundamentum quoddam est: quo sublato cætera omnia collabi necesse sit. Quamobrem cum ex his eloquentia rebus constet, quæ partim maximo uiri ingenio summa sibi industria ac labore parare tamen possunt: partim, nisi à natura contigerint, nulla ipsi nobis fingere ratione possumus: nihil dicendi laude difficilius, nihil perfecto oratore inuenturarius existimandum est. Sed quo plures huic laudi propositæ difficultates sunt: eo magis, & ut eam adipiscantur eniti omnes decet: & si quis adeptus fuerit: admirabilior, & quasi quidam inter homines: deus haberi debet. quid enim ex omnibus humanis rebus ad deorum propius potestatem accedit, quàm posse & inimicos, cum uelis, lædere, & amicis adiumento esse, & repugnantes tuam in sententiam adducere, & consentientes confirmare, consolari, hortari, ad misericordiam, ad odium, ad quencunq; animi motum, quos uolueris, uel inuitos impellere. hæc ea nimirum sunt, quæ non fieri humana ui, sed diuinum esse quiddam homines arbitrentur. Atq; in hac quidem re sunt qui omnium maxime Græcos homines admirentur, ac longe illos nostrorum ingenijs anteponant. Et profecto, quod in omni ei studiorum genere non minus contigit, summorum semper oratorũ copia Græcia redundauit. E Romanis quanquam multos fuisse legimus, qui plurimum dicendo potuerint, qui nihil non eloquentia assecuti sint: & complures ex his tamen nihil omnino literis mandauerunt: & co-

rum qui aliquid scripserunt, præter unius Ciceronis nihil cuiusquam extat, quod proferre possimus. Sed & in tanto hoc tamen eloquentiæ naufragio, magnæ ob id saltem dijs immortalibus à nobis gratiæ haberi debent, quod hunc potissimum superesse uoluerunt. tantum enim uno ego in Ciceron ponendum arbitror, ut huius unius dicendi facultate, non æquatam modo cum Græcorum omnium eloquentia Latinæ orationis copiam, sed & longe factam superiorem putem. Tria sunt quæ ab optimo effici oratore debeant: docendus, delectandus, permouendus auditor. hinc tria etiam nata sunt dicendi genera, tenue, medium, graue. ad docendum tenue accommodatum est: medio delectatio paritur: permouemur graui. qui unum aliquod horum genus assequi potuerunt, magni habiti oratores sunt: qui omnia, maximi. Ac fuerunt quidem è Græcis aliqui qui subtili quodam & sententiarum, & uerborum genere eo acumine atque elegantia dicerent, ut nihil illis limatius, nihil enucleatius esse posset. Expolitum alij ac suaue dicendi genus secuti, & audientium animos maxime delectarunt, & celebre sibi inter oratores nomen peperere. Vberiores nonnulli, & ampliore quadam orationis usi dignitate, cum magnam uim hominum mentibus admouerent, magnam ipsi eloquentiæ gloriam consecuti sunt. Cum uero non eodem modo omnia dicenda sint, sed uniuscuiusque rei sit certa & propria quasi quædam uox: qui idem cum res posceret, submisse humilia, media temperate, ample grandia posset dicere: nemo fortasse ex his, præter Demosthenem inuentus est. at nisi his omnibus generibus ita oratio distincta sit, ut id semper quod maxime deceat conseruetur: non est quod exactam se quisquam & absolutam eloquentiam adeptum arbitretur. His ita omnibus generibus noster præstitit: ut ne ex his quidem, qui in singulis floruerunt, in eo ipso genere sit illi aliquis conferendus. nemo hoc in paruis prestior, in temperatis ornatior, in magnis sublimior: nemo iudicem acutius docuit, delectauit iucundius, incitauit ardentius. Quæ ut in Demosthene etiam paria fuerint: sunt tamen qui existiment longe illius orationem iucundius his salibus, quibus maxime abundat Cicero, potuisse condiri. sunt qui commiserationes desiderent: quibus ille ut Atheniensium lege sit uti prohibitus, magnum tamen quiddam est quod illi desit. qua in re ita omnibus præstare Cicero existimatus est: ut in ijs etiam causis, quas unà cum illo Q. Hortensius, aut alij ea tempestate summi oratores agerent, extremus tamen perorandi locus eorum ipsorum concessu, huic semper relinqueretur. Iam in epistolis, cum amborum extent: tantus in nostro lepos, tanta urbanitas, ea suauitas, is candor, tam purus sermo, ea cum de Republica loquitur, grauitas: ut mirum sit quanto interuallo uincamus. Quid? ubertas ingenij, plurimarum ac præclarissimarum rerum cognitio conferri potest? illius græco tantum sermone complures modo orationes, & epistolas quasdam legimus. hic et Græce homo Romanus eo ornatu plura scripsit: tam præclare nonnunquam, cum res tulit, locutus dicitur, ut ipsi etiam Græci huiusce facultatis peritissimi homines, non minus suæ illi linguæ eleganti-
um concederent, quàm hanc etiam sibi laudem eri-

pi moleſte ferrent: & omnibus Latinæ eloquentiæ partibus unus ſatisfecit: neque ullum non poſteris monumentorum genus reliquit. orationes in omni genere plurimas, magna epiſtolarum uolumina edidit. Sed & à Muſis etiam non alienus fuit. quin & Latinos omnes, qui ante ſe fuerant, poetas facillime ſuperauit: & multo etiam fortaſſe progredi longius potuit: niſi maioris cuiuſdam gloriæ ad ſe illum ſplendor rapuiſſet. Ad hæc, ne ea quæ magno ſibi ipſe labore atque acerrimo ſtudio peperiſſet, inuidere iuuentuti uideretur: de arte etiam dicendi ſibi ſcribendum exiſtimauit. quibus in libris cum peruulgata rhetorum præcepta negligens, aliud quoddam ad eloquentiam eſſe iter diceret: uel ex eo id uerum eſſe quod ab ſe diceretur, oſtendit, quod de his ipſis rebus (quod nulli unquam dicendi magiſtri potuiſſent) elegantiſſime locutus eſt: & in eloquentiæ præceptis tradendis nullam non eloquentiæ uim adhibuit. Neque uero his finibus abundantis ingenij flumen tenuit: ſed longe effuſus latius in omnes propè philoſophiæ ſinus delatus eſt: & in auitam tandem poſſeſſionem, ex qua eam nullo iure deiectam eſſe, ſæpiſſime conqueſtus fuerat, eloquentiam reſtituit: atque ex anguſtis extractam finibus paterno in regno collocauit: & id eſſe proprium oratoris docuit, de unaquaque re propoſita poſſe & ornate & apte dicere. Sed nulla profecto ex re magis cognoſci præſtantia oratorum poteſt, quàm ex eo, quod ab his dicendo efficitur. acrecte id mihi quidem dictum uidetur, ut in fidibus ex eo qui reddatur ſono, illius qui pulſet ſcientiam perſpici: ſic eloquentiæ uim, ex his maxime motibus, qui in audientium animis cernuntur, intelligi. Neque uero dici poteſt, non multa Demoſthenem effeciſſe dicendo: amens ſim, ſi è maximis, atque omnium illi ſummorum hominum conſenſu tributis laudibus, quicquam coner detrahere: cum præſertim ipſe etiam illum Cicero longe omnibus anteponat: & quoties dicturus eſſet, è tota Græcia ad eum audiendum ſolitos fieri concurſus affirmet. ſed tamen cum maxime floreret Demoſthenes, & prælatum etiam illi Demadem legimus: & Phocionis ſeu quædam acerrima dicendi uis, ſed populo cognita uitæ integritas ita eum ſæpe peruertit, ut ipſe etiam ſuorum illum uerborum ſecurim ſit ſolitus appellare. Ciceronis ætate, quanquam nulla unquam aut plures aut præſtantiores oratores tulit: neque pari tamen dicendi facultate quiſquam inuentus eſt: neque tam probata uitæ ſanctitas in ullo fuit, ut ea magis, quàm illius oratione, homines mouerentur. huius accuſationis impetu perterritus, à Verris patrocinio, cum & eum maxime defenſum uellet, & nihil eſſet quod non aſſequi dicendo poſſe crederetur, Hortenſius deſtitit. hic grauiſſimam illam M. Catonis authoritatem, & dicendi ſeueritatem, quo nemo omni uirtute præſtantior unquam fuit, ſi quando ſibi obſtitit, orationis copia & feſtiua quadam comitate ſemper eluſit. ac ne omnia conquirere ambitioſius uidear: ut toties permotos iudices, toties Senatum, toties populum prætermittam: ut oppreſſam Catilinæ audaciam, uniuerſam in Antonij odium concitatam ciuitatem ſileam: quanta uis illius orationis fuerit, quàm facile ad ea, quæ uellet, homines attraxerit, uel id unum nobis eſſe argumento po-

teſt, quod cum præclaro illo ſtatim ab ſe inito Conſulatu, lege Agraria ab ſeditioſis Tribunis plebis propoſita, magnos in Republica concitari motus intueretur: & in concionem Tribunos uocare, & ipſo etiam diſceptatore populo, cum obſiſtere commodis putabatur, uti non dubitauit. atque hic ita locutus eſt, ita eorum quæ ad pertractandos hominum animos neceſſaria eſſent, nihil prætermiſit: ut nemo unquam tanta populi uoluntate populare quicquam ſuaſerit, quanta hic maxime omnium gratam, ac iucundam populo legem euertit. Non immerito igitur & cum uiueret, regnare in iudicijs dictus eſt: & poſt mortem ad hodiernum diem ſic apud omnes gentes illius nomen uiget, ſic in dies augeſcit, ut nulla id unquam obliuio obſcuratura, nulla eius laudibus allatura finem æternitas uideatur. Hic ipſam illam abſolutæ eloquentiæ ſpeciem quam ſuo ipſe in oratore quærit: quam uix animo intuemur: quam in nullo Antonius uiderat: oratorum omnium unius expreſſit. huic quò ſimilior aliquis, eò eloquentior haberi debet. huius ſcriptis ne cogitare quidem ornatiora poſſumus. Vtinam quæ eorum multa aut iniuria temporis, aut aſſidua tot ſæpe bellis Italiæ uaſtatione perierunt: ea peruenire omnia ad manus noſtras potuiſſent: longe opulentior Romana lingua, longe inſtructior Latinæ eloquentiæ ſuppellex eſſet. ſed ut multa interceptа ſint: bene id cecidit, quod ex his, quas ſcripſit, orationibus, in quibus omnis dicendi uis, omnis eloquentiæ ornatus explicatur: paucas admodum deſideramus. quanquam & in his id queri poſſumus: quod quas non Antonij proſcriptio, non belli furor, non tot annorum ſpatium eripere nobis potuit, has ita proximorum ſæculorum inſcitia, quaſi rubigo quædam, fœdauit, ut in ſuum eas nitorem reſtituere immenſi cuiuſdam operis eſſe uideatur. Nos quidem, quantum in nobis fuit, quantum uetera nobis exemplaria adiumento eſſe potuerunt, quam potuimus opem afferre conati ſumus: neque quicquam à nobis fieri potuiſſe exiſtimauimus quod magis his qui eloquentiæ ſtudio tenentur, prodeſſet, quam ſi ipſæ hæ Ciceronis orationes, hoc eſt ipſius fontes eloquentiæ, unde haurire abunde poſſent, perpurgati à nobis eſſent. qua in re tantum tamen abeſt ut nihil prætermiſſum eſſe affirmare uelimus, ut iacta tantum fundamenta à nobis eſſe, opus ipſum ſi multi hoc exemplo pari in id ſtudio ac labore incubuerint, tum demum poſſe fortaſſe aliquando perfici exiſtimemus.

Atq; has nos quidem orationes ob id præcipue Leo Pontifex Maxime, ut alia prætermittam omnia, ſub tuo nomine exire uoluimus: quod te quamuis in ea amplitudine collocatum, ut nemo mortalium propius Deum attingat, maximis ſemper occupationibus diſtineri neceſſe ſit: & his tamen maxime delectari, & nunquam intermittere literarum ſtudia audimus: neq; quenquã à te pluris fieri, quã qui aliquo optimarũ artium genere cæteris antecellat. & huius quidem rei id iam inde ab initio amplißimæ huius dignitatis tuæ indicio omnibus eſſe potuit, quod Petrum Bembum, & Iacobum Sadoletum uiros uti ſumma inter ſe beneuolentia cõiunctißimos, ita tum moribus, tum omni literarum genere & quàmſimillimos, & noſtræ ætatis omnium ornatißimos, à ſecre-

tis habere uoluisti. Iam tum magna mihi oblata spes est, fore ut omnes tuo auxilio bonæ artes reuiuiscerent, cum tibi eos qui in his excellerent, adiungendos atque omni dignitate honestandos putares. Sed non hoc una nobis tuus hac in re animus perspectus est: permultis se ille alijs quotidie signis ostendit: & præclarissimorum semper ingeniorum parens plurimos tibi Roma omni doctrina præstantis uiros sufficit: & his non inferiores ex omnibus eò terris, ut in communem quandam nationum omnium, ac totius terrarum orbis patriam, permulti confluunt. (quippe eo iam inde ab initio nata fato Roma est, ut quod ubique terrarum egregij exortum esset, una susciperet) hos tu omnes ita amplecteris: ita omni beneuolentia prosequeris, ut cum nullo hominum genere libentius uiuas: nulli ad te aditus faciliores sint: nulli tua magis liberalitas pateat. Ex his ego, & plurimis illis, quæ in te elucent, uirtutibus, in eam opinionem adductus sum, ut ob id ab Deo te Optimo Maximo & terris datum & toti Christianæ Reipublicæ præpositum arbitrer: ut tuus sis, cuius ductu in antiquam illam tum imperij, tum omnium & uirtutum, & bonarum artium amplitudinem Roma restituatur. Sed agendum id profecto ex his tibi prius est, quo urgemur magis: cui nisi occursum fuerit, magnæ esse nobis calamitati potest. Nimia iam audacia Christiani in nos nominis hostes efferuntur: nimis proterue nobis insultant: dum multos iam annos, omnes eorum iniurias toleramus, in maximum contemptum uenimus: neque quicquam est quod sibi in nos licere non putent. quas illi per hosce annos regiones, quos agros non sæpius deuastarunt? quos non sinus penetrarunt? quibus ex oris prædam non abegerunt? quam nobis ignominiam non inusserunt? quin etiam (fœdum dij immortales facinus) florentissimam illam & literarum, & uirtutum omnium parentem Græciam nobis tacentibus, atque adeo propè tradentibus immanissimæ gentes occuparunt. nos socios atque amicissimos nobis reges ante oculos propè nostros opprimi, ac regnis exui passi sumus. nostra tum scilicet res non agebatur? nihil eorum ad nos calamitas pertinebat? satis erat suos quemque fines tueri? nihil præterea curandum erat? Nimirum nostra hac negligentia id factum est: ut magnæ illis breui tempore uires additæ, magna nobis auxilia detracta sint: neque suis illi uiribus, sed nostra secordia creuerunt. nos, nos inquam in nos eos aluimus: nos ita auximus, ut multa iam ab illis merito, nisi prouisum fuerit, timeri possint. Sed prouidendum profecto est: neque quicquam iam, quod turpe nobis futurum sit, ferre debemus. tuumq; adeo hoc esse munus, hoc tibi onus incumbere omnes existimant. neq; tamen (quanquam ne hoc quidem præter te alius quisquam potuit) à te id solum postulatur, ut à finibus eos nostris auertas: ut exultantes ac temere in nos irruentes reprimas. maius quiddam est, quod tuæ à te magnitudini deberi uideatur. nisi ultro illato illis bello & omnis ante susceptа nobis labes eorum sanguine eluatur, & illi penitus ne se aliquando in nostram perniciem efferre possint, excindantur: satisfieri tantæ de te omnium expectationi nullo pacto potest. Neq; uero facto id difficillimum futurum est, si te aut hore sublatis, si quæ intercedunt,

ſtimultatibus, chriſtiani inter ſe reges conſpirauerint: & in communem hoſtem communi conſenſu ſuſcipiendum ſibi bellum eſſe exiſtimarint. quid enim his uiribus opponi poterit? uerendum credo nobis erit, ne paucis illis peditum cohortibus, ne inermibus illis, ut innumerabiles ſint: equitibus hoſtium, tot (ut alios omittam) inuictæ Hiſpanorum, tot Heluetiorum legiones, inſtructiſſimus ille Gallorum, ille Italorum equitatus pares eſſe non poſſint? ne primum quidem impetum, ne clamorem illi quidem noſtri exercitus ferre poterunt. agis tu quidem dies noctesq; unum hoc omnium maxime: neque quicquam omittis, quod ad conciliandos inter ſe, atque in hoſtem inflammandos Chriſtianorum animos fieri oporteat: atque eò iam tuis monitis & hortatibus adducta res eſt: ut potentiſſimi iam reges ueterum iniuriarum obliti, & amicitiam ineant, & ad colloquia ueniant: ut & communibus unà de rebus conſilium capiant: & quæ ad Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem ac dignitatem pertinere uiſa fuerint, conſtituantur. ſed & reliquum tamen quiddam adhuc eſt quod tibi agendum ſit. quæ prope omnes iam præ ſe ferunt, ea quanta fieri celeritate poterit maturanda ſunt. neſcio quis iam diu Chriſtianorum mentes torpor inuaſit: qui, ut optime tua authoritate animati ſint, diutius tamen procraſtinantur, quàm opus ſit: ac multas quotidie bene gerendæ rei opportunitates prætermittunt. hunc dum penitus ſomnum excutias: hanc dum tollas ſegnitiem: nulla ſit res quæ ab eo te, quod tam præclare cœpiſti, deterrere poſſit. hoc unum cum effeceris: tum denique quod tandiu machinaris, quod tanto opere moliris, quod tecum ſemper cogitas effeceris. Erit, erit profecto dies illa, cum te longiſſime prolatis finibus, deuictis omnibus, quæ Chriſtiano unquam nomini infenſæ fuerint, nationibus, cum inſigni laurea redeuntem intueri liceat: cum tota te Italia, totus terrarum orbis ut quendam ad leuanda noſtra incommoda è cœlo delapſum deum ueneretur: cum tibi obuiam cunctis exoptatis omnium generum, omnium ætatum multitudo ſe omnis effundat: tibi patriam, tibi penates, tibi ſalutem, ac uitam denique, depulſo crudeliſſimorum hoſtium metu, acceptam referat: cum ipſi etiam ſe tibi agri noua quadam rerum omnium ubertate lætiores oſtendant. Tum tu maximis omnium plauſibus regum medius Romam inuectus pulcherrimum ac iuſtiſſimum triumphũ ages: tum demum pace terris omnibus per te parta frui nobis licebit: tum denique omni & bello & belli timore ſublato alumnæ pacis atque otij literæ uberrimo ſe prouentu efferent: tum plurima inter hoſtium ſpolia tot illa à ueteribus illis Græcis monumenta ſcriptis tradita, quæ nunc in miſera & diuturna hac Græciæ ſeruitute oppreſſa deliteſcunt, per te ex tenebris extracta conſpicientur. quin & Latina fortaſſe pleraque belli hinc impetu nobis ablata recipientur: aut certe pacatis iam rebus alicunde emergent, atque ex omnibus ad te partibus deferentur. Tum & alia plurima, & Ciceronis fortaſſe tum ea quæ deſiderantur, in lucem prodibunt: tum hæc, quæ manca & mutilata legimus, integra & emendata reperientur. neque uero in antiquorum ſcriptis emendandis diutius teneri quenquam neceſſe erit, ſed in maxima optimorum librorum copia,

maximo ac tutißimo otio existent fortasse qui maiora co nentur, & ipsam etiam antiquitatem prouocare scri= ptis audeant. profecto aut nunquam posthac futurum est, aut tua id hæc ætas uidebit. interea hos labores na= stros, qui tam corruptis ueterum libris & necessario su= scipiendi, & maxime utiles habendi sunt, ne contemne: & ea quæ ut futura credamus, maximam tu ipse nobis spem attulisti, quæ semper meditaris: quæ animo sem= per agitas: quæ immortalem tibi apud omnes gen= tes gloriam paritura sunt, quæ profecto tibi debentur, uti nulla interposita mora quàm celerrime fiant appro= pera.

T. LIVIVS HISTO= RIARVM LIBRO CXX.

M. Cicero sub aduentum triumuirorum cesserat urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quã Cæsari Cassium & Brutum posse. Pri= mo in Thusculanum fugit: inde trans= uersis itineribus in Formianum, ut ab Caieta nauim con scensurus, proficiscatur. Vnde aliquoties in altum pro= uectum, cum modo uenti aduersi retulissent: modo ipse iactationem nauis cæco uoluente fluctu pati non posset: tædium tandem eum & fugæ & uitæ cœpit. Regressusq; ad superiorem uillam, quæ paulo plus mille passibus à mari abest, moriar, inquit, in patria sæpe seruata. Sa= tis constat seruos fortiter fideliterq; paratos fuisse ad di micandum: ipsum deponi lecticam, & quietos pati quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex le= ctica, præbentiq; immotam ceruicem caput præcisum est. nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manus quoq;, scripsisse in Antonium exprobrantes, præcide= runt. Ita relatum caput ad Antonium: iussuq; eius in= ter duas manus in rostris positum, ubi ille Consul, ubi sæpe consularis, ubi eo ipso anno aduersus Antoni= um, quanta nulla unquam humana uox, cum admira= tione eloquentiæ, auditus fuerat. Vix attollentes lachry mis oculos homines intueri trucidata membra eius po= terant. Vixit tres & sexaginta annos: ut, si uis abfuis= set, ne immatura quidem mors uideri posit. Ingenium

& operibus & præmijs operarum fœlix. ipse fortunæ diu prosperæ, & in longo tenore felicitatis magnis interim ictus uulneribus, exilio, ruina partium pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi atque acerbo. omnium aduersorum nihil ut uiro dignum erat tulit, præter mortem. quæ uere æstimanti minus indigna uideri potuit: quod à uictore inimico crudelius passus erat, quàm quod eiusdem fortunæ compositò feciſſet. si quis tamen uirtutibus uitia pensarit: uir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cuius laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit.

M. TVL. CICERONIS
ORATIONVM INDEX.

PRIMO VOLVMINE.

Pro P. Quintio. Oratio prima.	1
Pro Sex. Roscio Amerino. Oratio secunda.	18
Pro Q. Roscio Comœdo. Oratio III.	45
Diuinatio in C. Verrem. Oratio IIII.	55
In C. Verrem liber. II. Oratio V.	66
In C. Verrem liber III. Oratio VI.	76
In C. Verrem lib. IIII. Oratio VII.	109
In C. Verrem lib. V. Oratio VIII.	148
In C. Verrem lib. VI. Oratio IX.	200
In C. Verrem lib. VII. Oratio X.	236
Pro M. Fonteio. Oratio XI.	276
Pro A. Cecinna. Oratio XII.	285

M. T. CICERONIS
PRO P. QVINTIO ORATIO. I.

QVAE RES IN CIVITAte duæ plurimum possunt: hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore: summa gratia, & eloquentia. quarum alteram C. Aquilii uereor: alteram metuo. eloquentia Q. Hortensij ne me dicendo impediat, non nihil commoueor: gratia Sex. Neuij ne P. Quintio noceat, id uero non mediocriter pertimesco. Neq; hoc tantopere querendũ uideretur, hæc summa in illis esse: si in nobis essent saltem mediocria. uerum ita se res habet, ut ego, qui neq; usu satis, & ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer: P. Quintius, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ sunt, cum aduersario gratiosissimo contendat. Illud quoq; nobis accedit incommodum: quod M. Iunius, qui hanc aliquotiens apud te egit, homo & in alijs causis exercitatus, & in hac multum & sæpe uersatus, hoc tempore abest, noua legatione impeditus: & ad me uentũ est, qui, ut summa haberem cætera, temporis quidem certè uix satis habui: ut rem tantam, tot controuersijs implicatam, possem cognoscere. ita, quod mihi consueuit in cæteris causis esse adiumento: id quoq; in hac causa deficit. nam quo minus ingenio possum: subsidio mihi diligentiam comparaui. quæ quanta sit, nisi tempus, et spatium datum sit, intelligi non potest. Quæ quo plura sunt C. Aquili: eò te, & hos, qui tibi in consilio ad

ſunt: meliori mente noſtra uerba audire oportebit: ne multis incommodis ueritas debilitata tandē æquitate talium uirorum recreetur. Quod ſi tu iudex nullo præſidio fuiſſe uidebere contra uim, & gratiam, ſolitudini, atq; inopiæ: ſi apud hoc conſilium ex opibus, non ex ueritate cauſa pēdetur: profecto nihil eſt iam ſanctum, atq; ſincerum in ciuitate: nihil quod humilitatem, cuiuſquam grauitas & uirtus iudicis cōſoletur. certe, aut apud te, & eos qui tibi aſſunt, ueritas ualebit: aut ex hoc loco repulſa ui, & gratia, locum ubi conſiſtat, reperire non poterit. Non eo dico C. Aquili, quo mihi ueniat in dubium tua fides & conſtantia: aut quo non ijs, quos tibi aduocaſti, uiris electiſſimis ciuitatis ſpem ſummam habere P. Quintius debeat. Quid ergo eſt? primum magnitudo periculi ſummo timore hominem afficit, quod uno iudicio de fortunis omnibus decernit. idq; dum cogitat, non minus ſæpe ei uenit in mentem poteſtatis, q̄ æquitatis tuæ: propterea quod omnes, quorum in alterius manu uita poſita eſt: ſæpius illud cogitant, quid poſſit is, cuius in ditione ac poteſtate ſunt: q̄ quid debeat facere. Deinde habet aduerſarium P. Quintius uerbo Sex. Neuium, re uera huiuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, ornatiſſimos noſtræ ciuitatis: qui communi ſtudio ſummis opibus Sex. Neuium defendunt: ſi id eſt defendere, cupiditati alterius obtemperare: quo is facilius quem uelit iniquo iudicio opprimere poſſit. Nā quid hoc iniquius, aut indignius C. Aquili dici aut commemorari poteſt? quam me, qui caput alterius, famam, fortunas q̄; defendam, priore loco cauſam dicere: cū præſertim Q. Hortenſius qui hoc iudicio partes accuſatoris obtinet, contra me ſit dictu-

rus: cui ſummam copiam facultatem q̄; dicendi natura largita eſt. Ita fit, ut ego qui tela depellere, & uulneribus mederi debeā: tum id facere cogar, cum etiam telum aduerſarius nullum iecerit. illis autem id tempus impugnandi detur: cum & uitandi illorū impetus poteſtas adēpta nobis erit: & ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen, quaſi uenenatum aliquod telum iecerint: medicinæ faciendæ locus non erit. Id accidit Prætoris iniquitate, et iniuria. primum quod contra omnium cōſuetudinem, iudicium prius de probro, quàm de re maluit fieri. deinde quod ita conſtituit ipſum iudicium: ut reus, ante quàm uerbum accuſatoris audiſſet, cauſam dicere cogeretur. quod eorum gratia, & potentia factum eſt: qui quaſi ſua res, aut honos agatur, ita diligenter Sex. Neuij ſtudio & cupiditati morem gerunt: in eiuſmodi rebus opes ſuas experiuntur: in quibus quo plus propter uirtutem nobilitatem q̄; poſſunt: eo minus qd poſſint, debent oſtendere. Cū tot tantiſq; difficultatibus affectus atq; afflictus, in tuam C. Aquili fidem, ueritatem, miſericordiam P. Quintius confugerit: cum adhuc ei propter uim aduerſariorum non ius par, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus æquus reperiri potuerit: cum ei ſummam per iniuriam omnia inimica, atq; infeſta fuerint: te C. Aquili, uos q̄; qui in conſilio adeſtis, orat, atq; obſecrat: ut multis iniurijs iactatam atq; agitatam æquitatem, in hoc tandem loco conſiſtere, & confirmari patiamini. Id quo facilius facere poſſitis: dabo operam ut à principio res quemadmodum geſta & contracta ſit, cognoſcatis. C. Quintius fuit P. Quintij huius frater: ſanè cæterarum rerum paterfamilias & pru-

Narratio

dens & attentus: una in re paulo minus consyderatus, qui societatem cum Sex. Neuio fecerit: uiro bono, uerũ tamen nõ ita instituto, ut iura societatis, & officia certi patrisfamilias nosse posset. non quo ei deesset ingenium: nam neq; parum facetus scurra Sex. Neuius, neq; inhumanus præco est unquam existimatus. Quid ergo est? cum ei natura nihil melius quàm uocẽ dedisset: pater nihil præter libertatem reliquisset: uocem in quæstum contulit: libertate usus est: quo impunius dicax esset. quare quod socium tibi eum uelles adiungere, nihil erat: nisi ut in tua pecunia condisceret: qui pecuniæ fructus esset. tamen inductus consuetudine, ac familiaritate Quintius fecit, ut dixi, societatem earum rerum, quæ in Gallia cõparabantur. Erat ei pecuaria res ampla, & rustica sanè bene culta, & fructuosa. tollitur ab atrijs Licinijs atq; à præconum consessu in Galliã Neuius: & trans alpes usq; transfertur. fit magna mutatio loci non ingenij. nam qui ab adolescentulo quæstum sibi instituisset sine impendio: poste aquam nescio quid impendit, et in commune cõtulit: mediocri quæstu contentus esse non poterat. nec mirum, si is qui uocem uocalem habuerat, ea quæ uoce quæsuerat, magno sibi quæstui fore putabat. Itaq; hercule haud mediocriter de communi quicquid poterat, ad se in priuatã domum seuocabat. qua in re ita diligens erat: quasi ij, qui magna fide societatem gererent: arbitrium pro socio condemnari solerent. Verum his de rebus non necesse habeo dicere ea, quæ me P. Quintius cupit commemorare: tametsi causa postulat. tamen quia postulat, nõ flagitat, præteribo. Cum annos iam cõplures societas esset: et cum sæpe suspectus Quintio Neuius fuisset: neq;

ita commode posset rationem reddere earum rerum, quas libidine, non ratione gesserat: moritur in Gallia Quintius, cum adesset Neuius: et moritur repentino: hæredem testamento reliquit hunc P. Quintium: ut ad quem summus mœror morte sua ueniebat: ad eundem summus honos quoq; peruenireț. quo mortuo, nec ita multo post, in Galliam proficiscitur Quintius. ibi cum isto Neuio familiariter uiuit: annũ ferè una sunt: cum & de societate inter se multa communicarent: & de tota illa ratione atq; re Gallicana, neq; interea uerbum ullũ interposuit Neuius, aut societatem sibi quippiam debere: aut priuatim Quintium debuisse. Cum æris alieni aliquantulum esset relictum: quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret, auctionem in Gallia P. hic Quintius Narbone se facturum esse proscribit, earum rerum, quæ ipsius erant priuatæ. Ibi tum uir optimus Sex. Neuius hominem multis uerbis deterret ne auctionetur: eum non ita commode posse eo tempore quæ proscripsisset uẽdere: Romæ sibi nummorum facultatem esse: quam, si saperet, communem existimaret, pro fraterna illa necessitudine, et pro ipsius affinitate. nam P. Quintij consobrinam habet in matrimonio Neuius, & ex ea liberos. Quia quod uirum bonum facere oportebat, id loquebatur Neuius: credidit Quintius, eum qui orationem bonorum imitaretur: facta quoq; imitaturum: auctionem uelle facere desistit: Romam proficiscitur: decedit ex Gallia Romam simul Neuius. cum pecuniam C. Quintius P. Scapulæ debuisset: per te C. Aquili decidit P. Quintius, quod liberis eius dissolueret. hoc eò per te agebatur: quod propter ærariam rationem non satis erat in

tabulis inſpexiſſe quantum deberetur: niſi à Quæſtoribus quæſiſſet quantum ſolueretur. Decidis, ſtatuisq; tu propter neceſsitudinem, quæ tibi cum Scapulis eſt: quid ijs ad denarium ſolueretur? Hæc omnia Quintius agebat auctore, et cõſuaſore Neuio. nec mirum, ſi eius utebatur conſilio: cuius auxilium ſibi paratum putabat. nõ modo enim pollicitus erat in Gallia: ſed Romæ quotidie, ſimulatq; ſibi hic annuiſſet, numeraturum ſe dicebat. Quintius porro iſtum poſſe facere, uidebat: debere, intelligebat: mentiri, quia cauſa cur mentiretur, non erat, non putabat: quaſi domi nummos haberet: ita cõſtituit Scapulis ſe daturum: Neuium certiorem facit: rogat ut curet, quod dixiſſet. Tum iſte uir optimus (uereor ne ſe derideri putet, quod iterũ iam dico optimus) qui hunc in ſummas angustias adductum putaret: ut eum ſuis conditionibus in ipſo articulo temporis aſtringeret: aſſem ſeſe negat daturum: niſi prius de rebus rationibusq; ſocietatis omnibus decidiſſet: et ſciſſet ſibi cũ Quintio controuerſiæ nihil futurum. poſtrius inquit iſta uidebimus Quintius: nunc hoc uelim cures (ſi tibi uidetur) quod dixiſti. negat ſe alia ratione facturum. quod promiſiſſet, non plus ſua referre: quam ſi, cum auctionem uenderet, domini iuſſu quippiam promiſiſſet. Deſtitutione illa perculſus Quintius, à Scapulis paucos dies aufert: in Galliam mittit: ut ea quæ proſcripſerat, uenirent. deteriore tempore abſens auctionatur: Scapulis difficiliore conditione diſſoluit. tunc appellat ultro Neuium: ut, quoniam ſuſpicaretur aliqua de re fore controuerſiam: uideret ut quamprimum & quam minima cum moleſtia tota res trãſigeretur. Dat iſte amicum M. Trebellium: nos communem neceſſarium, qui iſtius

domi erat educatus, & quo utebatur iſte plurimũ, propinquum noſtrum Sex. Alphenum. Res conuenire nullo modo poterat, propterea quod hic mediocrem iacturam facere cupiebat: iſte mediocri præda cõtentus non erat: itaq; ex eo tempore res eſſe in uadimonium cœpit. Cum uadimonia ſæpe dilata eſſent: et cum aliquantum temporis in ea re eſſet cõſumptum: neq; quicquam perfectum eſſet: uenit ad uadimonium Neuius. Obſecro C. Aquili, uosq; qui adeſtis in conſilio, ut diligenter attendatis: ut ſingulare genus fraudis, et nouam rationem inſidiarum cognoſcere poßitis. ait ſe auctionatum eſſe in Gallia: quod ſibi uideretur, ſe uendidiſſe: curaſſe ne quid ſibi ſocietas deberet: ſe iam neq; uadari amplius: neq; uadimonium promittere. ſi quid agere ſecum uelit Quintius, non recuſare. Hic, cum rem Gallicanam cuperet reuiſere, hominem in præſentia non uadatur. ita ſine uadimonio diſceditur. deinde Romæ dies XXX ferè Quintius commoratur: cum cæteris quæ habebat uadimonia differt: ut expeditus in Galliam proficiſci poſſet: proficiſcitur: Roma egreditur ante diem IIII Calend. Februarij Scipione & Norbano Conſs. quæſo ut eum diem memoriæ mandetis. L. Albius Sex. filius quirinas, uir bonus & comprimis honeſtus una profectus eſt. Cum uenissent ad Vada Volaterrana quæ nominantur: uident perfamiliarem Neuij, qui ex Gallia pueros uenales iſti adducebat, L. Publicium: qui ut Romam uenit, narrat Neuio, quo in loco uiderit Quintium. quod niſi ex Publicio narratum Neuio eſſet: non tam cito res in contentionem uenisset. tum Neuius ipſe, pueros circum amicos dimittit: ipſe ſuos neceſſarios ab atrijs Licinij: et à

faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi assint hora secunda postridie. ueniunt frequentes: testificantur isti P. Quintium non stetisse: et se stetisse. tabulæ maximæ signis hominũ nobilium consignantur: disceditur. postulat à Burrieno Prætore Neuius: ut ex edicto bona possidere liceat. iussit bona proscribi eius, qui cum familiaritas fuerat: societas erat: affinitas liberis istius uiuis diuelli nullo modo poterat. qua ex re intelligi facile potuit: nullum esse officium, tam sanctum, atq; solenne: quod non auaricia comminuere, atq; uiolare soleat. etenim si ueritate amicitia, fide societas, pietate ꝓpinquitas colitur: necesse est iste, qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, uanum se & perfidiosum et impium esse fateatur. Libellos Sex. Alphenus procurator P. Quintij familiaris et propinquus Sex. Neuij deijcit: seruulum unum quem iste prehenderat abducit: denuntiat sese procuratorem esse: istum æquum esse famæ fortunisq; P. Quintij consulere, & aduentum eius expectare. quod si facere nolit: atq; inhibuerit eiusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere: sese nihil precari: & si quid agere uelit, iudicio defendere. Hæc dum Romæ geruntur: Quintius interea contra ius & consuetudinem, edicto Prætoris de saltu agroq; communi à seruis communibus ui detruditur. Existima C. Aquili id, modo & ratione omnia Romæ Neuium fecisse: si hoc, qđ per literas istius in Gallia gestum est: recte atq; ordine factum uidetur. Expulsus atq; eiectus è prædio Quintius, accepta insigni iniuria, cõfugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in prouincia: quem ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino. Is eam

rem quàm uehementer uindicandam putarit, ex decretis eius poteritis cognoscere. Alphenus interea Romæ cum isto gladiatore uetulo quotidie pugnabat: utebatur populo sanè suo: ꝓpterea quod iste caput petere nõ desinebat. Iste postulat ut procurator iudicatum solui satisdaret. negat Alphenus æquum esse procuratorem satisdare: quod reus satisdare non deberet: si ipse adesset. appellantur Tribuni. à quibus cum esset certum auxilium petitum: ita tamen disceditur: ut idibus septẽbribus P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret. uenit Romam Quintius: uadimonium sistit. iste homo acerrimus bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum & sex menses nihil petit: quiescit: conditionibus hunc quoad potest ꝓducit. à Cn. Dolobella deniq; Prætore postulat: ut sibi Quintius iudicatũ solui satisdet, ex formula, quod ab eo petat: quoniam eius ex edicto Prætoris, Romæ bona dies XXX possessa sint. nõ recusabat Quintius quin ita satisdare iuberet: si bona possessa essent ex edicto. decernit. quàm æquum nihil dico: unum hoc dico: nouum: et hoc ipsum tacuisse mallem: quoniam utrunq; quiuis intelligere potuisset. iubet P. Quintium sponsionem cum Sex. Neuio facere: si bona sua ex edicto P. Burrieni Præt. dies XXX possessa non essent. recusabant qui aderant tum Quintio. demonstrabant de re iudicũ fieri oportere: ut aut uterq; inter se, aut neuter satisdaret. non necesse esse famam alterius in iudicium uenire. clamabat porrò ipse Quintius: sese iccirco nolle satisdare: ne uideretur iudicasse bona sua ex edicto possessa esse. sponsionem porrò si istiusmodi faceret, se (id quod nunc euenit) de capite suo priore loco causam esse dicturum. Do

lobella (quemadmodum solent homines nobiles: seu recte seu perperam facere cœperunt: ita in utroq; excellunt: ut nemo nostro loco natus assequi posset) iniuriam facere fortißime perseuerat. aut satisdare, aut sponsionem iubet facere: & interea recusantes nostros aduocatos acerrime submoueri. Cõturbatus sanè discedit Quintius. neq; mirum: cui hæc optio tam misera tamq; iniqua daretur: ut aut ipse se capitis damnaret, si satisdedisset: aut causam capitis, si sponsionem feciſset, priore loco diceret. Cùm in altera re causæ nihil esset, quin secus iudicaret ipse de se: quod iudicium grauißimum est: in altera spes esset ad talem tamen uirum iudicem ueniendi: unde eo plus opis auferret: quo minus attulisset gratiæ: sponsionem facere maluit. fecit: te iudicem C. Aquili sumpsit: ex sponso egit. in hoc summa iudicij causaq; tota consistit. Iudicium esse C. Aquili non de re pecuniaria, sed de fama fortunisq; P. Quintij uides. cum maiores ita constituerint: ut qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret: nos inaudita criminatione accusatorum, priore loco causam dicere intelligis. eos porrò qui defendere consuerunt uides accusare: & ea ingenia conuerti ad perniciem: quæ antea uersabantur in salute atq; auxilio ferendo. Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt: ut te in ius adducerent: ut nobis tempus quãdiu diceremus, præstitueres. quam rem facile à Prætore impetrassent: nisi tu quod esset tuum ius & officium, potestasq; docuisses. neq; nobis adhuc præter te quisquam fuit: ubi nostrum ius contra illos obtineremus: neq; illis unquam satis fuit illud obtinere: quod probari omnibus posset. ita sine iniuria potentiam leuem atq; inopem esse arbitrantur. Verum

quoniam tibi instat Hortensius, ut eas in cõsilium: à me postulat, ne dicendo tempus absumam: queritur priore patrono causam defendente, nunquã perorari potuisse: non patiar istam manere suspicionem, nos rem uidicari nolle. Nec illud mihi arrogabo: me posse causam commodius demonstrare, quàm antea demonstrata sit: neq; tamen tam multa uerba faciam: propterea quod et ab illo qui tum dixit informata iam causa est: & à me qui neq; excogitare, neq; pnunciare multa possum, breuitas postulatur: quæ mihi metipsi amicißima est. Faciã quod te sæpe animaduerti facere Hortensi: totam causæ meæ dictionem certas in partes diuidam. tu id semper facis: quia semp potes. ego in hac causa faciã: propterea quod in hac uideor posse facere. quod tibi natura dat, ut semper possis: id mihi causa dat, ut hodie possim. certos mihi fines terminosq; constituam: extra quos egredi non possim, si maxime uelim: ut & mihi sit propositum de quo dicam: & Hortensius habeat exposita: ad quæ respondeat: & tu C. Aquili iam ante animo prospicere possis, quibus de rebus auditurus sis. Negamus te bona P. Quintij Sexte Neui possedisse ex edicto Prætoris. In eo sponsio facta est. Ostendam primum causam non fuisse: cur à Prætore postulares: ut bona P. Quintij possideres. deinde, ex edicto te possidere non potuisse. postremo. non possedisse. Quæso C. Aquili uosq; qui estis in consilio, ut quid pollicitus sim, diligenter memoriæ mandetis. etenim rem facilius totam accipietis, si hæc memineritis: et me facile uestra existimatione reuocabitis: si extra hos cãcellos egredi conabor, quos mihi ipse circundedi. Nego fuisse causam cur postularet. nego ex edicto possidere potuisse. nego possedis

se. hæc tria cum docuero, perorabo. Non fuit causa cur postulares. quî hoc intelligi potest? quia Sex. Neuio neq; ex societatis ratione, neq; priuatim quicquam debuit Quintius. quis huic rei testis est? idem qui acerrimus aduersarius. in hac re te inquam testem Neui citabo. annum & eo diutius post mortem C. Quintij fuit in Gallia tecum simul Quintius: doce te petijsse ab eo istam nescio quam innumerabilem pecuniam: doce aliquando mentionem fecisse: dixisse deberi: debuisse concedam. Moritur C. Quintius: qui tibi, ut ais, certis nominibus grandẽ pecuniam debuit. hæres eius P. Quintius in Galliam ad teipsum uenit in agrum communem: eò deniq;, ubi non modo res erat, sed ratio quoq; omnis, & omnes literæ. quis tam dissolutus in re familiari fuisset? quis tam negligens? quis tam tui Sexte dissimilis? qui cum res ab eo, qui cum contraxisset, receßisset, & ad hæredem peruenisset: non hæredem cum primum uidisset, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? si quid in controuersiam ueniret: aut intra parietes, aut summo iure experiretur? ita ne est? quod uiri optimi faciũt: si qui suos propinquos ac necessarios caros & honestos esse atq; haberi uolunt: id Sex. Neuius nõ faceret? qui usq; eo feruet ferturq; auaricia: ut de suis commodis nolit aliquam partem amittere: ne quam partẽ huic propinquo suo ullius ornamenti relinquat. & is pecuniam si qua deberetur non peteret? qui quia quod debitum nunquam est, id datum non est: non pecuniam modo, uerumetiam hominis propinqui sanguinem uitãq; eripere conatur. Huic tu molestus esse uidelicet noluisti: quem nũc respirare libere non sinis: quem nunc interficere nefarie cupis: eum tũ prudenter appel

lare nolebas. Ita credo: hominem propinquum, tui obseruantem, uirum bonum, prudentem, maiorem natu, nolebas, aut non audebas appellare. sæpe, ut fit, cum ipse te cõfirmasses: cum statuisses de pecunia mentionẽ facere: cum paratus meditatusq; uenisses: homo timidus, uirginali uerecundia, subito ipse te retinebas: excidebat repente oratio: cum cuperes appellare, non audebas: ne inuitus audiret. id erat profecto, credamus hoc: Sex. Neuium, cuius caput oppugnet, eius auribus pepercisse. Si debuisset Sexte: petisses statim: si non statim: paulo quidem post: si non paulo: at aliquando: sex quidem illis mensibus profecto: anno uertente sine controuersia: anno & sex mẽsibus uero, cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi: uerbum nullum facis: biennio iam confecto ferè appellas. quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa iam, sed abundanti pecunia sic dissolutus fuisset? ut fuit Sex. Neuius? cum hominem nomino: satis mihi uideor dicere. debuit tibi C. Quintius. nunquam petisti. mortuus est ille: res ad hæredem uenit: cum eum quotidie uideres: post biennium deniq; appellas. dubitabitur utrũ sit probabilius: Sex. Neuium statim si quid deberetur: petiturum fuisse? an ne appellaturum quidem biennio? appellandi tempus non erat? at tecum anno plus uixit. in Gallia agi non potuit? at & in prouincia ius dicebatur: et Romæ iudicia fiebant. restat, ut aut summa negligentia tibi obsteterit: aut unica liberalitas. si negligentiam dices: miramur. si bonitatẽ: ridebimus. neq; præterea quid possis dicere inuenio. Satis est argumẽti nihil esse debitum Neuio: quod tã diu nihil petiuit. qd si hoc ipsum quod nunc facit, ostẽdo testimonio esse, nihil deberi? qd enim

nunc agit Sex. Neuius? qua de re controuersia est? quod est hoc iudiciũ: in quo iam biennium uersamur? quid negocij geritur: in quo ille tot et tales uiros defatigat? pecuniam petit: nunc deniq; ? ueruntamen petit: audiamus. de rationibus & controuersijs societatis uult dijudicari: sero. uerum aliquando tamen: concedamus. Non inquit id ago C. Aquili: neq; in eo nunc laboro. pecunia mea tot annos utitur P. Quintius. utatur sanè: non peto. quid igitur pugnas? an, quod sæpe multis in locis dixisti: ne in ciuitate sit? ne locum suum quem adhuc honestissime defendit: obtineat? ne numeretur inter uiuos? decernat de uita & ornamentis suis omnibus? apud iudicem causam priore loco dicat? & eam cum orarit: tũ deniq; uocẽ accusatoris audiat? quid? hoc quo pertinet? ut ocius ad tuum perueniat? at, si id uelles, iam pridem actum esse poterat. ut honestiore iudicio cõflictere? at sine summo scelere P. Quintium propinquum tuum iugulare non potes. ut facilius iudiciũ sit? at neq; C. Aquilius de capite alterius libenter iudicat: & Q. Hortensius contra caput non didicit dicere. Quid à nobis autem C. Aquili refertur? pecuniam petit. negamus deberi. iudicium fiat statim. non recusamus. nunquid præterea? si ueretur, ut res iudicio facto parata sit: iudicatũ solui satis accipiat. quibus à me uerbis satis accipiet: ipsum ipse quod peto, satisdet. actum iam potest esse C. Aquili: iam tu potes discedere liberatus molestia propè dicam non minore, quàm Quintius. Quid agimus Hortensi? quid de hac cõditione dicimus? possumus aliquando depositis armis, sine periculo fortunarum, de re pecuniaria disceptare? possumus ita rem nostrã persequi? ut hominis ppinqui caput incolume esse patiamur? posQVINTIO 8

sumus petitoris personã capere? accusatoris deponere? immo inquit abs te satis accipiam: ego autem tibi non satisdabo. quis tandem nobis ista iura tam æqua describit? quis hoc statuit? quod æquum sit in Quintium: id iniquum esse in Neuium? Quintij bona inquit ex edicto Prætoris possessa sunt. ego id ut confitear, postulas. ut quod nunquam factum esse iudicio defendimus: id perinde quasi factum sit nostro iudicio confirmemus. Inueniri ratio C. Aquili non potest? ut ad suum quisq; quamprimum sine cuiusquam dedecore, infamia, pernicieq; perueniat? profecto si qd deberetur: peteret: non omnia iudicia fieri mallet: quàm unum illud unde hæc omnia iudicia nascuntur. Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium: cum potestas esset agendi quotidie: qui quo tempore primũ male agere cœpit: in uadimonijs differendis tempus omne cõsumpserit: qui postea quoq; uadimonium missum fecerit: hunc per insidias ui de agro communi deiecerit: qui, cum de re agendi nullo recusante potestas fuisset: sponsionẽ de probro facere maluerit: qui, cum reuocetur ad id iudicium unde hæc nata sunt omnia: conditionem æquissimam repudiet: fateatur se non pecuniam sed uitam & sanguinem petere: is non hoc palàm dicit? mihi si quid deberetur peterem: atq; adeo iam pridẽ absoluissem: nihil hoc tanto negocio, nihil tam inuidioso iudicio, nihil tam copiosa aduocatione uterer: si petendum esset. exorquendum est inuito atq; ingratis: quod non debet, eripiendũ atq; exprimendum est: de fortunis omnibus P. Quintius deturbandus est: potentes, diserti, nobiles omnes aduocandi sunt: adhibenda uis est ueritati: minæ iactentur: pericula intendantur: formidines opponantur: ut

his rebus aliquando uictus & perterritus ipse cedat. quæ me hercule omnia, cum qui contra pugnēt, uideo: & cum illum consessum cōsydero: adesse atq; impendere uidentur: neq; uitari ullo modo posse. cum autē ad te C. Aquili oculos animumq; retuli: quo maiore conatu studioq; aguntur: eo leuiora infirmioraq; existimo. Nihil igitur debuit: ut tu ipse prædicas. quid si debuisset? continuo ne causa fuisset: cur à Prætore postulares: ut bona possideres? non opinor id quidē, neq; ius esse: neq; cuiquam expedire. quid igitur demonstrat? uadimoniū sibi ait esse desertum. ante quàm doceo id factum non esse: libet mihi C. Aquili ex officij ratione, atq; ex omnium consuetudine rem ipsam & factum simul Sex. Neuij considerare. ad uadimonium non uenerat ut ais, is: qui cū tibi affinitas, societas, omnes deniq; causæ, & necessitudines ueteres intercedebant. illico ne ad Prætorem ire conuenit? continuo ne uerum fuit postulare: ut ex edicto bona possidere liceret? ad hæc extrema & inimicissima iura tam cupide decurrebas? ut tibi nihil in posterum, quod grauius atq; crudelius facere posses: reseruares. nam quid homini potest turpius, quid uero miserius, aut acerbius usu uenire? quod tantum euenire dedecus? quæ tanta calamitas inueniri potest? pecuniam si cuipiam fortuna ademit: aut si alicuius eripuit iniuria: tamen dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. at non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus, bonis quidem suis utitur: alterius opes, id quod miserrimum est: non expectat. hoc tamen in miserijs adiumento & solatio subleuatur. cuius uero bona uenierunt: cuius non modo illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam uictus

etiam uictus uestitusq; necessarius sub præcone cum dedecore subiectus est: is non modo ex numero uiuorum exturbatur: sed, si fieri potest, infra etiam mortuos mandatur. etenim mors honesta sæpe uitam quoque turpem exornat: uita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit. Ergo hercule cuius bona ex edicto possidentur: huius omnis fama, & existimatio cum bonis simul possidetur. de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur: huic ne perire quidem certe tacite obscureq; conceditur. cui magistri fiunt, & domini constituuntur, qui qua lege, & qua conditione pereat, pronuncient: de quo homine præconis uox prædicat, & precium conficit: huic acerbissimum uiuo uidentiq; funus ducitur: si funus id habendum sit: quo non amici conueniunt ad exequias cohonestandas: sed bonorum emptores, ut carnifices, ad reliquias uitæ lacerandas, & distrahendas. Itaq; maiores nostri raro id accidere uoluerunt: Prætores, ut considerate fieret, comparauerunt. uiri boni cum palàm fraudantur: cum experiundi potestas non est: timide tamen & pedetentim istuc descendunt, ui ac necessitate coacti, inuiti, multis uadimonijs desertis, sæpe illusi ac destituti. considerant enim quid & quantum sit, alterius bona proscribere. iugulare ciuem ne iure quidem quisquam bonus uult. mauult enim commemorare se, cum posset perdere, pepercisse: quam cum parcere potuerit, perdidisse. hæc in homines alienissimos, deniq; inimicissimos, uiri boni faciunt, & hominum existimationis, & communis humanitatis causa: ut cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint: nihil ipsis iure incommodi cadere possit. Ad uadimonium non uenit. quis? propinquus si

res ista grauissima sua sponte uideretur: tamen eius atrocitas, necessitudinis nomine leuaretur. Ad uadimonium non uenit. quis? socius. etiam grauius aliquid ei deberes concedere: qui cum te aut uoluntas congregasset: aut fortuna coniunxisset. Ad uadimonium non uenit. quis? is qui tibi præsto semper fuit. ergo in eum qui semel hoc commisit: ut tibi præsto non esset: omnia tela coniecisti: quæ parata sunt in eos: qui permulta male agendi causa fraudandiq; fecerunt. Si dupondius tuus ageretur Sex. Neui: si in paruula re captionis aliquid uerere: non statim ad C. Aquilium, aut ad eorum aliquem, qui consuluntur, concurrisses? cum ius amicitiæ, societatis, affinitatis ageretur: cum officij rationem atque existimationis duci conueniret: eo tempore tu non modo ad C. Aquilium, aut L. Lucullum, sed ne ipse quidem te consuluisti: sed ne ipse quidem ad te retulisti: ne hæc quidem tecum locutus es: horæ duæ fuerunt: Quintius ad uadimonium non uenit: quid ago? si me hercule hæc tecum duo uerba fecisses: quid ago? respirasset cupiditas, atque auaricia paululum: aliquid loci rationi & consilio dedisses: tu te collegisses: non in eam turpitudinem uenisses, ut hoc tibi esset apud tales uiros confitendum: qua tibi uadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cœpisse, hominis propinqui fortunas funditus euertere. ego pro te nunc hoc consulo post tempus in aliena re: quod tu in tua re, cum tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te C. Aquili, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle, uadimonium mihi non obijt quidam socius & affinis meus: qui cum mihi necessitudo uetus, cõtrouersia de re pecuniaria recens, intercedit: postulo ne à Præ

tore, ut eius bona mihi possidere liceat? an cum Romæ domus eius, uxor, liberi sint: domum potius denunciem? quid est quod hac tandem de re uobis possit uideri? profecto si recte uestram bonitatem atque prudentiam cognoui, non multum me fallit: si consulamini, quid sitis responsuri. primum expectare: deinde, si latitare, ac diutius ludificare uideatur, amicos conuenire: quærere quis procurator sit: domum denunciare. dici uix potest quàm multa sint, quæ respondeatis ante fieri oportere: quàm ad hanc rationem extremam necessariam deuenire. Quid ad hæc Neuius? ridet scilicet nostram amentiam: qui in uita sua rationem summi officij desideremus: & instituta bonorum uirorum requiramus. quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia, ac diligentia? uiderint, inquit, ista officia uiri boni. de me ista considerent: non quid habeam, sed quibus rebus inuenerim quærant: & quemadmodum natus, & quo pacto educatus sim, memini. uetus est de scurra: multo facilius diuitem quàm patrem familias fieri posse. Hæc ille si uerbis non audet: re quidem uera palàm loquitur. etenim si uult uirorum bonorum instituto uiuere: multa oportet discat, atque dediscat: quorum illi ætati utrunque difficile est. Non dubitaui inquit, cum uadimonium desertum esset: bona proscribere. improbe. uerum, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi postulas, concedamus. Quid si nunquam deseruit? si ista causa abs te tota per summam fraudem & maliciam ficta est? si uadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullum fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at etiam si desertum uadimonium esset: tamen in ista postulatione & proscriptione bonorum, im

probißimus reperiebare. num malicioſum? negas. fraudulentum? iam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. audacem? cupidum? perfidioſum? uulgaria & obſoleta ſunt: res autem noua & inaudita. quid ergo eſt? uereor mehercule, ne aut grauioribus utar uerbis, quam natura fert: aut leuioribus, quam cauſa poſtulat. ais eſſe uadimonium deſertum. quæſiuit à te ſtatim, ut Romam redijt Quintius, quo die uadimonium iſtuc factum eſſe diceres. reſpondiſti ſtatim nonis Februarij. diſcedens in memoriam redijt Quintius, quo die Romæ in Galliam profectus ſit: ad Ephemeridem reuertitur: inuenitur dies profectionis, pridie Calend. Februarij. nonis Februarij ſi Romæ fuit: cauſæ nihil dicimus, quin tibi uadimonium promiſerit. quid? hoc inueniri quî poteſt? profectus eſt unà. L. Albius homo cum primis honeſtus: dicet teſtimonium. proſecuti ſunt familiares & Albij, & Quintij: dicent hi quoque teſtimonium. literæ P. Quintij, teſtes tot, quibus omnibus cauſa iuſtißima eſt, cur ſcire potuerint: nulla, cur mentiantur, cum à ſtipulatore tuo comparabuntur. Et in hac eiuſmodi cauſa P. Quintius laborabit? & diutius in tanto metu miſer periculoq; uerſabitur? & uehementius eum gratia aduerſarij perterrebit, quam fides iudicis conſolabitur? uixit enim ſemper inculte atque horride: natura triſti ac recondita fuit: non ad ſolarium, non in campo, non in conuiuijs uerſatus eſt: id egit, ut amicos obſeruantia, rem parſimonia retineret: antiquam officij rationem dilexit: cuius ſplendor omnis his moribus obſoleuit. At ſi in cauſa pari diſcedere inferior uideretur: tamen eſſet non mediocriter conquerendum. nunc in cauſa ſuperiore: ne ut par quidem

ſit, poſtulat: inferiorem eſſe patitur: duntaxat uſq; eo, ne cum bonis, fama, fortunisq; omnibus Sex. Neuij cupiditati crudelitatiq; dedatur. Docui quod primum pollicitus ſum C. Aquili: cauſam omnino cur poſtularet, non fuiſſe: quod neque pecunia debebatur: & ſi maxime deberetur: cõmiſſum nihil eſſet, quare ad iſtam rationem perueniretur. Attendite nunc, ex edicto Prætoris, bona P. Quintij poßidere nullo modo potuiſſe. Recita edictum. QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT. Non eſt is Quintius. niſi latitãt, qui ad negocium ſuum relicto procuratore proficiſcuntur. CVI HAERES NON EXTABIT. Ne is quidem. QVI EXILI CAVSA SOLVM VERTERIT.

Quo tempore exiſtimas oportuiſſe Neui abſentem Quintium defendi? aut quomodo? tum, cum poſtulabas, ut bona poſſideres? nemo adfuit. neque enim quiſquam diuinare poterat, te poſtulaturum: neque quenquam attinebat id recuſare: quod Præ. non fieri, ſed ex edicto ſuo fieri iubebat. qui locus igitur abſentis defendendi procuratori primus datus eſt? cum proſcribebas. ergo affuit: non paſſus eſt: libellos deiecit Sex. Alphenus. Qui primus erat officij gradus, ſeruatus eſt à procuratore ſumma cum diligentia: uideamus quæ deinde ſint conſecuta. hominem Pub. Quintij deprehendis in publico: conaris abducere: non patitur Alphenus: ui tibi ademit: curat ut domum reducatur ad Quintium. hic quoq; ſumme conſtat procuratoris diligentis officium. debere tibi dicis Quintium. procurator negat. uadari

uis: promittit. in ius uocas: sequitur. iudicium postulas: non recusat. quid aliud sit absentem defendi, ego non intelligo. At quis erat procurator? credo aliquem eiectum hominem, egentem, litigiosum, improbum, qui posset scurræ diuitis quotidianũ conuitium sustinere. nihil minus. Eques Romanus locuples, sui negocij bene gerens: denique is, quem quotiens Neuius in Galliam profectus est, procuratorem Romæ reliquit. & audes Sex. Neui negare absentem defensum esse Quintium? cum eum defenderit idem, qui te solebat: & cum is iudicium acciperet pro Quintio: cui tu & rem & famam tuam commendare proficiscens, & concredere solebas: conaris hoc dicere: neminem extitisse qui Quintium iudicio defenderet? Postulabam inquit, ut satisdaret. iniuria postulabas: ita uidebare: recusabat Alphenus. ita: uerum Prætor decernebat. tribuni igitur appellabantur. hic te inquit, teneo: non est istud iudicium pati, neque iudicio defendere: cum auxilium à Tribunis petas. hoc ego, cum attendo qua prudentia sit Hortensius, dicturum esse eum non arbitror: cum autem antea dixisse audio, & causam ipsam considero: quid aliud dicere posit, non reperio. fatetur enim libellos Alphenum deiecisse: uadimonium promisisse: iudicium quin acciperet in ea ipsa uerba, quæ Neuius edebat, non recusasse: ita tamen more & instituto per eum magistratum, qui auxilij causa constitutus est. aut hæc facta non sint, necesse est: aut C. Aquilius talis uir uratus hoc ius in ciuitate constituat: cuius procurator non omnia iudicia acceperit, quæ quisque in uerba postularit: cuius procurator à Prætore ad Tribunos appellare ausus sit, eum non defendi: eius bona recte

possideri posse: ei misero, absenti, ignaro fortunarum suarum, omnia uitæ ornamenta per summum dedecus, & ignominiam diripi conuenire. quod si probari nemini potest: illud certe probari omnibus necesse est: defensum esse iudicio absentem Quintium. Quod cum ita est: ex edicto bona possessa non sunt. At enim Trib. pl. ne audierunt quidem. fateor, si ita est, procuratorem decreto Pr. R. oportuisse parere. quid si M. Brutus intercessurum se dixit palàm: nisi quid inter ipsum Alphenum & Neuium conueniret? uidetur ne interceßisse appellatio Tribunorum, non moræ, sed auxilij causa? Quid deinde fit? Alphenus ut omnes intelligere possent, iudicio defendi Quintium: ne qua subesse posset aliena aut ipsius officio, aut huius existimatione suspicio, uiros bonos complures aduocat: testatur isto audiente, se pro communi necessitudine id primum petere: nequid atrocius in P. Quintium absentem sine causa facere conetur. sin autem inimicissime atque infestissime contendere perseueret: se paratum esse omni recta atque honesta ratione defendere, quod petat, non deberi: se iudicio, id quod edat, accipere. eius rei, conditionis q; tabellas obsignauerunt uiri boni complures: res in dubium uenire non potest. fit rebus omnibus integris, neque proscriptis, neque possessis bonis, ut Alphenus, promittat Neuio sisti Quintium. uenit ad uadimonium Quintius. iacet res in controuersijs isto calumniante biennium: usque dum inueniretur, qua ratione res ab usitata consuetudine recederet, & in hoc singulare iudicium causa omnis concluderetur. Quod officium Aquili commemorari procuratoris potest, quod ab Alpheno præteritũ esse uideatur? quid affertur, quare P.

Quintius absens negatur esse defensus? an uero id quod Hortensium, quia nuper iniecit & quia Neuius semper id clamitat, dicturum arbitror: non fuisse Neuio parem certationem cum Alpheno, illo tempore, illis dominantibus? quod si uelim confiteri, illud opinor concedent: non procuratorem P. Quintij neminem fuisse: sed gratiosum fuisse. mihi autem ad uincendum satis est: fuisse procuratorem, qui cum experiri posset. qualis is fuerit, si modo absentem defendebat per ius & magistratum, nihil ad rem arbitror pertinere. Erat inquit illarum partium. quid ni? qui apud te esset educatus: quem tu à puero sic instituisses, ut nobili, ne gladiatori quidem haereret: sicut tu semper summe concupisti, idem uolebat Alphenus. ea re tibi cum eo par contentio erat. Bruti inquit erat familiaris. itaque is intercedebat. tu contra Burrieni, qui iniuriam decernebat: omnium denique illorum, qui tum & poterant per uim & scelus plurimum: & quod poterant id audebant. an omnes tu istos uincere uolebas: qui nunc tu ut uincas, tantopere laborant? aude id dicere, non palàm, sed his ipsis quos aduocasti. Tametsi nolo eam rem commemorando renouare: cuius omnino rei memoriam omnem tolli funditus ac deleri arbitror oportere. unum illud dico: si propter partium studium potens erat Alphenus: potentißimus Neuius. si fretus gratia postulabat aliquid iniquius Alphenus: multo iniquiora Neuius impetrabat. neque enim inter studium uestrum, quicquam, ut opinor interfuit: ingenio, uetustate, artificio, tu facile uicisti. ut alia omittam, hoc satis est. Alphenus cum his, & propter eos perijt, quos diligebat. tu postquam, qui tibi erant amici, non poterant uincere: ut amici tibi essent, qui uin

cebant, effecisti. quod si tum par tibi ius cum Alpheno fuisse non putas: quia tamen aliquem contra te aduocare poterat: quia magistratus aliquis reperiebatur, apud quem Alpheni causa consisteret: quid hoc tempore Quintio statuendum est? cui neq; magistratus adhuc aequus inuentus est: neq; iudicium redditum est usitatum: non conditio, non sponsio, non denicq; ulla unquam interceßit postulatio, mitto aequa, uerũ ante hoc tempus, ne fando quidem audita. De re pecuniaria cupio contendere. non licet. at ea controuersia est. nihil ad me attinet: causam capitis dicas oportet. accusa, ubi ita necesse est. non inquit, nisi tu ante nouo modo priore loco dixeris, dicendum necessario est. restituendae horae ad arbitrium nostrum. Iudex ipse arcessetur. Quid tum? tu aliquem patronum inuenies hominem antiqui officij: qui splendorem nostrum & gratiam neglegat? pro me pugnabit L. Philippus, eloquentia, grauitate, honore, florentißimus ciuitatis. dicet Hortensius excellens ingenio, nobilitate, existimatione. aderunt autem homines nobilißimi, ac potentißimi: quorum frequentiam & consessum non modo P. Quintius, qui de capite decernit: sed quiuis, qui extra periculum sit, perhorresçat. Haec est iniqua certatio: non illa quae tum contra te Alphenus uelitabatur. huic ne ubi consisteret quidem contra te locum reliquisti. Quare aut doceas oportet; Alphenum negasse se procuratorem esse: non deiecisse libellos: iudicium accipere noluisse: aut, cum haec facta sint, ex edicto te bona P. Quintij non possedisse concedas. etenim si ex edicto possedisti: quaero cur bona non uenierint? cur ceteri sponsores & creditores non conuenerint? nemo ne fuit cui

deberet Quintius? fuerunt, & complures fuerunt: propterea quod C. frater aliquantum æris alieni reliquerat. quid ergo est? homines erant ab hoc omnes alienissimi: & his debebatur: neq; tamen quisquam inuentus est tam insignite improbus: qui uiolare P. Quintij existimationem absentis auderet. unus fuit, affinis, socius, necessarius, Sex. Neuius: qui, cum ipse ultro deberet, quasi eximio præmio sceleris expositio, cupidissime contenderet: ut per se afflictum atque euersum propinquum suum non modo honeste partis bonis, uerum etiam communi luce priuaret. ubi erant cæteri creditores? deniq; hoc tempore ubi sunt? quis est qui fraudationis causa latuisse dicat? quis qui absentem defensum neget esse Quintium? nemo inuenitur. at contra omnes, quibus cum ratio huic aut est, aut fuit: assunt, defendunt: fides huius multis locis cognita, ne perfidia Sex. Neuij derogetur, laborant. In huiusmodi sponsionem testes dare oportebat: ex eo numero, qui hæc dicerent: uadimonium mihi deseruit: me fraudauit: à me nominis eius, quod inficiatus esset, diem petiuit: ego experiri non potui: latitauit, procuratorem nullum reliquit. horum nihil dicitur. parantur testes, qui hæc dicant. uerum opinor uiderimus, cum dixerint. unum tamen hoc cogitent: ita se graues esse: ut, si ueritatem uolent retinere, grauitatem possint obtinere. si eam negligent: ita leues sint: ut omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium, sed ad uerum probandum, authoritatem adiuuare. Ego hæc duo quæro: primum qua ratione Neuius susceptum negocium non transegerit: hoc est cur bona, quæ ex edicto possidebat, non uendiderit. deinde cur ex tot creditoribus

alijs ad istam rationem nemo accesserit: ut necessario confiteare: neq; eorum tam temerarium quenquam fuisse: neq; teipsum, id quod turpissime suscepisses, perseuerare & transigere potuisse. Quid si tu ipse Sex. Neui statuisti bona P. Quintij ex edicto possessa non esse? opinor tuum testimonium, quod in aliena re leue esset: id in tua, quoniam contra te est, grauissimum debet esse. Emisti bona Sex. Alpheni L. Sylla Dictatore uendente: socium tibi in huius bonis edidisti Quintium. plura non dico. cum eo tu uoluntariam societatem coibas: qui te in hæreditaria societate fraudarat: & cum iudicio tuo comprobabas: quem spoliatum fama fortunisq; omnibus arbitrabare. Diffidebam mehercule C. Aquili satis animo certo & confirmato me posse in hac causa consistere: sic cogitabam: cum contra dicturus esset Hortensius: & cum esset attente auditurus Philippus: fore uti permultis in rebus timore prolaberer. dicebam huic Q. Roscio, cuius soror est cũ P. Quintio: cum à me peteret, & summe contenderet, ut propinquum suum defenderem: mihi perdifficile esse contra tales oratores nonmodo tantam causam perorare: sed omnino uerbum facere conari. cum cupidius instaret: homini pro amicitia familiarius dixi: mihi uideri ore durissimo esse: qui præsente eo gestum agere conaretur. qui uero cum ipso contenderent: eos etiam si quid antea recti aut uenusti habere uisi sunt, id amittere. nequid mihi eiusmodi accideret, cum contra talem artificem dicturus essem, me uereri: tum mihi Roscius & alia multa confirmandi mei causa dixit: & mehercule si nihil diceret: tacito ipso officio, & studio, quod habebat erga propinquum suum, quemuis

commoueret. etenim cum artifex eiusmodi sit: ut solus dignus uideatur esse, qui in scena spectetur: tum uir eiusmodi est, ut solus dignus uideatur: qui eò non accedat. ueruntamen, quid si, inquit, habes eiusmodi causam, ut hoc tibi planum sit faciendum: neminem esse, qui possit biduo, ad summum triduo, septingenta milia passuum, ambulare? tamen ne uereris ut possis hæc contra Hortensium contendere? minime inquam. sed quid id ad rem? nimirum inquit in eo causa consistit. quomodo? docet me eiusmodi rem, & factum simul Sex. Neuij: quod si solum proferretur, satis esse deberet. quod abs te, C. Aquili, & à uobis qui adestis in consilio, quæso, ut diligenter attendatis: profecto intelligetis, illinc ab initio cupiditatem pugnasse, & audaciam. hinc ueritatem, & pudorem, quoad potuerit, restitisse. Bona postulas ut ex edicto possidere liceat: quo die? teipsum Neui uolo audire: uolo inauditum facinus, ipsius, qui id commisit, uoce conuinci. dic Neui diem. ante V Cal. intercalares. bene agis. quàm longe est hinc in saltum uestrum Gallicanum? Neui te rogo. DCC millia passuum. optime. de saltu deijcitur Quintius, quo die? possumus hoc quoq; ex te audire? quid taces? dic inquam diem. pudet dicere. intelligo. uerum, & sero, & ne quicquum pudet. deijcitur de saltu C. Aquili pridie Cal. intercalares. biduo post. at ut statim de iure aliquis concurrerit: non toto triduo DCC millia passuum conficiuntur. O' rem incredibilem: O' cupiditatem inconsideratam: O' nuncium uolucrem. administri & satellites Sex. Neuij Roma transalpis in Sebusianos biduo ueniunt. O' hominem fortunatum: qui eiusmodi nuncios seu potius pegasos habeat. hic ego si Crassi omnes cum Antonijs existant: si tu L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc causam uoles cum Hortensio dicere: tamen superior sim necesse est. Non enim, quemadmodum putatis: omnia sunt in eloquentia. est quædam tamen ita perspicua ueritas: ut eam infirmare nulla res possit. an antequam postulasti, ut bona possideres, misisti qui curarent, ut dominus de suo fundo à sua familia ui deijceretur? utrumlibet elige. alterum incredibile est, alterum nefarium: & ante hoc tempus utrunq; inauditum. Septingenta millia passuum uis esse decursa biduo? dic: negas? ante igitur misisti. mallo. si enim illud diceres: improbe mentiri uiderere. cum hoc confiteris: id te admisisse concedis, quod ne mendacio quidem tegere possis. Hoc consilium Aquilio & talibus uiris tam cupidum, tam audax, tam temerarium probabitur? quid hæc amentia? quid hæc festinatio? quid hæc immaturitas tanta significat? non uim? non scelus? non latrocinium? non deniq; omnia potius quàm ius, quàm officium, quàm pudorem? Mittis iniussu Prætoris. quo consilio? iussurum sciebas? quid? cum iussisset, tum mittere non ne poteras? postulaturus eras. quando? post dies XXX. nempe si te nihil impediret: si uoluntas eadem maneret: si ualeres: denique si uiueres. Prætor iussisset. opinor si uellet: si ualeret: si ius diceret: si nemo recusaret, qui ex ipsius decreto & satisdaret, & iudicium accipere uellet. nam per deos immortales si Alphenus procurator P. Quintij tibi tum satisdaret, & iudicium accipere uellet: deniq; omnia quæ postulares, facere uoluisset, quid ageres? reuocares eum quem in Galliam miseras? at hic quidem iam

de fundo expulsus, iam à suis dijs pœnatibus præceps iectus, iam quod indignißimum est, suorum seruorum manibus, nuncio atque imperio tuo uiolatus essset. corrigenes hæc scilicet tu postea. de cuiusquam uita dicere audes? qui hoc concedas necesse est: ita te cæcum cupiditate & auaricia fuisse: ut cum postea quid futurum esset, ignorares: accidere autem multa possent: spem maleficij præsentis in incerto reliqui temporis cuē tu collocares? Atq; hæc perinde loquor, quasi ipso illo tempore, cum te Prætor iußisset ex edicto possidere: si in possessionem misisses, debueris aut potueris P. Quintium de possessione deturbare. Omnia sunt C. Aquili eiusmodi: quiuis ut perspicere possit: in hac causa improbitatem, & gratiam, cum inopia, & ueritate contendere. Prætor te quemadmodum possidere iußit? opinor ex edicto. Sponsio quæ in uerba facta est? si ex edicto Pr. bona P. Quintij possessa non sunt. redeamus ad edictum. id quidem quemadmodum iubet possidere? nunquid est causæ C. Aquili, quin si longe aliter possedit, quàm Prætor edixit: iste ex edicto non possederit: ego sponsione uicerim? nihil opinor. cognoscamus edictum. QVI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERIT. De te loquitur Neui, quemadmodum tu putas: ais enim te ex edicto uenisse: tibi quid facias, definit: te instituit: tibi præcepta dat. EOSITA VIDETVR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. Quomodo? QVOD IBIDEM RECTE CVSTODIRE POTERVNT: ID IBIDEM CVSTODIANT. QVOD NON POTERVNT: ID AVFERRE ET ABDVCERE

LICEBIT. Quid tum? DOMINVM, inquit, INVITVM DETRVDERE NON PLACET. eum ipsum, qui fraudandi causa latitet: eū ipsum, quem iudicio nemo defendat: eum ipsum, qui cum omnibus creditoribus suis male agat, inuitum de prædio detrudi uetat. Proficiscenti tibi in possessionem Prætor ipse Sex. Neui palàm dicit ita posideto. ut tecum simul possideat Quintius: ita posideto, ut Quintio uis non adferatur. quid? tu id quemadmodum obseruas? mitto illud dicere, eum qui non latitarit: cui Romæ domus, uxor, liberi, procurator esset: eum, qui tibi uadimonium non deseruisset: hæc omnia mitto: illud dico, dominum expulsum esse de prædio: domino à familia sua manus allatas esse ante suos lares familiares. hoc dico.

Neuium ne appellasse quidem Quintium: cum simul esset: experiri posset quotidie. Deinde quod omnia iudicia difficillima cum summa sua inuidia, maximoq; periculo P. Quintij fieri mallet: quàm illud pecuniarium iudicium, quod uno die transigi posset: ex quo uno hæc omnia nata, & profecta esse concedit. quo in loco conditionem tuli: si uellet pecuniam petere, P. Quintium iudicatum solui satisdaturum: dum ipse, si quid peteret, pari conditione uteretur. Ostendi quàm multa ante fieri cōuenerit: quàm hominis propinqui bona possideri postularentur: præsertim cum Romæ domus eius, uxor, liberi essent, & procurator æque utriusq; necessarius. Docui cum desertum esse dicat ua-

dimonium, omnino uadimonium nullum fuisse: quo die hunc sibi promisisse dicat: eo die ne Romæ quidem eum fuisse. id testibus me pollicitus sum planum factu-rum: qui & scire deberent, & causam, cur mentiren-tur, non haberent. Ex edicto autem non potuisse bona possideri, demonstraui: quod neq; fraudandi causa la-titasset: neq; exilij causa solum uertisse diceretur. Re-liquum est, ut eum nemo iudicio defenderit: quod con-tra copiosissime defensum esse contendi, non ab homi-ne alieno, neq; ab aliquo calumniatore, atq; improbo, sed ab Equite Ro. propinquo, & necessario suo: quem ipse Sex. Neuius procuratorem relinquere antea con-suesset. neq; eum, si Tribunos appellarit: iccirco minus iudicio pati paratum fuisse. neq; potentia procurato-ris Neuio ius ereptum: contra istum potentia sua tum tantummodo superiorem fuisse: nunc nobis uix respi-randi potestatem dare. Quæsiui quæ causa fuisset, cur bona non uenissent, cum ex edicto possiderentur. De-inde illud quoq; requisiui: qua ratione ex tot creditori-bus nemo neq; tum idem fecerit: neq; nunc contradicat: omnesq; pro P. Quintio pugnent: præsertim cum in tali iudicio testimonia creditorum existimentur ad rem maxime pertinere. Postea sum usus aduersarij testimo-nio: qui sibi eum nuper edidit socium: quem quomodo nunc intendit, ne in uiuorum quidem numero tum demonstrat fuisse. Tum illam incredibilem celerita-tem seu potius audaciam protuli: confirmaui necesse esse: aut biduo DCC millia passuum esse decursa: aut Sex. Neuium diebus compluribus ante in possessio-nem misisse, quàm postularet: uti ei liceret bona possi-dere. Postea recitaui edictum: quod aperte dominum de prædio

de prædio detrudi uetaret: in quo constitit Neuium ex edicto non possedisse: cum confiteretur ex prædio ui detrusum esse Quintium. Omnia autem bona possessa non esse constitui: quod bonorum possessio spectetur nõ in aliqua parte, sed in uniuersis, quæ teneri ac possideri possint. Dixi Romæ domum fuisse: quo iste ne aspi-rarit quidem: seruos complures: ex quibus iste possede-rit neminem: ne attigerit quidem. unum fuisse quem attingere conatus sit: prohibitum fuisse: quieuisse. in ipsa Gallia cognostis in prædia priuata Quintij Sex. Neuium non uenisse. deniq; ex hoc ipso saltu, quem per uim expulso socio possedit: seruos priuatos Quin tij nõ omnes eiectos esse. Ex quo, & ex cæteris dictis fa ctis cogitatisq; Sex. Neuij quiuis potest intelligere istũ nihil aliud egisse: neq; nunc agere: nisi uti per uim, per iniuriam, per iniquitatem iudicij, totum agrum qui communis est suum facere possit. Nunc causa per-orata, res ipsa & periculi magnitudo C. Aquili coge-re uidetur: ut te, atq; eos, qui tibi in consilio sunt, obse cret, obtesteturq; P. Quintius per senectutem ac soli-tudinem suam, nihil aliud, nisi ut uestræ naturæ boni-tatiq; obsequamini. ut cũ ueritas cũ hoc faciat: plus hu ius inopia possit ad misericordiam: quàm illius opes ad crudelitatem. quo die ad te iudicem uenimus eodem die illorum minas, quas ante horrebamus: negligere cœpi-mus. Si causa cum causa contenderet: nos nostram per-facile cuiuis probaturos statuebamus. quod uitæ ratio cum ratione uitæ decerneret. iccirco nobis etiam ma-gis te iudice opus esse arbitrati sumus. Ea res enim nunc in discrimine uersatur: utrum ne possit se contra luxuriem, ac licentiam, rusticana illa atq; inculta par-

simonia defendere: an deformata atque ornamentis omnibus spoliata, nuda cupiditati, petulantiæq; addicatur. Non comparat se tecum gratia P. Quintius Sex. Neui: non opibus, non facultate contendit: omnis tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. fatetur se non belle dicere: non ad uoluntatem loqui posse: non ab afflicta amicitia transfugere: atque ad florentē aliam deuolare: non profusis sumptibus uuere: non ornare magnifice splendideque conuiuium: non habere domum clausam pudori & sanctimoniæ: patentem atque adeo expositam cupiditati & uoluptatibus. contra sibi officium, fidem, diligentiam, uitam omnino semper horridam, atq; aridam cordi fuisse. ista superiora esse, ac plurimum posse his moribus sentit. Quid ergo est? non usq; eo tamen ut in capite fortunisq; hominum honestissimorum dominentur hi: qui relicta bonorum uirorum disciplina, & quæstum & sumptum Gallonij sequi maluerunt: atq; etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaq; uixerunt. Si licet uiuere eum, quem Sex. Neuius non uult: si est homini honesto locus in ciuitate inuito Neuio: si fas est respirare P. Quintium contra nutum ditionemq; Neuij: si quæ pudore ornamenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam te defendente obtinere: spes est, & hunc miserū atq; infelicem aliquando tandē posse consistere. sin & poterit Neuius id quod libet: & ei libebit quod non licet: quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? qui deniq; quæstus, qui mœror dignus inueniri in calamitate tanta potest? Miserū est ex turbari fortunis omnibus. miserius est, iniuria. acerbum est ab aliquo circunueniri. acerbius, à ppinquo. calami

tosum est bonis euerti. calamitosius, cum dedecore. funestum est à forti atq; honesto uiroiugulari. funestius, ab eo cuius uox in præconio quæstum præstitit. indignum est à pari uinci aut superiore. indignius, ab inferiore, atq; humiliore. luctuosum est tradi alteri cum bonis. luctuosius, inimico. horribile est causam capitis dicere. horribilius, priore loco dicere. Omnia circunspexit Quintius: omnia periclitatus est C. Aquili: nō Prætorē modo, à quo ius impetraret inuenire non potuit: atq; adeo ne unde arbitratu quidē suo postularet: sed ne amicos quidem Sex. Neuij: quorum sæpe & diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per deos immortales, ut aut secum iure contenderent: aut iniuriam sine ignominia sibi imponerent. Deniq; ipsius inimici uultum superbissimum subijt: ipsius Sex. Neuij lachrimans manum apprehendit, in propinquorum bonis proscribēdis exercitatam: obsecrauit per fratris sui mortui cinerē, per nomen propinquitatis, per ipsius coniugem & liberos, quibus propior P. Quintio nemo est: ut aliquando misericordiam caperet: aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ: si non hominis, at humanitatis rationem haberet: ut secum aliquid integra sua fama, qualibet, dummodo tolerabili cōditione transigeret. ab ipso repudiatus, ab amicis eius nō subleuatus, ab omni magistratu agitatus, atq; perterritus, quem præter te appellet, habet neminem. tibi se, tibi suas omnis opes fortunasq; commendat: tibi committit existimationem ac spem reliquæ uitæ. multis uexatus contumelijs, plurimis iactatus iniurijs, non turpis ad te, sed miser confugit. è fundo ornatissimo deiectus, ignominijs omnibus appetitus, cum illum in suis paternis bonis dominari uideret: ipse filiæ

nubili dotem conficere non posset: nihil alienum tamen uita superiore commisit. Itaque te hoc obsecrat C. Aquili: ut quam existimationem, quam honestatem in iudicium tuum propè acta iam ætate decursáq; attulit: eam liceat ei secum ex hoc loco efferre: ne is, de cuius officio nemo unquam dubitauit: sexagesimo deniq; anno dedecore, macula, turpißimáq; ignominia, notetur: ne ornamẽtis eius omnibus Sex. Neuius pro spolijs abutatur: ne per te ferat, quo minus quæ existimatio P. Quintium usq; ad senectutem perduxit: eadem usq; ad rogum prosequatur.

PRO SEX. ROSCIO AMERINO.

ORATIO II.

REDO Ego uos Iud. mirari: quid sit, quod, cum tot summi oratores homineśq; nobilißimi sedeant: ego potißimum surrexerim: qui neq; ætate, neq; ingenio, neq; authoritate sim cum his, qui sedeant, cõparandus. omnes enim hi, quos uidetis adesse in hac causa, iniuriam nouo scelere conflatam putãt oportere defendi: defendere ipsi, propter iniquitatẽ temporũ, nõ audent. ita fit, ut adsint propterea, quod officiũ sequũtur: taceant autem iccirco, qa periculũ metuunt. Quid ergo? audacißimus ego ex omnibus? minime. at tanto officioßior q̃ cæteri? ne istius quidẽ laudis ita sum cupidus: ut alijs eam præreptam uelim. Quæ me igitur res præter cæteros impulit? ut causam Sex. Roscij reciperẽ? quia si quis istorum dixisset, quos uidetis adesse, in qbus summa authoritas

est, atq; amplitudo: si uerbum de rep. fecisset: id quod in hac causa fieri necesse est: multo plura dixisse, quàm dixisset, putaretur. ego etiam si omnia, quæ dicenda sunt, libere dixero: nequaquã tamen similiter oratio mea exire, atq; in uulgus emanare poterit. Deinde quod cæterorum neq; dictum obscurum potest esse propter nobilitatem, et amplitudinẽ: neq; temere dicto concedi propter ætatem & prudentiam. ego si quid liberius dixero, uel occultũ esse propterea, quod nondum ad Remp. accessi: uel ignosci adolescentiæ meæ poterit. tametsi nõ modo ignoscendi ratio, uerum etiã cognoscendi consuetudo iam de ciuitate sublata est. Accedit illa quoq; causa: quod à cæteris forsitan ita petitũ sit, ut dicerẽt: ut utrũuis saluo officio se facere posse arbitrarentur. à me aũt ij contenderunt: qui apud me, et amicitia, & beneficijs, & dignitate plurimum possunt: quorum ego neq; beneuolentiam erga me ignorare: nec authoritatẽ aspernari: nec uoluntatem negligere debeam. His de causis ego huic causæ patronus extiti: nõ electus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere: neq; uti satis firmo præsidio defensus Sex. Roscius, uerum uti ne omnino desertus esset. Forsitan quæratis qui istæ terror sit: & quæ tanta formido: quæ tot ac taleis uiros impediat: quo minus pro capite & fortunis alterius, quemadmodum consueuerunt, causam uelint dicere. quod adhuc uos ignorare non mirum est: propterea quod consulto ab accusatoribus, eius rei: quæ conflauit hoc iudicium, mentio facta non est. quæres ea est? bona patris huiusce Sex. Roscij: quæ sunt sexagies: quæ de uiro clarißimo & fortißimo L. Sylla, quem honoris causa nomino: duobus millibus nummũ

ſeſe dicit emiſſe adoleſcẽs uel potentiſſimus hoc tempo re noſtræ ciuitatis L. Cornelius Chryſogonus. Is à uo= bis Iud. hoc poſtulat: ut quoniam in alienam pecuniam tam plenam, atq; præclaram nullo iure inuaſerit: quo= niamq; ei pecuniæ uita Sex. Roſcij obſtare, atq; officere uideatur: deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem omnẽ, me= tumq; tollatis: ſeſe hoc incolumi nõ arbitratur huius in nocentis patrimonium tam amplum & copioſum poſ= ſe obtinere: damnato & eiecto, ſperat ſe poſſe quod ade ptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atq; con= ſumere. hunc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies no= ctesq; ſtimulat, ac pungit, ut euellatis poſtulat: ut ad hãc ſuam prædam tam neſariam adiutores uos profiteami= ni. Si uobis æqua & honeſta poſtulatio uidetur Iudices ego contra breuem poſtulationem affero: et, quomodo mihi perſuadeo, aliquanto æquiorem. Primum à Chry= ſogono peto: ut pecunia fortunisq; noſtris cõtentus ſit: ſanguinẽ & uitã ne petat. deinde à uobis Iudices ut au dacium ſceleri reſiſtatis: innocentium calamitatem leue tis: & in cauſa Sex. Roſcij, periculũ, quod in omnes in= tenditur, propulſetis. quod ſi aut cauſa criminis, aut fa= cti ſuſpicio, aut quælibet deniq; uel minima res reperie tur: quamobrem uideantur illi nonnihil tamen in defe= rendo nomine ſecuti: poſtremo ſi præter eã prædã, quã dixi, quicquam aliud cauſæ inueneritis: non recuſamus quin illorum libidini Sex. Roſcij uita dedatur. ſin aliud agitur nihil: niſi ut ijs neqd deſit: quibus ſatis nihil eſt: ſi hoc ſolum hoc tempore pugnatur: ut ad illã opimam præclaramq; prædam damnatio Sex. Roſcij uelut cu= mulus accedat: nonne cum multa indigna, tum uel hoc indigniſſimum eſt? uos idoneos habitos, per quorũ ſen=

tentias, iusq; iurandum id aſſequantur, quod antea ipſi ſcelere et ferro aſſequi conſuerunt? qui ex ciuitate in ſe natum propter dignitatem, ex ſenatu in hoc conſilium delecti eſtis propter ſeueritatẽ. ab his hoc poſtulare ho= mines ſicarios, atq; gladiatores? non modo ut ſupplicia uitent: quæ à uobis pro maleficijs ſuis metuere atq; hor rere debent: uerũ etiam ut ſpolijs Sex. Roſcij hoc iudi= cio ornati auctiq; diſcedant? His de rebus tantis, tamq; atrocibus, neq; ſatis me commode dicere, neq; ſatis gra uiter conqueri, neq; ſatis libere uociferari poſſe, intelli go. nam commoditati ingeniũ, grauitati ætas, libertati tempora ſunt impedimẽto. huc accedit ſummus timor: quem mihi natura pudorq; meus attribuit: & ueſtra di gnitas, & uis aduerſariorum, & Sex. Roſcij pericula. Quapropter uos oro, atq; obſecro Iudic. ut attente bo naq; cum uenia uerba mea audiatis. fide ſapientiaq; ue= ſtra fretus, plus oneris ſuſtuli: q̃ ferre me poſſe intelligo. hoc onus. ſi uos aliqua ex parte alleuabitis: feram ut po tero ſtudio & induſtria Iudices. ſin à uobis, id quod nõ ſpero, deſerar: tamen animo non deficiam: & id quod ſuſcepi, quoad potero, perferam. quod ſi perferre nõ po tero: opprimi me onere officij malo: quàm id quod mihi cum fide ſemel impoſitum eſt, aut propter perfidiã abij cere: aut propter infirmitatẽ animi, deponere. Te quoq; magnopere M. Fanni quæſo: ut qualẽ te iã antea Popu lo Ro. præbuiſti: cum huic idẽ quæſtioni iudex præeſſes: talem te & nobis et P. R. hoc tempore impertias. quã= ta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium, ui des: quæ ſit omnium mortalium expectatio, quæ cupidi tas, ut acria ac ſeuera iudicia fiant, intelligis. longo in= teruallo iudicium inter ſicarios hoc primum committi

tur: cum interea cædes indigniſſimæ maximæq; factæ ſint. Omnes hanc quæſtionem te prætore manifeſtis maleficijs, quotidianoq; ſanguine demiſſius ſperãt futurã. Qua uociferatiõe in cæteris iudicijs accuſatores uti cõſueuerunt: ea nos hoc tempore utimur, qui cauſam dicimus. petimus abs te M. Fanni, à uobisq; Iud. ut quam acerrime maleficia uindicetis: ut quam fortiſſime hominibus audaciſſimis reſiſtatis: ut hoc cogitetis: niſi in hac cauſa, qui ueſter animus ſit, oſtendetis: eò prorũpere hominum cupiditatem, & ſcelus, & audaciam: ut non modo clàm, uerum etiam hic in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes ueſtros Iudices, inter ipſa ſubſellia, cædes futuræ ſint. Etenim quid aliud hoc iudicio tentatur: niſi ut id fieri liceat? accuſant ij, qui in fortunas huius inuaſerunt. cauſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. accuſant ij: quibus occidi patrem Sex. Roſcij bono fuit. cauſam dicit is: cui non modo luctum mors patris attulit: uerum etiam egeſtatem. accuſant ij: qui hunc ipſum iugulare ſumme cupierunt. cauſam dicit is: qui etiam ad hoc ipſum iudicium cum præſidio uenit: ne hic ibidem ante oculos ueſtros trucidetur. deniq; accuſant ij: quos populus poſcit. cauſam dicit is: qui unus relictus ex illorum nefaria cæde reſtat. Atque ut facilius intelligere poſſitis Iudic. ea quæ facta ſunt indigniora eſſe, quàm hæc, quæ dicimus: ab initio res quemadmodum geſta ſit, uobis exponemus: quo facilius & huius hominis innocentiſſimi miſerias, & illorum audaciam cognoſcere poſſitis, & Reipub. calamitatem. Sex. Roſcius pater huiuſce municeps Amerinus, fuit cum genere, & nobilitate, & pecunia non modo ſui municipij, uerum etiam eius

uicinitatis facile primus: tũ gratia, atq; hoſpitijs florẽs hominum nobiliſſimorum. nam cum Metellis, Seruilijs, Scipionibus, erat ei nonmodo hoſpitium, uerum etiã domeſticus uſus et cõſuetudo. quas, ut æquum eſt, familias honeſtatis amplitudinisq; gratia nomino. Itaq; ex ſuis omnibus cõmodis hoc ſolum filio reliquit. nam patrimonium domeſtici prædones ui ereptum poſſidẽt: famæ & uitæ innocentis ab hoſpitibus amicisq; paternis defenditur. Hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuiſſet: tum hoc tumultu proximo, cum omniũ nobilium dignitas et ſalus in diſcrimẽ ueniret: præter cæteros in ea uicinitate eam partem cauſamq; opera, ſtudio, authoritate defendit. etenim rectum putabat: pro eorum honeſtate ſe pugnare: propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. poſteaquam uictoria cõſtituta eſt, ab armisq; receſſimus: cum proſcriberentur homines: atq; ex omni regione caperẽtur ij, qui aduerſarij fuiſſe putabãtur: erat ille Romæ frequẽs: atq; in foro, & in ore omniũ quotidie uerſabatur: magis ut exultare uictoria nobilitatis uideretur: quam timere, ne quid ex ea calamitate ſibi accideret. Erant ei ueteres inimicitiæ cũ duobus Roſcijs Amerinis: quorum alterum ſedere in accuſatorum ſubſellijs uideo: alterum tria huiuſce prædia poſſidere audio. Quas inimicitias ſi tam cauere potuiſſet: q̃ metuere ſolebat: uiueret. neq; enim Iud. iniuria metuebat. nam duo iſti ſunt Titi Roſcij: quorum alteri Capitoni cognomen eſt: iſte qui adeſt, magnus uocatur: homines eiuſmodi, alter plurimarum palmarum uetus ac nobilis gladiator habetur. hic autem nuper ſe ad eum laniſtam cõtulit: qui, cum ante hãc pugnam tyro eſſet, quod ſciam, facile ipſum magiſtrum ſcelere, audaciaq; ſupera

uit. nam cum hic Sex. Roscius esset Ameriæ: Titus alter iste Roscius Romæ: cum hic filius aßiduus in prædijs esset: cumq; se uoluntate patris rei familiari uitæq; rusticæ dedisset: iste autem frequens Romæ esset: occiditur ad balneas Palatinas rediens à cœna Sex. Roscius. spero ex hoc ipso non esse obscurum: ad quem suspicio maleficij pertineat. uerum id quod adhuc est suspicioßum, nisi perspicuum res ipsa fecerit: hunc affinem culpæ iudicatote. Occiso Sex. Roscio primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia, quidam homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius Titi Roscij: & nunciat domum, non filij, sed Titi Capitonis inimici. & cum post horam primam noctis occisus esset: primo diluculo nuncius hic Ameriam uenit. decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisijs peruolauit: nonmodo ut exoptatum inimico nunciũ primus afferret: sed etiã cruorem inimici quam recentißimum, telumq; pauloante è corpore extractum ostenderet. Quatriduo, quo hæc gesta sunt: res ad Chrysogonum in castra L. Syllæ Volaterras defertur: magnitudo pecuniæ demõstratur: bonitas prædiorum (nam fundos decem & tres reliquit: qui Tyberim ferè omnes tangunt) huius inopia, & solitudo, commemoratur. demonstrant cũ pater huiusce Sex. Roscius homo tam splendidus, & gratioßus, nullo negocio sit occisus: per facile hunc hominem incautum, et rusticum, & Romæ ignotum de medio tolli posse. ad eam rem operam suam pollicentur. ne diutius teneam Iud. societas coitur. cũ iam proscriptionis mentio nulla fieret: & cum etiam qui antea metuerant, redirent: ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur: hominis studioßißimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus: tria prædia

uel nobilißima Capitoni propria traduntur: quæ hodie poßidet: in reliquas omnes fortunas iste Titus Roscius nomine Chrysogoni, quemadmodum ipse dicit: impetũ facit. hæc bona LX HS emuntur duobus millibus nummûm. Hæc omnia Iud. imprudente L. Sylla facta esse certo scio. neq; enim mirum, cum eodem tempore & ea quæ præterita sunt: & ea, quæ uidentur instare: præparet: cum & pacis constituendæ rationem, & belli gerendi potestatem solus habeat: cũ omnes in unũ spectẽt: unus omnia gubernet: cum tot tantisq; negotijs distentus sit: ut respirare libere non poßit: si aliquid non animaduertat: cum præsertim tam multi occupationem eius obseruent, tempusq; aucupentur: ut simul atq; ille despexerit: aliquid huiuscemodi moliantur. Huc accedit: quod quamuis ille fœlix sit, sicut est: tamen in tanta felicitate nemo potest esse in magna familia: qui nemi nem neq; seruum neq; libertum improbũ habeat. Interea iste Titus Roscius uir optimus ꝓcurator Chrysogoni Ameriam uenit: in prædia huius inuadit: hunc miserum, luctu præditum, qui nondum etiam paterno funeri iusta soluisset: nudum eiecit domo: atq; socis patrijs dijsq; pœnatibus præcipitem Iudices exturbat: ipse amplißimæ pecuniæ fit dominus. Qui in suare fuisset egentißimus: erat (ut fit) insolens in aliena. multa palã domum suam auferebat: plura clàm de medio remouebat: non pauca suis adiutoribus large effuseq; donabat: reliqua constituta auctione uendebat. quod Amerinis usq; eo uisum est indignũ: ut urbe tota fletus gemitusq; fieret, etenim multa simul ante oculos uersabãtur. mors hominis florentißimi Sex. Roscij crudelißima, filij aũt eius egestas indignißima: cui de tãto patrimonio prædo

iſte nefarius, ne iter quidē ad ſepulchrū patriū reliquiſſet: bonorū emptio, flagitioſa poſſeſſio, furta, rapinæ, donationes. nemo erat q nō ardere omnia mallet: q̄ uidere in Sex. Roſcij uiri optimi, atq; honeſtiſſimi bonis iactantē ſe, ac dominantē T. Roſciū. Itaq; decurionū decretū ſtatim fit: ut decem primi proficiſcātur ad L. Syllam: doceantq; eum, qui uir Sex. Roſcius fuerit: conquerantur de iſtorum ſcelere & iniurijs: orent, ut & illius mortui famam, & filij innocentis fortunas cōſeruatas uelit. atq; ipſum decetum quæſo cognoſcite. DECRETVM DECVRIONVM. Legati in caſtra ueniunt. Intelligitur Iud. id quod iam ante dixi: imprudente L. Sylla ſcelera hæc, & flagitia fieri. nam ſtatim Chryſogonus, & ipſe ad eos accedit: & homines nobiles allegat ijs: qui peterent ne ad Syllam adirent: & omnia Chryſogonum quæ uellent, eſſe facturum pollicerentur. uſq; adeo autem ille pertimuerat: ut mori mallet: quām de his rebus Syllam doceri. Homines antiqui, qui ex ſua natura cæteros fingerent, cum ille confirmaret, ſeſe nomen Sex. Roſcij de tabulis exemturum: prædia uacua filio traditurum: cumq; id ita futurum T. Roſcius Capito, qui in X legatis erat, adpromitteret: crediderunt: Ameriam re inorata reuerterunt. Ac primo rem differre quotidie, ac procraſtinare iſti cœperunt: deinde aliquanto lentius, nihil agere: atq; deludere: poſtremo (id quod facile intellectum eſt) inſidias uitæ huiuſce Sex. Roſcij parare: neq; ſeſe arbitrari poſſe diutius alienam pecuniam domino incolumi obtinere. Quod is ſimul atq; ſenſit: de amicorum cognatorumq; ſententia Romam confugit: & ſeſe ad Ceciliam Nepotis filiam, quam honoris cauſa nomino: contulit:

qua pater uſus erat plurimum. in qua muliere Iud. etiā nunc, id quod omnes ſemper exiſtimauerunt: quaſi exēpli cauſa ueſtigia antiqui officij remanent. ea Sex. Roſcium inopem, eiectum domo, atq; expulſum ex ſuis bonis, fugientem latronum tela, et minas, recipit domum: hoſpitiq; oppreſſo iā, deſperatoq; ab omnibus, opitulata eſt. eius uirtute, fide, diligētia, factū eſt: ut hic potius uiuus in reos: q̄ occiſus in ꝓſcriptos referretur. nā poſt quam iſti intellexerunt ſumma diligentia uitam Sex. Roſcij cuſtodiri: neq; ſibi ullam cædis faciundæ poteſtatem dari: conſilium cœperunt plenum ſceleris, & audaciæ: ut nomen huius de parricidio deferrent. ut ad eam rem aliquem accuſatorem ueterem compararēt: qui de ea re poſſet dicere aliquid: in qua re nulla ſubeſſet ſuſpicio. deniq; ut quoniam crimine non poterant, tempore ipſo pugnarent. ita loqui homines: quod iudicia tam diu facta non eſſent: condemnari eum oportere, qui primus in iudiciū adductus eſſet. huic autē patronos propter Chryſogoni gratiam defuturos. de bonorum uenditione, & de iſta ſocietate uerbum eſſe facturum neminē. ipſo nomine parricidij, & atrocitate criminis, fore, ut hic nullo negocio tolleretur: cum ab nullo defenſus eßet. Hoc conſilio, atq; adeo hac amentia impulſi, quem ipſi, cum cuperent, non potuerunt occidere: eum iugulādum uobis tradiderunt. Quid primum querar? aut unde potiſſimum exordiar Iud? aut quod, aut à quibus auxilium petam? deorum ne immortalium? populi ne romani? ueſtrā ne, qui ſummā poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorē? pater occiſus neſarie: domus obſeſſa: ab inimicis bona adempta, poſſeſſa, direpta: filij uita infeſta, ſæpe ferro atq; inſidijs appetita: quid ab his tot

maleficijs sceleris abesse uidetur? tamen hæc alijs nefarijs cumulant: atq; adaugent. crimen incredibile confingunt: testes in hunc & accusatores huiusce pecunia comparant: hanc conditionem misero ferunt: ut optet, utrum malit, ceruices Roscio dare: an insutus in culeum, supplicium parricidarum, per summum dedecus uitam amittere? patronos huic defuturos putauerũt: desunt. qui libere dicat: qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, quoniã quidem suscepi: non deest profecto iudices. et forsitan in suscipienda causa temere impulsus adolescẽtia fecerim. quoniã quidẽ semel suscepi: licet hercules undiq; omnes in me terrores, periculaq; impendeãt omnia: succurram, atq; subibo. certũ est, deliberatumq;: quæ ad causam pertinere arbitror, omnia nonmodo dicere: uerum etiam libenter, audaciter, libereq; dicere. Nulla res tanta existat Iudices: ut possit uim mihi maiorem adhibere metus, q̃ fides. etenim quis tam dissoluto animo est: qui hæc cum uideat, tacere ac negligere possit? patrem meum, cum proscriptus non esset: iugulastis: occisum, in proscriptorũ numerum retulistis: me domo mea per uim expulistis: patrimonium meum possidetis: quid uultis amplius? etiã ne ad subsellia cum ferro atq; telis ueniatis? ut hic aut iuguletis, aut condemnetis Sex. Roscium? Hominem longe audacissimum nuper habuimus in ciuitate C. Fimbriam: & quod inter omnes cõstat, nisi inter eos, qui ipsi quoq; insaniunt, insanissimum. is cum curasset in funere C. Marij, ut Q. Scæuola uulneraretur, uir sanctissimus atq; ornatissimus nostræ ciuitatis: de cuius laude neq; hic locus est, ut multa dicantur: neque plura tamen dici possunt: quàm populus romanus memoria retinet: diem Scæuolæ dixit: post-

ea quàm comperit eum posse uiuere. cum ab eo quæreretur, qd tandem accusaturus esset eum: quẽ pro dignitate ne laudare qdẽ quis q̃ satis cõmode posset? aiunt hominem (ut erat furiosus) respondisse: quod non totũ telũ corpore recepisset. quo populus R. nihil uidit indignius: nisi eiusdẽ uiri mortẽ, quæ tantũ potuit: ut omnes ciues suos perdiderit & afflixerit. quos quia seruare percompositionẽ uolebat: ipse ab his interemptus est. Est ne hoc illo dicto atq; facto Fimbriæ non simillimum? Accusatis Sex. Roscium. quid ita? quia de manibus uestris effugit: quia se occidi passus non est. illud quia in Scæuolæ factum est: magis indignum uidetur. hoc, quia fit à Chrysogono: non est ferendum. Nam per deos immortales, quid est in hac causa quod defensionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit? aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? totam causam Iud. explicemus: atq; ante oculos expositã consideremus. ita facillime quæ res totum iudicium contineat: & quibus de rebus nos dicere oporteat: & quid uos sequi conueniat: intelligetis. Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstent hoc tempore Sex. Roscio: crimen aduersariorum, & audacia, & potentia. criminis confictionem accusator Erucius suscepit. audaciæ partes, Roscij sibi popposcerunt. Chrysogonus autem is, qui plurimum potest: potentia pugnat. de hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Quid igitur est? nõ eodem modo de omnibus. ideo, quod prima illa res ad meum officiũ pertinet: duas autem reliquas uobis populus R. imposuit. Ego crimen oportet diluam. uos & audaciæ resistere: & hominum eiusmodi perniciosam atq; intolerandam potentiam primo quoq; tempore extinguere

atq; opprimere debetis. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. scelestum dij immortales ac nefarium facinus: atq; eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse uideantur. Etenim si id quod præclare à sapientibus dicitur, uultu sæpe læditur pietas: quod supplicium satis acre reperietur, in eum: qui mortem obtulerit parẽti? pro quo mori ipsum, si res postularet: iura diuina atque humana cogebant. in hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro extitit: ut, si quando auditum sit: portenti ac prodigij simile numeretur: quibus tandem te C. Eruci argumentis accusatorem censes uti oportere? nonne & audaciam eius, qui in crimen uocetur, singularem ostendere: & mores feros, immanemq; naturam, & uitam uicijs flagitijsq; omnibus deditam, & deniq; omnia ad perniciem profligata atq; perdita. quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obijciendi quidem causa contulisti. Patrem occidit Sex. Roscius. q homo? adolescẽtulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. uetus uidelicet sicarius? homo audax? & sæpe in cæde uersatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates, ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgauit Erucius: cum dixit: hunc ne in cõuiuio q̃dem ullo ferè interfuisse. nihil autem unquam debuit. cupiditates porrò quæ possunt esse in eo? qui, ut ipse accusator obiecit, ruri semper habitarit? & in agro colendo uixerit? quæ uita maxime disiuncta à cupiditate, & cum officio cõiuncta. Quæ res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit? Patri inquit non placebat. patri non placebat?

non placebat? quam ob causam? necesse est enim eam quoq; iustam, & magnam, & perspicuam fuisse. nam ut illud incredibile est: mortem oblatam esse patri à filio, sine plurimis, & maximis causis: sic hoc uerisimile non est: odio fuisse parẽti filiũ sine causis multis, et magnis, & necessarijs. Rursus igitur eodẽ reuertamur, & quæramus: quæ tanta uitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. at perspicuum est, nullum fuisse. pater igitur amens: qui odisset eum sine causa: quem procrearat. at is quidem fuit omnium constantißimus. ergo illud iã perspicuum profecto est: si neq; amẽs pater, neq; ditus filius fuerit. neq; odij causam patri, neq; sceleris filio fuisse. Nescio inq̃t quæ causa odij fuerit: fuisse odiũ intelligo: quia antea, cum duos filios haberet: illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore uolebat esse: hunc in prædia rustica relegarat. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaq; accusatione: idem mihi usu uenit in causa optima. ille quomodo crimen commenticiũ confirmaret, non inueniebat. ego res tam leues, qua ratione infirmem, ac diluam, reperire nõ possum. quid ais Eruci? tot prædia, tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo relegationis, ac supplicij gratia colẽda ac tuenda tradiderat? quid hoc? patres familiæ, qui liberos habẽt, præsertim homines illius ordinis, ex municipijs rusticanis, nonne optatißimũ sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime seruire? et in prædijs colendis operæ plurimum studijq; consumere? an amandarat hunc sic, ut esset in agro: ac tantũmodo aleretur ad uillam? ut commodis omnibus careret? quid si cõstat, hunc nonmodo colẽdis prædijs præfuisse: sed certis fundis patre uiuo frui solitum esse? tamen ne hæc attenta uita &

rusticana, relegatio atq; amãdatio appellabitur? Vides Eruci quantũ distet argumentatio tua ab re ipsa, atq; à ueritate. quod cõsuetudine patres faciũt: id quasi nouũ reprehendis. quod beniuolentia fit: id odio factũ criminaris. quod honoris causa pater filio suo cõcesſit: id eũ supplicij causa feciſſe dicis. neq; hæc tu nõ intelligis: sed usq; eo quid arguas, non habes: ut nonmodo tibi contra nos dicendum putes: uerum etiam contra rerum naturam, contráq; consuetudinẽ hominum, cõtráq; opiniones omnium. At enim cum duos filios haberet: alterum à se non dimittebat: alterum ruri esse patiebatur. quæso Eruci ut hoc in bonam partem accipias: non enim ex probrandi causa, sed commonendi gratia dicam. si tibi fortuna nõ dedit: ut patre certo nascerere: ex quo intelligere posſes, qui animus patrius in liberos esſet: at natura certe dedit: ut humanitatis nõ parũ haberes. eo accesſit studium doctrinæ: ut ne à literis quidem alienus esſes. quid tandem tibi uidetur, ut ad fabulas ueniamus, senex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum filium rusticum? quàm illum alterum Chærestratum? nam ut opinor hoc nomine est. alterum in urbe secum honoris causa habere? alterũ rus supplicij causa relegasse? Quid ad istas ineptias abis inqes? quasi uero mihi difficile sit, quamuis multos nominatim proferre, ne longius abeã, uel tribulis, uel uicinos meos: qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas aßiduos esse cupiunt, uerũ homines notos sumere odioſum est: cum & illud incertũ sit: uelint ne hi sese nominari: & nemo uobis magis notus futurus sit: quàm est hic Eutychus: & certe ad rem nihil interſit: utrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Veiente nominẽ. etenim hæc conficta ar

bitror à poetis esse: ut effictos nostros mores in alienis personis, expreſſamq; imaginẽ nostrã uitæ quotidianæ uideremus. Age nunc: refer animum sis ad ueritatem: et considera nõmodo in Vmbria, atq; in ea uicinitate, sed in his ueteribus municipijs, quæ studia à patribus familias maxime laudentur: iam profecto te intelliges inopia criminum, summam laudem Sex. Roscio uicio & culpæ dediſſe. At nonmodo hoc patrum uoluntate liberi faciunt: sed permultos & ego noui, & niſi me fallit animus, unuſquiſq; ueſtrum: qui & ipſi incenſi sunt studio quod ad agrum colendum attinet: uitamq; hanc rusticam, quam tu probro & crimini putas esse oportere: et honeſtiſsimam, & suauiſsimã esse arbitrantur. quid censes hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, & qua intelligentia esse in rusticis rebus? ut ex ijs propinquis eius hominibus honeſtiſsimis audio: non tu in iſto artificio accusatorio callidior es: q̃ hic in suo. Verum, ut opinor, quoniam ita Chryſogono uidetur: qui huic nullum prædiũ reliquit: & artificium obliuiſcatur, & studium deponat, licebit. quod, tametſi miserum, & indignum est: feret tamen æquo animo Iudices: ſi per uos uitã et famam poteſt obtinere. hoc uero est, quod ferri non poteſt: ſi et in hanc calamitatẽ uenit propter prædiorum bonitatẽ, et multitudinem: et quod ea studioſe coluit, id erit ei maxime fraudi: ut parũ miseriæ sit: quod alijs coluit, non ſibi: niſi etiã quod omnino colut: crimini fuerit. Næ tu Eruci accuſator eſſes ridiculus: ſi illis temporibus natus esſes: cum ab aratro arceſſebantur, qui consules fierent. etenim qui præeſſe agro colendo flagitium putes: profecto illum Attilium, quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſsi erant cõuenerunt: hominem turpiſsimũ, atq;

inhoneſtiſsimum iudicares. at hercule maiores noſtri lõge aliter, & de illo, & de cæteris talibus uiris exiſtimabant. itaq; ex minima tenuiſsimáq; R. P. maximam & florentiſsimam nobis reliquerunt. ſuos enim agros ſtudioſe colebant: non alienos cupide appetebant. quibus rebus & agris, & urbibus, & nationibus, Remp. atq; hoc imperium, & P. R. nomen auxerunt. Neq; ego hæc eò profero: quo conferenda ſint cũ hiſce, de quibus nunc quærimus. ſed ut illud intelligatur: cum apud maiores noſtros ſummi uiri clariſsimiq; homines, qui omni tempore ad gubernacula Reip. ſedere debebant: tamen in agris quoq; colendis aliquantum operæ temporisq; cõſumpſerint: ignoſci oportere ei homini: qui ſe fateatur eſſe ruſticũ: cum ruri aſſiduus ſemper uixerit. cum præſertim nihil eſſet: quod aut patri gratius, aut ſibi iucundius, aut re uera honeſtius facere poſſet. Odium igitur acerrimum patris in filiũ ex hoc opinor oſtenditur Eruci: quod hũc ruri eſſe patiebatur. nunquid eſt aliud? Immo uero inquit eſt. nã iſtum exhæredare in animo habebat. audio. nunc dicis aliquid: quod ad rem pertineat. nam illa opinor tu quoq; concedis leuia eſſe atq; inepta. conuiuia cum patre non inibat. quippe qui ne in oppidum quidem niſi perraro ueniret. domum ſuam iſtum non ferè quiſquam uocabat. nec mirum: qui neq; in urbe uiueret: neq; rure uocaturus eſſet. Verum hæc quoq; tu intelligis eſſe nugatoria. illud quod cœpimus, uideamus: quo certius argumentum odij reperiri nullo modo poteſt. Exhæredare pater filiũ cogitabat. mitto quærere, qua de cauſa. quæro, qui ſcias? tamet ſi te dicere, atq; enumerare cauſas omnis oportebat: et id erat certi accuſatoris officiũ: qui tanti ſceleris argueret: ex-

plicare omnia uitia. atq; peccata filij: quibus incenſus parens potuerit animum inducere: ut naturã ipſam uinceret: ut amorem illum penitus inſitum eijceret ex animo: ut deniq; patrẽ eſſe ſeſe obliuiſceretur. quæ ſine magnis huiuſce peccatis accidere potuiſſe nõ arbitror. Verum concedo tibi, ut ea prætereas: quæ cum taces, nulla eſſe concedis. illum quidem uoluiſſe exhæredare, certe tu planum facere debes. quid ergo affers: quare id factum putemus? uere nihil potes dicere. finge aliquid ſaltem commode: ut ne planè uidearis id facere, quod aperte facis: huius miſeri fortunis, & horum uirorum talium dignitati illudere. exhæredare filium uoluit. quam ob cauſam? neſcio. exhæredauit ne? non. quis prohibuit? cogitabat. cogitabat? cui dixit? nemini. quid eſt aliud iudicio, ac legibus, ac maieſtate ueſtra abuti ad quæſtum, atq; ad libidinẽ? niſi hoc modo accuſare: atq; id obijcere: quod planum facere nonmodo non poſsis: uerum ne coneris quidẽ? Nemo noſtrum eſt Eruci: quin ſciat tibi inimicitias cum Sex. Roſcio nullas eſſe. uident omnes qua de cauſa huic inimicus uenias. ſciũt huiuſce pecunia te adductum eſſe. quid ergo eſt? ita tamen quæſtus te cupidũ eſſe oportebat: ut horum exiſtimationẽ, & legem Remmiam putares aliquid ualere oportere. Accuſatores multos eſſe in ciuitate utile eſt: ut metu cõtineatur audacia. uerum tamen hoc ita eſt utile: ut ne planè illudamur ab accuſatoribus. Innocẽs eſt quiſpiã: ueruntamen quanquam abeſt à culpa: ſuſpicione tamen non caret. tametſi miſerum eſt: tamen ei qui hunc accuſet, poſsim aliquo modo ignoſcere. cum enim aliquid habeat: quod poſsit criminoſe ac ſuſpicioſe dicere: aperte ludificari, & calumniari ſciens non uideatur. quare ſa

cile omnes patimur esse quãplurimos accusatores: quod innocens si accusatus sit, absolui potest. nocẽs nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. utilius est autẽ absolui innocentem: quàm nocentem causam non dicere. Anseribus cibaria publice locantur: et canes aluntur in Capitolio: ut significẽt si fures uenerint. at fures internoscere non possunt: significãt tamen: si qui noctu in capitolium uenerint. et quia id est suspicioſum: tametsi bestiæ sunt: tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. quod si luce quoq; canes latrent: cum deos salutatũ aliqui uenerint: opinor ijs crura suffrangantur: quod acres sint ẽt tũ, cũ suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. alij uestrum anseres sunt: qui tantummodo clamant: nocere nõ possunt. alij canes: qui & latrare & mordere possunt. cibaria uobis præberi uidemus. uos autem maxime debetis in eos impetum facere: qui merentur. hoc populo gratißimum est. deinde si uoletis, etiam tum, cum uerisimile erit aliquem cõmisisse, in suspicione latratote. id quoq; cõcedi potest. sin autem sic agetis: ut arguatis aliquem patrẽ occidisse: neq; dicere poßitis, aut quare, aut quomodo: ac tantũmodo sine suspicione latrabitis: crura quidem uobis nemo suffringet: sed, si ego hos bene noui: literam illam, cui uos usq; eo inimici estis: ut etiam eas omnis oderitis: ita uehementer ad caput affigent: ut postea neminẽ aliũ nisi fortunas uestras accusare poßitis. Quid mihi ad defendendum dedisti bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? ne exhæredaretur ueritus est. audio. sed qua de causa uereri debuerit: nemo dicit. habebat pater in animo. planum fac. nihil est. non, qui cum deliberarit: quem certiorem fecerit: unde istud uobis suspicari in mẽ

tem uenerit: cum hoc modo accusas Eruci: nõne hoc palàm dicis? ego quid acceperim, scio: quid dicam, nescio. unum illud spectaui quod Chrysogonus aiebat neminẽ istũ patronum futurum: de bonorum emptione, deq; ea societate neminem esse, qui uerbũ facere hoc tẽpore auderet. hæc te opinio falsa in istam fraudem impulit. nõ mehercule uerbum fecisses: si tibi quenq̃ responsurum putasses. Operæpreciũ erat: si animaduertistis Iudices: negligentiam eius in accusando considerare. credo cum uidisset, qui homines in hisce subsellijs sederent: quæsisse, num ille aut ille defensurus esset? de me ne suspicatum quidem: quod antea causam publicam nullam dixerim. posteaquam inuenit neminem eorum, qui possunt, & solent: ita negligens esse cœpit: ut cum in mentem ueniret ei, resideret: deinde spatiaretur: nonnunquam etiã puerum uocaret: credo cui cœnã imperaret: prorsus ut uestro consessu et hoc cõuentu pro summa solitudine abuteretur. perorauit aliquando. assedit. surrexi ego. respirare uisus est: quod non alius potius diceret. cœpi dicere. usq; eo animaduerti Iudices eum iocari, atq; alias res agere: antequam Chrysogonum nominaui. quem simul atq; attigi: statim homo se erexit: mirari uisus est. intellexi quid eum pupugisset. iterum ac tertio nominaui. postea homines cursare ultro & citro non destiterũt: credo qui Chrysogono nuntiarent: esse aliquẽ in ciuitate: qui contra uoluntatẽ eius dicere auderet: aliter causam agi: atq; ille existimaret: aperiri bonorum emptionem: uexari pessime societatem: gratiam, potentiamq; eius negligi: iudices diligenter attendere: populo rem indignam uideri. Quæ quoniam te fefellerunt Eruci: quoniãq; uides uersa esse omnia: causam pro Sex. Roscio si

non commode, ac libere dici: quem dedi putabas: defendi intelligis: quos tradituros sperabas: uides iudicare: restitue nobis aliquando ueterem tuam illam calliditatẽ, atq; prudentiam: cõfitere huc ea spe uenisse: quod putares hic latrocinium, non iudicium futurum. De parricidio causa dicitur. ratio ab accusatore reddita non est: quam ob causam patrem filius occiderit. quod in minimis noxijs, & in his leuioribus peccatis, quæ magis crebra, & iam propè quotidiana sunt, maxime & primum quæritur, quæ causa maleficij fuerit: id Erucius in parricidio quæri nõ putat oportere. in quo scelere Iudices etiã cum multæ causæ conuenisse unum in locũ, atq; inter se congruere uidentur: tamen nõ temere creditur: neq; leui coniectura res penditur: neq; testis incertus auditur: neq; accusatoris ingenio res iudicatur. cũ multa antea commissa maleficia, tum uita hominis perditissima, tũ singularis audacia ostendatur necesse est: neq; audacia solum, sed summus furor, atq; amentia. hæc cum sint omnia: tamen extent oportet expressa sceleris uestigia: ubi, qua ratione, per quos, quo tempore, maleficiũ sit admissum. quæ nisi multa & manifesta sunt: profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. magna est enim uis humanitatis: multũ ualet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum, atq; monstrum certissimũ est: esse aliquem humana specie, et figura: qui tantum immanitate bestias uicerit: ut propter quos hãc suauissimam lucem aspexerit: eos indignissime luce priuarit: cum etiam feras inter sese partus, atq; educatio, & natura ipsa conciliet. Non ita multis ante annis aiunt T. Clœlium quendam Tarracinensem hominẽ non obscurum, cum

cœnatus cubitum in idem conclaue cum duobus adolescentibus filijs isset: inuentum esse mane iugulatum. Cũ neq; seruus quisquam reperiretur, neq; liber, ad quem ea suspicio pertineret: id ætatis autem duo filij propter cubantes, ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorũ de parricidio delata sunt. quid poterat? sanè suspicioſum. neutrum ne sensisse? ausum autem esse quenquã se in id conclaue committere? eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filij: qui & sentire & defendere facile possent? erat porrò nemo in quem ea suspicio conueniret. tamen cum planum iudicibus esset factum: aperto hostio dormientes eos repertos esse: iudicio absoluti adolescentes, & suspicione omni liberati sunt. nemo enim putabat quẽquam esse: qui cum omnia diuina atq; humana iura scelere nefario polluisset: somnum statim capere potuisset. propterea quod qui tantum facinus commiserunt: nonmodo sine cura quiescere: sed ne spirare quidem sine metu possunt. Videtis ne quos nobis poetæ tradiderũt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpsisse: cum præsertim deorum immortalium iussis, atq; oraculis id feciſſe dicantur: tamẽ ut eos agitent furiæ? neq; consistere usquam patiantur? quod ne pij quidem sine scelere esse potuerunt. Sic se res habet Iudices: magnam uim, magnam necessitatem, magnam possidet religionẽ paternus maternusq; sanguis. ex quo, si qua macula concepta est, nonmodo laui non potest: uerum usq; eo permanat ad animum: ut summus furor, atq; amentia consequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero uidetis: eos què aliquid impie sceleratèq; commiserint, agitari, & perterreri furiarum tedis ardentibus. sua quenq; fraus &

ſuus terror maxime uexat: ſuum quenq; ſcelus agitat, amentiaq; afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiæq; animi terrent. hæ ſunt impijs aßiduæ domeſticæq; furiæ: quæ dies noctesq; parentum pœnas à conſceleratißimis filijs repetant. Hæc magnitudo maleficij facit: ut niſi penè manifeſtum parricidium proferatur: credibile non ſit. niſi turpis adoleſcentia: niſi omnibus flagitijs uita inquinata: niſi ſumptus effuſi cũ probro, atq; dedecore: niſi prorupta audacia: niſi tanta temeritas: ut non procul abhorreat ab inſania. accedat huc oportet odiũ parentis, animaduerſionis paternæ metus, amici improbi, ſerui cõſcij, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: penè dicam reſperſas manus ſanguine paterno Iudices uideant oportet: ſi tantum facinus, tam immane, tam acerbum, crediturí ſunt. quare hoc quominus eſt credibile, niſi oſtenditur: eo magis eſt, ſi conuincitur, uindicandum. Itaq; cum multis ex rebus intelligi poteſt: maiores noſtros nõmodo armis plus quam cæteras nationes, uerumetiam cõſilio ſapientiaq; potuiſſe: tum ex hac re uel maxime: quod in impios ſingulare ſupplicium inuenerunt. qua in re quantum prudentia præſtiterint ijs, qui apud cæteros ſapientiſſimi fuiſſe dicuntur, conſiderate. Prudentißima ciuitas Athenienſium, dum ea rerum potita eſt, fuiſſe traditur. eius porrò ciuitatis ſapientißimum Solonem dicunt fuiſſe, eum, qui leges, quibus hodie quoq; utuntur: ſcripſerit. Is cum interrogaretur, cur nullum ſupplicium cõſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet: reſpondit: ſe id neminem facturum putaſſe. ſapienter feciſſe dicitur: cum de eo nihil ſanxerit: quod antea commiſſum non erat: ne non tam prohibere, quàm admonere uideretur. Quãto ma-

iores noſtri ſapientius: qui cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando uiolaret audacia: ſupplicium in parricidas ſingulare excogitauerunt: ut quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet: magnitudine pœnæ maleficio ſummouerentur. inſui uoluerunt in culleum uiuos: atq; ita in flumen deijci. O' ſingularem ſapientiam Iudices. nonné uidentur hunc hominẽm ex rerum natura ſuſtuliſſe: & eripuiſſe? cui repente cœlum, ſolem, aquam, terramq; ademerunt. ut qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet: careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. noluerunt feris corpus obijcere: ne beſtijs quoq;, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur. non ſic nudos in flumen deijcere: ne cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent: quo cætera, quæ uiolata ſunt, expiari putantur. deniq; nihil tam uile, neq; tam uulgare eſt: cuius partem ullam reliquerint. etenim quid tam eſt commune, quàm ſpiritus uiuis? terra mortuis? mare fluctuãtibus? littus iectis? ita uiuunt, dũ poſſunt: ut ducere animam de cœlo non queant. ita moriuntur: ut eorum oſſa terra non tangat. ita iactantur fluctibus: ut nũquam aluantur. ita poſtremo eijciuntur: ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. Tanti maleficij crimen, cui maleficio tam inſigne ſupplicium eſt conſtitutũ: probare te Eruci cenſes poſſe talibus uiris: ſi ne cauſam quidẽ maleficij protuleris? Si hũc apud bonorum emptores ipſos accuſares: eiq; iudicio Chryſogonus præeſſet: tamẽ diligentius paratiusq; ueniſſes. utrum quid agatur non uides? an apud quos agatur? agitur de parricidio: quod ſine multis cauſis ſuſcipi nõ poteſt. apud homines autem prudentißimos agitur: qui intelligunt neminem ne mi-

nimum quidem maleficium sine causa admittere. Esto: causam proferre nõ potes. tametsi statim uicisse debeo: tamen de meo iure decedam: & tibi quod in alia causa non concederem: in hac concedam, fretus huius innocentia. non quæro abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit. quæro quomodo occiderit. ita quæro abs te C. Eruci quomodo: & sic tecum agam: ut in eo loco uel respondendi uel interpellandi tibi potestatem faciam: uel etiã siqd uoles, interrogandi. quomodo occidit? ipse pcußit? an alijs occidendũ dedit? si ipsum arguis: Romæ nõ fuit. si per alios fecisse dicis: quæro seruos ne an liberos? quos homines? indidem ne Ameria? an hosce ex urbe sicarios: si Ameriæ: qui sunt hi? cur non nominãtur? si Romæ: unde eos nouerat Roscius? qui Romam multis annis nõ uenit: neq; unquam plus triduo fuit. ubi eos conuenit? qui cũ locutus est? quomodo persuasit? preciũ dedit? cui dedit? p quẽ dedit? unde? aut quantũ dedit? nonne his uestigijs ad caput maleficij perueniri solet? Et simul tibi in mentẽ ueniat facito: quemadmodũ uitam huiusce depinxeris: hunc hominem ferum atq; agrestem fuisse: nũquã cũ homine quoquam collocutũ esse: nũquam in oppido constitisse. qua in re prætereo illud: quod mihi maximo argumẽto ad huius innocẽtiã poterat esse: in rusticis moribus, in uictu arido, in hac horrida incultaq; uita, istiusmodi maleficia gigni non solere. ut non omnem frugem neq; arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni uita nascitur. in urbe luxuries creatur: ex luxuria existat auaritia necesse est: ex auaritia erumpat audacia. inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. uita autem hæc rustica, quã tu agrestem uocas: parsimoniæ, diligentiæ, iusticiæ, magistra est. Verum

hæc missa facio: illud quæro. is homo, qui, ut tute dicis, nunquam inter homines fuerit: per quos homines hoc tantum facinus, tam occultũ, absens præsertim, confice re potuerit? multa sunt falsa Iudices: quæ tamẽ argui suspiciose possunt. in his rebus si suspicio reperta erit: culpam inesse concedam. Romæ Sex. Roscius occiditur: cũ in agro Amerino esset filius. literas credo misit alicui sicario, qui Romæ nouerat neminem. arcessiuit aliquem. at quando? nuncium misit. quem? aut ad quem? precio, gratia, spe, promissis, induxit aliquem. nihil horũ ne confingi quidem potest: & tamen causa de parricidio dicitur. reliquũ est: ut per seruos id admiserit. O' dij immortales rem miseram, & calamitosam. quod in tali crimine innocenti saluti solet esse: ut seruos in quæstionẽ polliceatur: id Sex. Roscio facere non licet. uos, qui hũc accusatis, omnes eius seruos habetis. unus puer uictus quotidiani administer ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. Te nunc apello P. Scipio, te Metelle: uobis aduocatis, uobis agentibus, aliquotiens duos seruos paternos in quæstionem ab aduersarijs Sex. Roscius postulauit. meministi ne T. Rosci recusari? quid? ij serui ubi sunt? Chrysogonum Iudices sectantur: apud eũ sunt in honore, et in precio. etiam nunc ut ex his quæratur, ego postulo: hic orat, atq; obsecrat. quid facitis? cur recusatis? dubitate etiam nunc Iudices, si potestis: à quo sit Sex. Roscius occisus. ab eo ne? qui propter illius mortẽ in egestate & insidijs uersatur: cui ne quærendi quidem de morte patris potestas permittitur. an ab ijs? qui quæstionem fugitant: bona possident: in cæde atq; ex cæde uiuunt. Omnia Iudices in hac causa sunt misera, atq; indigna: tamẽ hoc nihil neq; acerbius, neq; iniquius pro

ferri potest. mortis paternæ de seruis paternis quæstionẽ habere filio non licet. ne tam diu quidem dominus erit in suos: dum ex ijs de patris morte quæratur. Veniam neq; ita multo post ad hunc locum: nam hoc totum ad Roscios pertinet: de quorum audacia tum me dicturum pollicitus sum: cum Erucij crimina diluissem. Nunc Eruci ad te uenio. cõueniat mihi tecum necesse est. si ad hũc, maleficium istud pertinet: aut ipsum sua manu fecisse: id quod negas: aut per aliquos liberos, aut seruos. liberos ne? quos neq; ut cõuenire potuerit, neq; qua ratione inducere, neq; ubi, neq; per quos, neq; qua spe, aut quo precio, potes ostendere. ego cõtra ostendo: nonmodo nihil eorum fecisse Sex. Roscium: sed ne potuisse quidem facere: quod neq; Romæ multis annis fuerit: neq; de prædijs unquam temere discesserit. restare tibi uidebatur seruorum nomen: quo quasi in portum reiectus à cæteris suspicionibus cõfugere posses: ubi scopulum offendis eiusmodi: ut non modo ab hoc crimen resilire uideas: uerũ omnem suspicionem in uos metipsos recidere intelligas. Quid est ergo, quo tandem accusator inopia argumentorum confugerit? eiusmodi tempus erat inquit: ut homines uulgo impune occiderẽtur: quare tu hoc propter multitudinem sicariorũ, nullo negotio facere potuisti. Interim mihi uideris Eruci una mercede duas res assequi uelle: nos iudicio perfundere: accusare autẽ eos ipsos, à quibus mercedem accepisti. quid ais? uulgo occidebantur? per quos? & à quibus? nonné cogitas te à sectoribus huc adductum esse? quid postea? nescimus per ista tempora eosdem ferè sectores fuisse collorum & bonorum? ij deniq; qui tum armati dies noctesq; concursabant: qui Romæ erant assidui: qui omni tempore in

præda, & sanguine uersabantur: Sex. Roscio temporis illius acerbitatem, iniquitatemq; obijcient? et illam sicariorũ multitudinẽ, in qua ipsi duces ac principes erant: huic crimini putabunt fore? qui nonmodo Romæ non fuit: sed omnino quid Romæ ageretur, nesciret: propterea quod ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit. Vereor ne aut molestus sim uobis Iudices: aut ne ingenijs uestris uidear diffidere: si de tam perspicuis rebus diutius disseram. Erucij criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est: nisi forte expectatis: ut illa diluam: quæ de peculatu ac de eiusmodi rebus cõmenticijs inaudita nobis ante hoc tempus ac noua obiecit. quæ mihi iste uisus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum cõmentaretur: ita neq; ad crimen parricidij, neq; ad eum, qui causam dicit, pertinebant. de quibus cum uerbo arguit: uerbo satis est negare. si quid est quod ad testes reseruet: ibi nos quoq;, ut in ipsa causa, paratiores reperiet, quàm putabat. Venio nunc eò: quo me non cupiditas ducit, sed fides. nam si mihi liberet accusare: accusarem alios potius, ex quibus possem crescere. quod certum est non facere: dum utrumuis licebit. is enim mihi uidetur amplissimus: qui sua uirtute in altiorem locum peruenit: non qui ascendit per alterius incommodum, & calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari: quæ sunt inania: quæramus ubi maleficium & est, & inueniri potest. iam intelliges Eruci certum crimen quàm multis suspicionibus coarguatur. tametsi neq; oĩa dicam: & leuiter unumquodq; tangam. neq; enim id facerem, nisi necesse esset. & id erit signi me inuitũ facere: quod non prosequar longius: quàm salus huius, & mea fides postulabit. Causam tu nullam reperiebas in Sex.

Roſcio: at ego in T. Roſcio reperio. tecũ enim mihi res eſt T. Roſci: quoniã iſtic ſedes: ac te palàm aduerſarium eſſe profiteris. de Capitone poſt uiderimus: ſi quẽ admodum paratum eſſe audio, teſtis pdierit. tum alias quoq; ſuas palmas cognoſcet: de quibus me, ne audiſſe quidem ſuſpicatur. L. Caſſius ille, quẽ populus R. ueriſſimum & ſapientiſſimum iudicem putabat: identidem in cauſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet. ſic uita hominum eſt: ut ad maleficiũ nemo conetur ſine ſpe atq; emolumẽto accedere. hunc quæſitorem, ac iudicem fugiebãt, atq; horrebant ij, quibus periculũ creabatur: ideo quod tametſi ueritatis erat amicus: tamen natura non tam propenſus ad miſericordiam, quàm implicatus ad ſeueritatem uidebatur. ego quanquã præeſt huic quæſtioni uir, & contra audaciam fortiſſimus, & ab innocentia clementiſſimus: tamẽ facile me paterer, uel illo ipſo acceri mo iudice quærente, uel apud Caſſianos iudices, quorũ etiam nunc ij, quibus cauſa dicenda eſt, nomen ipſum reformidant: pro Sex. Roſcio dicere. in hac enim cauſa cum uiderent illos ampliſſimam pecuniam poſſidere: hunc in ſumma mendicitate eſſe: illud quidem non quærerent: cui bono fuiſſet: ſed eò perſpicuum crimen, & ſuſpicionem potius ad prædam adiungerent, quàm ad egeſtatem. quid ſi accedit eodem? ut tenuis antea fueris? qd ſi ut auarus? quid ſi ut audax? quid ſi ut illius, qui occiſus eſt: inimiciſſimus? num quærenda cauſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari poteſt? tenuitas hominis eiuſmodi eſt, ut diſſimulari non queat: atq; eo magis eluceat, quo magis occultatur. auaritiam præfers: qui ſocietatem coieris de municipis, cognatiq; fortunis cum alieniſſimo. quàm ſis audax (ut

alia obliuiſcar, hinc omnes intelligere potuerunt: quod ex tota ſocietate, hoc eſt ex tot ſicarijs, ſolus tu inuentus es: qui cum accuſatoribus ſederes: atq; os tuũ nonmodo oſtenderes: ſed etiam offerres. inimicitias tibi fuiſſe cum Sex. Roſcio, & magnas rei familiaris controuerſias, cõcedas neceſſe eſt. Reſtat Iudices ut hoc dubitemus: uter potius Sex. Roſciũ occiderit: is, ad quẽ morte eius diuitiæ uenerint: an is, ad quem mendicitas. is, qui antea tenuis fuerit: an is, qui poſtea factus ſit egentiſſimus. is, qui ardens auaricia feratur infeſtus in ſuos: an is qui ſemper ita uixerit: ut quæſtum noſſet nullum: fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſſet: is, qui omnium ſectorum audaciſſimus ſit: an is, qui propter fori, iudiciorumq; inſolentiã, nonmodo ſubſellia, uerũ etiam urbem ipſam reformidat. poſtremo Iudices, id quod ad rem mea ſententia maxime pertinet: utrũ inimicus potius, an filius? Hæc tu Eruci tot, & tanta ſi nactus eſſes in reo: quam diu diceres? quo te modo iactares? tempus hercule te citius, quàm oratio deficeret. etenim in ſingulis rebus eiuſmodi materies eſt: ut dies ſingulos poſſis cõſumere. neq; ego non poſſum: non enim tantum mihi derogo: tametſi nihil arrogo: ut te copioſius quàm me putem poſſe dicere. uerũ ego forſitan propter multitudinẽ patronorũ in grege annumerer. te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit. multos cæſos non ad Thraſimenum lacum, ſed ad Seruilium uidimus. quis ibi non eſt uulneratus ferro Phrygio? non neceſſe eſt omnis commemorare Curtios, Marios, deniq; Mamercos: quos iã ætas à prælijs auocabat. poſtremo Priamum ipſum ſenem, Antiſtium: quem nonmodo ætas, ſed etiã leges pugnare prohibebant. Iam, quos nemo propter ignobilita

tem nominat, sexcenti sunt: qui inter sicarios, & de ueneficijs accusabant. qui omnes, quod ad me attinet, uellem uiuerent. nihil enim mali est, canes ibi quamplurimos esse: ubi permulti obseruandi, multaq; seruanda sunt. uerum, ut fit, multa sæpe imprudentibus imperatoribus uis belli, ac turba molitur. dum is in alijs rebus erat occupatus: qui summã rerum administrabat: erant interea qui suis uulneribus mederẽtur: qui tanquã si offusa Reip. sempiterna nox esset: ita ruebant in tenebris: omniaq; miscebant. à quibus miror, ne quod iudiciorũ esset uestigium: non subsellia quoq; esse cõbusta. nam & accusatores, et iudices sustulerũt. hoc cõmodi est: quod ita uixerunt: ut testes omnes, si cuperent, interficere nõ possent. nam dum hominum genus erit: qui accuset eos, non deerit. dum ciuitas erit, iudicia fient. Verũ, ut cœpi dicere, & Erucius hæc si haberet in causa, quæ commemorauit: posset ea quamuis diu dicere: & ego Iudices possum. sed in animo est, quemadmodum ante dixi, leuiter transire: ac tantũmodo perstringere unãquãq; rẽ: ut omnes intelligant, me non studio accusare: sed officio defendere. Video igitur causas esse permultas: quæ istũ impellerent. uideamus nunc ecquæ facultas suscipiendi maleficij fuerit. Vbi occisus est Sex. Roscius? Romæ. quid tu Rosci ubi tunc eras? Romæ. uerũ quid ad rem? & alij multi. quasi nunc id agatur: quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quæratur: eum, qui Romæ sit occisus, utrum uerisimilius sit ab eo esse occisum: qui assiduus eo tempore Romæ fuerit: an ab eo, qui multis annis Romã omnino non accesserit. Age nunc, cæteras facultates quoq; cõsideremus. erat tũ multitudo sicariorum: id quod commemorauit Erucius: & homines im-

pune occidebãtur. quid? ea multitudo quæ erat? opinor aut eorum, qui in bonis erant occupati: aut eorum, qui ab ijs conducebantur: ut aliquẽ occiderent. si eos putas, qui alienum appetebant: tu es in eo numero: qui nostra pecunia diues es. sin eos, quos, qui leuiore nomine appellant, percussores uocant: quære in cuius fide sint & clientela. mihi crede, aliquem de societate tua reperies. & quicquid tu contradixeris, id cum defensione nostra contendito. ita facillime causa Sex. Roscij cum tua cõferetur. Dices: qd postea? si Romæ assiduus fui? respondebo: at ego omnino non fui. Fateor me sectorem esse: uerum & alij multi. at ego (ut tute arguis) agricola & rusticus. Non continuo, si me in gregem sicariorũ contuli, sum sicarius. at ego profecto, qui ne noui quidẽ quenquam sicarium, longe absum ab eusmodi crimine. Permulta sunt, quæ dici possunt: quare intelligatur summã tibi facultatem fuisse maleficij suscipiendi: quæ nonmodo iccirco prætereo: quod te ipsum nõ libenter accuso: uerum eo magis etiam, quod si de illis cædibus uelim commemorare: quæ tum factæ sunt ista eadem ratione: qua Sex. Roscius occisus est: uereor ne ad plures oratio mea pertinere uideatur. Videamus nunc strictim, sicut cætera: quæ post mortem Sex. Roscij abs te T. Roscio facta sunt. quæ ita aperta & manifesta sunt: ut mediusfidius Iudices inuitus ea dicam. uereor enim, cuiusquemodi es Roscius, ne ita hunc uidear uoluisse seruare: ut tibi omnino non pepercerim. cum hoc uereor, & cupio tibi aliqua ex parte, quod salua fide possim, parcere: rursus immuto uoluntatem meam. uenit enim mihi in mentem oris tui. Te ne cum cæteri socij tui fugerent: ac se occultarent: ut hoc iudicium non de illorum præda, sed de

huius maleficio fieri uideretur: potißimum tibi partes iſtas depoposciſſe? ut in iudicio uerſarere: & ſedes cũ accuſatore? qua in re nihil aliud aſſequeris: niſi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoſcatur, et impudentia. Occiſo Sex. Roſcio, qui primus Ameriam nunciat? Mallius Glaucia, quem iam antea nominaui. tuus cliens, & familiaris. quid attinuit eum potißimũ nunciare? quod, ſi nullum iam ante conſilium de morte ac de bonis eius inieras: nullamq; ſocietatem neq; ſceleris, neq; præmij, cũ homine ullo coieras: ad te minime omnium pertinebat. Sua ſponte Mallius nunciat? quid quæſo eius intererat? an cum Ameriam non huiuſce rei cauſa ueniſſet, caſu accidit: ut id quod Romæ audierat, primus nũciaret? cuius rei cauſa uenerat Ameriã? nõ poſſum inquit diuinare. eo rem iam adducam: ut nihil diuinatione opus ſit. qua ratione Roſcio Capitoni primum nunciauit? cum Ameriæ Sex. Roſcij domus, uxor, liberiq; eſſent: cũ tot ppinqui cognatiq; optime conuenientes: qua ratione factum eſt: ut iſte tuus cliens ſceleris tui nuncius T. Roſcio Capitoni potißimum nunciaret? occiſus eſt à cœna rediens. nondum lucebat, cum Ameriæ ſcitum eſt. quid hic incredibilis curſus? quid hæc tãta celeritas, feſtinatioq; ſignificat? nõ quæro: qs percuſſerit. nihil eſt Glaucia quod metuas: nõ excutio te, ſiquid forte ferri habuiſti: non ſcrutor: nihil ad me arbitror pertinere. quoniã cuius cõſilio occiſus ſit, inuenio: cuius manu ſit percuſſus, non laboro. unum hoc ſumo: quod mihi apertum tuum ſcelus resq; manifeſta dat. ubi aut unde audiuit Glaucia? qui tã cito ſciuit? fac audiſſe ſtatim. quæ res eum nocte una tantum itineris contendere coegit? quæ neceſſitas eum tanta premebat? ut, ſi ſua ſpõte

iter Ameriã faceret, id tẽporis Romã proficiſceretur? nullam partem noctis requieſceret? etiam ne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærenda, aut coniectura capienda ſit? nonne uobis hæc, quæ audiſtis: cernere oculis uidemini Iudices? non illum miſerum, ignarum caſus ſui, redeuntem à cœna uidetis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? nõ uerſatur ante oculos uobis in cæde Glaucia? non adeſt iſte T. Roſcius? non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum ſui ſceleris acerbißimi nefariæq; uictoriæ nuncium? non orat ut eam noctem peruigilet? ut honoris ſui cauſa laboret? ut Capitoni quamprimum nunciet? Quid erat quod Capitonem primum ſcire uoluerit? neſcio. niſi hoc uideo: Capitonem in his bonis eſſe ſocium: de tribus & decem fundis, tres nobiliſſimos fundos eum uideo poßidere. audio præterea non hanc ſuſpicionem nunc primum in Capitonem cõferri: multas eſſe infamis palmas: hãc primam eſſe tamen lemniſcatã, quæ Romæ deferatur. nullum modum eſſe hominis occidendi: quo ille nõ aliquot occiderit: multos ferro, multos ueneno. habeo etiã dicere quem contra morem maiorum, minorẽ annis LX de ponte in Tiberim deiecerit. quæ ſi prodierit: atque adeo cum prodierit: ſcio enim proditurum eſſe: audiet. ueniat modo: explicet ſuum uolumen illud: quod ei planum facere poſſum Erucium conſcripſiſſe: quod aiũt illum Sex. Roſcio intentaſſe: et meditatum eſſe: ſe omnia illa pro teſtimonio eſſe dicturum. O' præclarum teſtem Iudices: O' grauitatem dignam expectatione: O' uitam honeſtam: atq; eiuſmodi, ut libentibus animis ad eius teſtimonium ueſtrum iuſiurandum accommodetis. profecto non tam perſpicue iſtorum maleficia uideremus: niſi

ipsos cæcos redderet cupiditas, et auaricia, et audacia. alter ex ipsa cæde uolucrem nuncium Ameriam ad socium atque ad magistrum suum misit: ut si dissimulare omnes cuperent, se scire, ad quem maleficium pertineret: tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. alter, si dijs immortalibus placet, testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. quasi uero id nunc agatur: utrum, id quod dixerit, credendum: an quod fecerit, uindicandum sit. itaq; more maiorum cõparatum est: ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Africanus, qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse: tamen si sua res ageretur: testimonium non diceret. nam illud in talem uirum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. uidete nunc quàm uersa & mutata in peiorem partem sint omnia. cum de bonis & de cæde agatur: testimonium dicturus est is: qui & sector est, & sicarius: hoc est, qui & illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor, atq; possessor est: et eum hominem occidendum curauit: de cuius morte quæritur. Quid tu uir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi ausculta: uide ne tibi desis: tua quoq; res permagna agitur. multa scelerate, multa audaciter, multa improbe feceristi: unum stultissime, profecto tua sponte, non de Eucij sententia. nihil opus fuit te isti credere. neq; enim accusatore muto, neq; teste quisquã utitur eo: qui de accusatoris subsellio surgit. huc accedit, quod paulo tandem occultior atq; tectior uestra ista cupiditas esset. nunc qd est? quod quisquam ex uobis audire desideret? cum quæ facitis, eiusmodi sint: ut ea dedita opera à uobis contra uosmetipsos facere uideamini. Age nunc, illa uidea-

mus Iudices, quæ statim consecuta sunt. ad Volaterras in castra L. Syllæ, mors Sex. Roscij quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nunciatur. quæritur etiam nũc quis eum nuncium miserit. nonne perspicuum est, eundem qui Ameriam? curat Chrysogonus. ut eius bona ueneant statim. qui non norat hominem aut rem. at qui ei uenit in mentem prædia concupiscere hominis ignoti? quem omnino nunquam uiderat? soletis, cum aliquid huiuscemodi auditis Iudices: cõtinuo dicere, necesse est aliquem dixisse municipem, aut uicinum. ij plerunq; indicant: per eos pleriq; produntur. hic nihil est quod suspicionẽ hanc putetis. non enim ego ita disputabo: ueri simile est, Roscios istam rem ad Chrysogonũ detulisse: erat enim eis cũ Chrysogono iam antea amicitia. nam cum multos ueteres àmaioribus Roscij patronos hospitesq; haberent: omnis eos colere atque obseruare destiterunt: ac se in Chrysogoni fidem & clientelam contulerunt. hæc possum omnia uere dicere. sed in hac causa coniectura nihil opus est. ipsos certo scio nõ negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui indicij partẽ acceperit, oculis cernetis: poteritis ne dubitare Iudices qui indicarit? qui sunt igitur in istis bonis quibus partẽ Chrysogonus dederit? duo Roscij. num quisquam præterea? nemo est Iudices. num ergo dubiũ est: quin ij obtulerint hanc prædã Chrysogono: qui ab eo partem prædæ tulerunt? Age nunc ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum cõsideremus. Si nihil in ista pugna Roscij, quod operæpretium esset, fecerãt: quã ob causam à Chrysogono tantis præmijs donabantur? si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt: nonne satis fuit his gratias agi? deniq;, ut perliberaliter agere-

tur: honoris aliquid haberi? cur tria prædia, tantæ pecuniæ, statim Capitoni dantur? cur quæ reliqua sunt iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? nonne perspicuum est Iudices: has manubias Roscijs Chrysogonũ re cognita concessisse? Venit in decẽ primis legatus in castra Capito. totam uitam, naturam, mores q; hominis ex ipsa legatione cognoscite. nisi intelexeritis Iudices nullum esse officium, nullum ius, tam sanctum, atq; integrum: quod non eiusce uis atq; perfidia uiolarit. et imminuerit: uirum optimum esse eum iudicatote. impedimento est quo minus de his rebus Sylla doceatur: cæterorum legatorum consilia, & uoluntatẽ Chrysogono enunciat: monet, ut puideat, ne palàm res agatur. ostendit, si sublata sit uenditio bonorum: illum pecuniam grandem amissurum: sese capitis periculum aditurum. illum acuere: hos qui simul erant missi, fallere. illum identidem monere, ut caueret: hisce insidiose spem falsam ostendere. cum illo contra hos inire cõsilia: horum consilia illi enunciare. cum illo partem suam depacisci: hisce aliqua fretũ hora semper omnis aditus ad Syllam intercludere. postremo isto hortatore, authore, intercessore ad Syllam legati nõ adierunt: istius fide, ac potius pfidia decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator uoluerit testimoniũ eis denũciare: pro re certa spem falsam domum retulerunt. In priuatis rebus si qui rem mandatam nõmodo malitiosius gessisset, sui quæstus aut commodi causa: uerum etiam negligentius: eum maiores summum admisisse dedecus existimabant. itaq; mandati constitutum est iudicium, nõ minus turpe quàm furti. credo propterea: quod qbus in rebus ipsi interesse non possumus: in his operæ nostræ uicariæ

fides amicorum supponitur. quam qui lædit: oppugnat omnium commune præsidium: & quantum in ipso est, disturbat uitæ societatem. nõ enim possumus omnia per nos agere: alius in alia est re magis utilis. iccirco amicitiæ comparantur: ut commune commodum mutuis officijs gubernetur. quid recipis mandatum? si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conuersurus es. cur mihi te offers? ac meis cõmodis officio simulato officis, & obstas? recede de medio: per alium transigam. suscipis onus officij, quod te putas sustinere posse: quod minime uidetur graue ijs, qui minime ipsi leues sunt. ergo iccirco turpis hæc culpa est: quod duas res sanctissimas uiolat, amicitiam, & fidem. nam neq; mandat quisquam ferè, nisi amico: neq; credit, nisi ei quem fidelem putat. perditissimi est igitur hominis simul et amicitiam dissoluere: & fallere eum, qui læsus non esset: nisi credidisset. Ita ne est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit: turpissimo iudicio cõdemnetur necesse est. in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortunæ uiui cõmendatæ sunt, atq; concreditæ: ignominia mortuum affecerit: is inter honestos homines, atq; adeo inter uiuos numerabitur? In minimis priuatisq; rebus etiam negligentia in crimen mãdati, iudiciumq; infamiæ reuocatur. propterea, quod si recte fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit: non illum, qui mandatum receperit. In re tanta, quæ publice gesta atq; commissa sit: qui non negligentia priuatum aliquod commodum læserit: sed perfidia, legationis ipsius cerimoniam polluerit: maculaq; afficerit: qua is tandẽ pœna afficietur? aut quo iudicio damnabitur? Si hãc ei rem priuatim Sex. Roscius mandauisset, ut cum Chrysogono transigeret: atq; decideret: inq; eam rem fidem

suam, si quid opus esse putaret, interponeret: ille, qui se se facturum recepisset: nonne si ex eo negocio tantulum in rem suam conuertisset: damnatus per arbitrum, & rem restitueret: et honestatem oẽm amitteret? nunc non hãc ei rẽ Sex. Roscius mandauit: sed id quod multo grauius est: ipse Sex. Roscius cum fama, uita, bonisq; omnibus à decurionibus publice Roscio mandatus est: & ex eo Titus Roscius, non paulum nescio quid in rem suam conuertit: sed hunc funditus euertit bonis: ipse tria prædia sibi depactus est: uoluntatem decurionum ac municipũ omnium tantidem quanti fidem suam fecit. Videte iam porrò cætera Iudices: ut intelligatis fingi maleficium nullum posse: quo iste se non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere turpissimũ est: æqueq; turpe, atq; illud de quo ante dixi: neq; iniuria: propterea, quod auxilium sibi se putat adiunxisse: qui cum altero rem communicauit. ad cuius igitur fidem cõfugiet? cum per eius fidem læditur, cui se commiserit? atqui ea sunt animaduertẽda peccata maxime: quæ difficillime præcauẽtur. tecti esse ad alienos possumus. intimi multa apertiora uideãt necesse est. socium uero cauere qui possumus? quem etiam si metuimus: ius officij lædimus. recte igitur maiores, eum qui socium fefellisset: in uirorum bonorũ numero nõ putarunt haberi oportere. At uero T. Roscius non unum rei pecuniariæ socium fefellit: quod tametsi graue est: tamen aliquo modo posse ferri uidetur: uerum nouem homines honestissimos, eiusdem muneris, legatiõis, officij, mandatorũq; socios, induxit: decepit: destituit: aduersarijs tradidit: omni fraude, & perfidia fefellit: qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt: socium officij metuere non debuerunt: eius maliciam non

uiderunt: orationi uanæ crediderunt. itaq; nunc illi homines honestissimi, propter istius insidias parum putantur cauti, prouidiq; fuisse. iste qui initio proditor fuit: deinde perfuga: qui primo sociorũ cõsilio aduersarijs enũciauit: deinde societatem cum ipsis aduersarijs coijt: terret etiã nos, ac minatur, tribus prædijs, hoc est præmijs sceleris ornatus. In eiusmodi uita Iudices, in his tot tantisq; flagitijs, hoc quoq; maleficium, de quo iudiciũ est, reperietis. Etenim quærere ita debetis: ubi multa audare, multa audacter, multa improbe, multa perfidiose facta uidebitis: ibi scelus quoq; latere, inter illa tot flagitia putatote. tametsi hoc quidem minime latet: quod ita promptũ et propositũ est: ut non ex illis maleficijs, quæ in illo constant, esse hoc intelligatur: uerum ex hoc, etiam si quod illorum forte dubitabitur, conuincatur. Quid tandem quæso Iudices num aut ille lanista omnino iam à gladiatore cessisse uidetur? aut is discipulus magistro tantulum de arte concedere? par est auaricia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia. Etenim quoniam fidem magistri cognostis: cognoscite nunc discipuli æquitatem. Dixi iam antea sæpenumero, postulatos esse ab istis duos seruos in quæstionẽ: tu semper T. Roscii recusasti. quæro abs te: ij ne, qui postulabant, indigni erant qui impetrarent? an iste non commouebat, pro quo postulabant? an res ipsa tibi iniqua uidebatur? postulabant homines nobilissimi, atq; integerrimi nostræ ciuitatis: quos iam antea nominaui: qui ita uixerunt: talesq; à populo R. putantur: ut quicquid dicerent, nemo esset, qui non æquum putaret. postulabant autẽ pro homine miserrimo, atq; infelicissimo: qui uel ipse se in cruciatum dari cuperet: dum de patris

morte quæreretur. res porrò abs te eiusmodi postulaba tur: ut nihil interesset, utrum eam rem recusares: an de maleficio confiterere: quæ cum ita sint: quæro abs te quam ob causam recusaris? cum occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerũt. seruos ipsos, quod ad me attinet, neq; ar guo neq; purgo. quod à uobis oppugnari uideo. ne in quæstionẽ dentur, suspicioſum est. quod uero apud uos ipsos in honore tanto sunt: profecto necesse est sciant ali quid: quod si dixerint, pernicioſum uobis futurum sit. In dominos quæri de seruis iniquum est. at nec quæritur. Sex. enim Roscius reus est. neq; enim cum de hoc quæri tur: uos dominos esse decet. Cum Chrysogono sunt. ita credo: literis eorum, & urbanitate Chrysogonus duci tur: ut inter suos omniũ delitiarum atq; omniũ artiũ pu erulos ex tot elegãtißimis familijs lectos, uelit hos uer sari homines penè operarios ex Amerina disciplina pa tris familiæ rusticani. non est ita profecto Iudices: nõ est ueriſimile: ut Chrysogonus horũ literas adamarit, aut humanitatem: non, ut rei familiaris negocio diligentiã cognorit eorum, et fidem. est quiddam quod occultatur: quod quo studioſius ab ipsis opprimitur: et absconditur: eo magis eminet: & apparet. quid igitur? Chrysogo nus sui maleficij occultandi causa quæstionem de his ha beri non uult? minime Iudices. non in omnis arbitror omnia conuenire. ego in Chrysogono, quod ad me atti net, nihil eiusmodi suspicor: neq; hoc mihi nunc primũ in mentẽ uenit dicere. meminiſtis me ita distribuisse ini tio causam: in crimẽ: cuius tota argumentatio permissa Erucio est: & in audaciam: cuius partes Roscijs impoſi tæ sunt. quicquid maleficij, sceleris, cædis erit: propriũ id Rosciorum esse debebit. nimiam gratiam, potentiãq;

Chrysogoni dicimus, & nobis obstare: & perferri nul lo modo posse: et à uobis, quoniam potestas data est: non modo infirmari, uerumetiã uindicari oportere. Ego sic existimo: qui quæri uelit ex ijs, quos constat cum cædes facta sit, affuisse: eum cupere uerum inuenire. qui recu set, eum profecto tametsi uerbo nõ audeat: tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. Dixi initio Iudices: nolle me plura de istorum scelere dicere: quàm causa postularet: ac necessitas ipsa cogeret. nam & multæ res afferri pos sunt: & unaquæq; earum multis cum argumentis dici potest. uerum ego quod inuitus, ac necessario facio, neq; diu, neq; diligenter facere possum. quæ præteriri nullo modo poterãt: ea leuiter Iudices attigi. quæ posita sunt in suspicionibus: de quibus si cœpero dicere, pluribus uerbis sit disserendum: ea uestris ingenijs coniecturæq; committo. Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni: sub quo nomine tota societas statuitur: de quo Iudices neq; quomodo dicam: neq; quomodo taceã reperire possum. si enim taceo: uel maximam partem re linquo: sin autem dico: uereor ne non ille solus, id quod ad me nihil attinet, sed alij quoq; plures læsos se esse pu tent, tametsi ita res se habet: ut mihi in communem cau sam sectorum dicendum nihil magnopere uideatur. hæc enim causa noua profecto & singularis est, bonorum Sex. Roscij emptorem Chrysogonum. Primum hoc ui deamus, eius hominis bona qua ratione uenierunt: aut quomodo uenire potuerunt. atq; hoc non ita quærã Iu dices: ut id dicam: esse indignum hominis innocentis bo na uenisse. si enim hæc audientur, ac libere dicentur: non fuit tãtus homo Sex. Roscius in ciuitate: ut de eo potißi mum cõqueramur. uerum ego hoc quæro: qui potuerũt

ista ipsa lege, quæ de proscriptione est: siue Valeria est, siue Cornelia: non enim noui, nec scio: uerum ista ipsa lege bona Sex. Roscij uenire qui potuerunt? scriptum enim ita dicunt esse: ut eorum bona ueneant: qui proscripti sunt. quo in numero Sex. Roscius non est. aut eorum, qui in aduersariorum præsidijs occisi sunt. dum præsidia ulla fuerunt: in Syllæ præsidijs fuit. postea quã ab armis recesserunt: in summo ocio rediens à cœna Romæ occisus est. si lege: bona quoq; lege uenisse fateor. sin autem constat, contra omnis non modo ueteris leges, uerum etiam nouas occisum esse: bona quo iure, aut quomodo, aut qua lege uenierint, quæro. In quem hoc dicã quæris Eruci? non in eum quem uis: & putas. nam Syllam & oratio mea ab initio, & ipsius eximia uirtus omni tempore purgauit: ego hæc omnia Chrysogonũ fecisse dico: ut ementiretur: ut malum ciuem Roscium fuisse fingeret: ut eum apud aduersarios occisum esse diceret: ut hisce de rebus à legatis Amerinorũ doceri L. Syllam passus non sit. deniq; etiam illud suspicor: omnino hæc bona non uenisse: id quod postea, si per uos Iudices licitum erit: aperietur. Opinor enim esse in lege quã ad diem proscriptiones uenditionesq; fiant: nimirum Cal. Iunias. aliquot post menses et homo occisus est: & bona uenisse dicuntur. profecto aut hæc bona in tabulas publicas nullas redierunt: nosq; ab isto nebulone facetius eludimur, quàm putamus. aut si redierunt: tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt. nam lege quidẽ bona uenire non potuisse constat. intelligo me ante tempus Iudices hæc scrutari: & propemodum errare: qui cum capiti Sex. Roscij mederi debeam: rediuiam curem. non enim laborat de pecunia: non ullius rationem sui com-

modi ducit: facile egestatem suam se laturũ putat: si hæc indigna suspicione, & ficto crimine liberatus sit. uerum quæso à uobis Iudices: ut hæc pauca quæ restant: ita audiatis: ut partim me dicere pro meipso putetis: partim pro Sex. Roscio. quæ enim mihi ipsi indigna, & intolerabilia uidentur: quæq; ad omnis, nisi prouidemus, arbitror pertinere: ea pro meipso, & animi mei sensu, ac dolore pronuncio. quæ ad huius uitæ casum, causamq; pertineant: & quid hic pro se dici uelit: & qua conditione contentus sit: iam in extrema oratione nostra Iudices audietis. Ego hæc à Chrysogono mea sponte remoto Sex. Roscio quæro: primum quare ciuis optimi bona uenierint? deinde quare hominis eius, qui neq; apud aduersarios occisus est: bona uenierint: cũ in eos solos lex scripta sit? deinde quare aliquãto post eam diem uenierint: quæ dies lege præfinita est? deinde cur tantulo uenierint? quæ omnia, si quemadmodũ solent liberti nequã, & improbi facere, in patronum suum uoluerit conferre: nihil egerit. nemo est enim qui nesciat: propter magnitudinẽ rerũ multa multos, partim cõniuẽte, partim imprudẽte L. Sylla cõmisisse. Placet igitur in his rebus aliqd imprudentia præteriri? nõ placet Iudices: sed necesse est. etenim si Iupiter Opt. Maximus, cuius nutu & arbitrio cœlum, terra, mariaq; reguntur: sæpe uentis uehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit: urbes deleuit: fruges perdidit: quorũ nihil pernicij causa diuino consilio, sed ui ipsa, & magnitudine rerum factum putamus. at contra, commoda, quibus utimur: lucemq;, qua fruimur: spiritumq;, quẽ ducimus: ab eo nobis dari atq; impertiri uidemus. quid miramur L. Syl-

lam, cum solus Remp. regeret: orbemq; terrarum gubernaret: imperijq; maiestatem, quam armis receperat: legibus confirmaret: aliqua animaduertere non potuisse? nisi hoc mirum est: quod uis diuina assequi non posit: si id mens humana adepta non sit. Verum ut hæc missa faciam: quæ iam facta sunt: ex ijs quæ nunc maxime fiunt, nonne quiuis potest intelligere: omniũ architectũ, & machinatorem unum esse Chrysogonum: qui Sex. Roscij nomen deferendum curauit: hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius-

-aptam, et ratione dispositam se habere existimant: quĩ in Sallentinis aut in Brutijs habent: unde uix ter in anno audire nuncium possunt. alter tibi descendit de palatio, & ædibus suis. habet animi causa rus amœnum, & suburbanum: plura præterea prædia: neq; tamen ullum nisi præclarũ, & propinquum. domus referta uasis Corinthijs & Deliacis: in quibus est authepsa illa: quam tanto precio nuper mercatus est: ut qui prætereuntes precium enumerari audiebant, fundum uenire arbitrarentur. quid præterea cœlati argenti? quid stragulæ uestis? quid pictarum tabellarũ? quid signorũ? quid marmoris apud illũ putatis esse? tantũ scilicet: quantũ è multis splendidisq; familijs, in turba & rapinis coacerua-

ri una in

ri una in domo potuit. familiam uero quantã, & quàm uarijs cum artificijs habeat, quid ego dicam? mitto hasce artis uulgares, coquos, pistores, lecticarios: animi & auriũ causa tot homines habet: ut quotidiano cantu uocum & neruorum, & tibiarum, nocturnisq; conuiuijs tota uicinitas personet. in hac uita Iudices quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quæ uero conuiuia? honesta credo in eiusmodi domo: si domus hæc habenda est potius, quam officina nequitiæ, et diuersorium flagitiorum omnium. ipse uero quemadmodum composito, & delibuto capillo passim per forum uolitet, cũ magna caterua togatorum uidetis Iudices. etiam uidetis Iudices, ut omnes despiciat: ut hominem præ se neminẽ putet: ut se solum beatum, solum potentem putet. quæ uero efficiat, & quæ conetur, si uelim commemorare: uereor Iudices, ne quis imperitior existimet, me causam nobilitatis uictoriamq; uoluisse lædere. tametsi meo iure possum, siquid in hac parte mihi nõ placeat, uituperare. nõ enim uereor ne quis alienum me animum habuisse à causa nobilitatis existimet. sciunt ij, qui me norunt: me pro illa tenui infirmaq; parte, poste aquam id quod maxime uolui, fieri non potuit, ut cõponeretur: id maxime defendisse: ut ij uincerent, qui uicerunt. quis enim erat, qui nõ uideret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi ciuis erat: nõ se ad eos iungere: quibus incolumibus, & domi dignitas, & fõris authoritas retineretur. quæ perfecta esse, & suum cuiq; honorem & gradum redditum, gaudeo Iudices, uehementerq; lætor. eaq; omnia deorũ uolũtate, studio populi Rom. cõsilio, & imperio, & felicitate L. Syllæ gesta esse intelligo. quod animaduersum est in eos, qui cõ

tra omni ratione pugnarunt, non debeo reprehendere. quod uiris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus est: laudo. quæ ut fierent, id circo pugnatum esse arbitror: meq; in eo studio partium fuisse confiteor. sin autem id actum est: & iccirco arma sumpta sunt: ut homines postremi, pecunijs alienis locupletarentur: & in fortunas uniuscuiusq; impetum facerent: & id nonmodo re, prohibere non licet: sed ne uerbis quidem uituperare: tum uero in isto bello non recreatus, neq; restitutus, sed subactus, oppressusq; populus Romanus est. uerũ longe aliter est: nihil horum est Iudices: nõmodo nõ lædetur causa nobilitatis, si istis hominibus resistetis: uerũ etiã ornabitur. etenim qui hæc uituperare uolunt: Chrysogonum tantum posse queruntur. qui laudare uolunt: concessum ei non esse commemorant. ac iam nihil est quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit: qui dicat, uellem quidẽ liceret, hoc dixissem. dicas licet. hoc feciſſem. facias licet: nemo prohibet. hoc decreuissem. decerne: modo recte, omnes approbabunt. hoc iudicassem. laudabunt omnes: si recte & ordine iudicaris. dum necesse erat, resq; ipsa cogebat: unus omnia poterat. qui postea quam magistratus creauit, legesq; constituit: sua cuiq; procuratio, authoritasq; est restituta. quam si retinere uolunt ij, qui receperunt: in perpetuum poterunt obtinere. sin has cædes, & rapinas, & hos tantos, tamq; profusos sumptus aut faciẽt, aut approbabunt: nolo in eos grauius quicquam, ne hominis quidem causa dicere. unum hoc dico: nostri isti nobiles, nisi uigilantes, & boni, & fortes, et misericordes erunt: ijs hominibus, in quibus hæc erunt, ornamenta sua concedãt necesse est. Quapropter desinant aliquãdo dicere:

male aliquem locutum esse: si quis uere ac libere locutus sit. desinant suam causam cum Chrysogono communicare: desinant, si ille læsus sit, de se aliquid detractum arbitrari: uideant ne turpe, miserumq; sit, eos qui equestrẽ splendorem pati non potuerunt, serui nequissimi dominationem ferre posse. quæ quidem dominatio Iudices in alijs rebus antea uersabatur. nunc uero quam uiam munitet: quod iter affectet, uidetis: ad fidem, ad iusiurandum, ad iudicia uestra, ad id, quod solum prope in ciuitate syncerum, sanctumq; restat. Hic ne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse uult? O' rem miseram atq; acerbam. neq; mehercules hoc indigne fero: quod uerear, ne quid possit: uerum quod ausus est: quod sperauit sese apud tales uiros aliquid ad perniciem posse innocentis: id ipsum queror. iccirco ne experrecta nobilitas armis atq; ferro Remp. recuperauit? ut ad libidinem suam liberti seruuliq; nobilium, bona, fortunas uestras, nostrasq; uexare possent? si id actum est: fateor me erraſſe, qui hoc maluerim: fateor insaniſſe, qui cum illis senserim. tametsi inermis Iudices sensi. sin autem uictoria nobilium ornamento, atq; emolumento Reip. populoq; Rom. debet esse: tum uero optimo, et nobilissimo cuiq; meã orationem gratissimã esse oportet. Quod si quis est, qui & se, & causam lædi putet, cum Chrysogonus uituperetur: is causam ignorat: seipsum prope non nouit. causa enim splendidior fiet: si nequissimo cuiq; resistetur. ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationẽ communicatã putat, lædi-tur: cum ab hoc splendore causæ separatur. uerũ hæc omnis oratio, ut iã ante dixi, mea est: qua me uti Resp. & dolor meus, & istorum iniuria coegit. Sed Roscius ho-

rum nihil indignum putat: neminem accusat: nihil de suo patrimonio quæritur: putat homo imperitus morũ, agricola, & rusticus, ista omnia, quæ uos per Syllam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium, facta: culpa liberatus, & crimine nefario solutus, cupit à uobis discedere. si hac indigna suspicione careat: animo æquo se carere suis omnibus commodis dicit. rogat, oratq; te Chrysogone: si nihil de patris fortunis amplissimis in suã rem conuertit: si nulla in re te fraudauit: si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumerauit, appendit: si uestitum quo ipse tectus erat, annulumq; dedit, os suum tibi tradidit: si ex omnibus rebus seipsum nudũ, neq; præterea quicquam excepit: ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus uitam in egestate degere. prædia mea tu possides: ego alienam misericordiam uiuo: concedo, et quod animus æquus est, & quia necesse est. mea domus tibi patet, mihi clausa est: fero. familia mea maxima uteris: ego seruum habeo nullum: patior, & ferendum puto. Quid uis amplius? quis insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam uoluntatem lædi à me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? si spoliorum causa uis hominem occidere: spoliasti. quid quæris amplius? si inimicitiarũ: quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo: cuius antea prædia possedisti, quàm ipsum cognosti? sin metuis: ab eo ne aliquid metuis? quem uides ipsum ab sese tam atrocem iniuriam propulsare non posse? sin quod bona, quæ Roscij fuerunt, tua facta sunt: iccirco hunc illius filium studes perdere: nonne ostendis id te uereri? quod præter cæteros tu metuere non debeas: ne quando liberis proscriptorum bona patria reddãtur. Facis iniuriam Chrysogone: si maiorem spem emptionis tuæ, in huius exitio po-

nis: quàm in his rebus quas L. Sylla gessit. quod si tibi causa nulla est cur hunc miserum tanta calamitate afficiuelis: si tibi omnia sua præter animam tradidit: nec sibi quicquam paternum, ne monumenti quidem causa reseruauit: per deos immortales quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanisq; natura? quis unquam prædo fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus? ut cum integram prædam sine sanguine habere posset: cruenta spolia detrahere mallet? scis hunc nihil habere: nihil audere: nihil posse: nihil unquam contra rem tuam cogitasse: & tamen oppugnas eum, quem neq; metuere potes, neq; odisse debes: nec quicquam habere iam reliqui uides, quod ei detrahere possis. nisi hoc indignum putas: quod uestitum sedere in iudicio uides: quẽ tu è patrimonio tanquam è naufragio nudum expulisti. quasi uero nescias hunc & ali & uestiri à Cæcilia Balearis filia, Nepotis sorore, spectatissima fœmina: quæ cum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet: tamen, cum esset mulier, uirtute perfecit: ut quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur: non minora illis ornamenta ex sua laude redderet. An quod diligenter defenditur: id tibi indignum facinus uidetur? mihi crede, si pro patris eius hospitijs, et gratia uellent omnes huius hospites adesse, & auderent libere defendere: satis copiose defenderetur. sin autem pro magnitudine iniuriæ, proq; eo, quod summa Reip. in huius periculo tentatur, hæc omnes uindicarent: cõsistere me hercule uobis isto in loco non liceret. nunc ita defenditur: non sanè ut molestè ferre aduersarij debeant: neque ut se potentia superari putent. quæ domi gerenda sunt: ea per Cæciliam transiguntur: fori iudicijq; rationem

Messala, ut uidetis Iudices, suscepit: qui si iam satis ætatis atque roboris haberet: ipse pro Sex. Roscio diceret. quoniã ad dicendum impedimẽto est ætas, & pudor, qui ornat ætatem: causam mihi tradidit: quem sua causa cupere, ac debere intelligebat. ipse assiduitate, consilio, authoritate, diligentia perfecit: ut Sex. Roscij uita erepta de manibus sectorum, sententijs iudicum permitteretur. nimirum Iudices pro hac nobilitate pars maxima ciuitatis in armis fuit: hæc acta res est: uti nobiles resistuerentur in ciuitatẽ: qui hoc facerẽt, quod facere Messalam uidetis: qui caput innocentis defenderent: qui iniuriæ resisterent: qui quantum possent in salute alterius, quam in exitio mallent ostendere. quod si omnes qui eodem loco nati sunt, facerent: & Resp. ex illis, & ipsi ex inuidia minus laborarent. Verum si à Chrysogono Iudices non impetramus: ut pecunia nostra contentus sit, uitam ne petat: si ille adduci non potest: ut cum ademerit nobis omnia, quæ nostra erant propria, ne lucem quoq; hanc quæ communis est, eripere cupiat: si nõ satis habet auariciam suam pecunia explere: nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit: unum perfugium Iudices, una spes reliqua est Sex. Roscio, eademq; Reipublicæ, uestra pristina bonitas, & misericordia. quæ si manet, salui etiam nunc esse possumus. sin ea crudelitas, quæ hoc tempore in Repub. uersata est, uestros quoque animos, id quod fieri profecto non potest, duriores, acerbioresq; reddidit: actũ est Iudices: inter feras satius est ætatem degere, quàm in hac tanta immanitate uersari. ad eam ne rem uos reseruati estis? ad eam ne rem delecti? ut eos condẽnaretis, quos sectores, ac sicarij iugulare nõ potuissent? Solẽt hoc boni imperatores facere, cum præ

lium committunt: ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent: in quos, si qui ex acie fugerint, de improuiso incidant. nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, uos hic tales uiros sedere. qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint. dij prohibeãt Iudices: ut hoc, quod maiores consilium publicum uocari uoluerunt: præsidium sectorum existimetur. an uero Iudices uos non intelligitis? nihil aliud agi: nisi ut proscriptorum liberi quauis ratione tollantur? & eius rei initiũ in uestro iureiurando, atq; in Sex. Roscij periculo quæri? dubium est ad quem maleficium pertineat? cum uideatis ex altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eundemq; accusatorem, hoc tempore: ex altera parte egentem, probatum suis filium: in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere. nunquid hic aliud uidetis obstare Roscio? nisi quod patris bona uenierunt? quod si id uos suscipitis, & eadem in re operam uestrã profitemini: si iccirco sedetis, ut ad uos adducantur eorum liberi, quorum bona uenierunt: cauete per deos immortales Iudices: ne noua, & multo crudelior per uos proscriptio instaurata esse uideatur. illam priorẽ, quæ facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit: ne quid acrius quàm more maiorũ cõparatum est, publico consilio factum uideretur. hanc uero quæ ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet: nisi hoc iudicio à uobis reijcitis, & aspernamini: uidete per deos immortales, quem in locum Rempublicam peruenturam putetis. Homines sapientes, & ista authoritate, & potestate præditos, qua uos estis, ex quibus rebus maxime Resp. laborat, ijs maxime mederi conuenit.

uestrum nemo est: quin intelligat populum Romanum, qui quondã in hostes leniſsimus existimabatur: hoc tempore domestica crudelitate laborare. hanc tollite ex ciuitate Iudices: hanc pati nolite diutius in hac Rep. uersari: quæ non modo id habet in se mali, quod tot ciues atrociſsime sustulit: uerum etiam hominibus leniſsimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum. nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri uidemus, aut audimus: etiam, qui natura mitiſsimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnẽ humanitatis ex animis amittimus.

Desit fortasse quippiam.

Deesse principium fortasse propterea crediderunt: quod finis iste non satis magnos motus habere uideatur.

PRO Q. ROSCIO COMOEDO. ORATIO III.

Principium deest. etiam narratio si quæ fuit: cum non nulla parte confirmationis.

malitiam naturæ crederetur. is scilicet uir optimus & singulari fide præditus, in suo iudicio suis tabulis testibus uti conatur. solent ferè dicere q per tabulas homines citi pecuniam expensam tulerunt: ego ne talem uirum corrumpere potui? ut mea causa falsum in codicem referret? expecto quam mox Chærea hac oratione utatur. ego ne hanc manum plenam perfidiæ, & hos digitos meos impellere potui, ut falsum perscriberem nomen? quod si ille suas proferet tabulas: pferet suas quoq; Roscius. erit in illius tabulis hoc nomen: at huius non erit. cur potius illius, quàm huius crederetur? scripsisset ille, si non iussu huius expensum tulisset? non scripsisset hic, quod sibi expensum ferre iusisset? nam quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur: sic improbum est non referre, quod debeas. æque enim tabulæ cõdemnantur eius, qui uerum non retulit: & eius, qui falsum perscripsit. Sed ego copia & facultate causæ confisus, uide quo progrediar. si tabulas C. Fannius accepti, et expensi profert suas, in suam rem, suo arbitratu scri-

ptas: quo minus secundum illum iudicetis, non recuso. quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit? ut quodcunq; retulisset, id ratum haberet? ratum habebit Roscius. profer. quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum: quod tibi fuerit probatum, huic erit probatum. paulo ante à M. Perpeña P. Saturi tabulas poscebamus. nũc tuas C. Fannij Chereæ solius flagitamus: & quominus secundum eas lis detur, non recusamus. quid ita non profers? non conficit tabulas? immo diligentißime. non refert parua nomina in codices? immo omnis summas. leue, & tenue hoc nomen HS CCCLIII sunt? quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria iacet? quomodo HS CCCLIII in codice accepti, & expensi non sunt? prò dij immortales, esse ne quenquam tanta audacia præditum? qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicẽ iniuratus referre noluit, id iurare in litem non dubitet? quod sibi probare non poßit, id persuadere alteri conetur? nimium cito ait me indignari de tabulis: non habere se hoc nomen in codice accepti, & expensi relatum confitetur: sed in aduersarijs patere contendit. usq; eo ne te diligis? & magnifice circunspicis? ut pecuniã non ex tuis tabulis, sed aduersarijs petas? suũ codicem testis loco recitare arrogãtiæ est. suarum perscriptionum, & liturarum aduersaria proferre non amentia est? quod si eandem uim, diligentiam, authoritatemq; habent aduersaria, quam tabulæ: quid attinet codicem instituere? conscribere? ordinẽ conseruare? memoriæ tradere literarum uetustatem? sed si quod aduersarijs nihil credimus, iccirco codicem scribere instituimus: quod etiam apud omnis leue, & infirmum est: id apud iudicem graue & sanctum esse du-

cetur? quid est, quod negligenter scribamus aduersaria? quid est quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? quia hæc sunt menstrua, illæ sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ seruantur sanctè: hæc parui temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem, & religionem amplectuntur: hæc sunt deiecta, illæ in ordinem confectæ. itaq; aduersaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit: tabulas recitauit. tu C. Piso tali fide, uirtute, grauitate, authoritate ornatus, ex aduersarijs pecuniã petere non auderes. Ego quæ clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo. illud uero, quod ad rem uehementer pertinet, quæro: quàm pridem hoc nomen Fanni in aduersaria retulisti? erubescit, quid respondeat nescit: quid fingat extemplo, non habet. sunt duo menses iam dices. tamen in codicem acceptum, & expensum referri debuit. amplius sunt sex menses. cur tam diu tacet hoc nomen in aduersarijs? quid si tandẽ amplius triennium est? quomodo, cum omnes qui tabulas cõficiant, menstruas penè rationes in tabulas transferant: tu hoc nomen triennium amplius in aduersarijs iacere pateris? utrum cætera nomina in codicem accepti, & expensi digesta habes, an non? si non: quomodo tabulas confecis? si etiam: quamobrem, cum cætera nomina in ordinẽ referebas, hoc nomẽ triennio amplius, quod erat in primis magnum, in aduersarijs relinquebas? nolebas sciri debere tibi Roscium. cur scribebas? rogatus eras, ne referres. cur in aduersarijs scriptum habebas? Sed hæc quanquam firma esse uideo: tamen ipse mihi satisfacere non possum: nisi à C. Fannio ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. magnum est, quod conor: difficile est, quod polliceor. nisi eundem & aduersarium

& testem habuerit Roscius, nolo uincat. pecunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per iudicem: in qua legitimæ partis sponsio facta est. hic tu si amplius HS nummo petisti, quàm tibi debitum est, causam perdidisti: propterea quod aliud est iudicium: aliud est arbitrium. iudicium est pecuniæ certæ: arbitrium incertæ. ad iudicium hoc modo uenimus: ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus. ad arbitrium hoc animo adimus: ut neq; nihil, neq; tantum quantum postulauimus, consequamur. Eius rei ipsa uerba formulæ testimonio sunt. quid est in iudicio? directum, asperum, simplex. si peteret HS LIII dari: hic nisi planum facit HS LIII ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum, quanto æquius & melius, id clarius: ille tamen confitetur, plus se petere, quàm debeatur: sed satis superq; habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. itaq; alter causæ cõfidit, alter diffidit. Quæ cũ ita sint, quæro abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipsis HS LIII, de tuarum tabularum fide, compromissum feceris: arbitrum sumpseris: quanto æquius & melius sit dari repromittiq; si peteres. Quis in hãc rem fuit arbiter? utinam is quidem Romæ esset. Romæ est. iam utinam adesset in iudicio. adest. utinam sederet in consilio C. Pisonis. ipse C. Piso est. eundem ne tu arbitrum & iudicem sumebas? eidem & infinitam largitionem remittebas? et eundem in angustißimam formulam sponsionis concludebas? quis unquam ad arbitrum quantum petit tantum abstulit? nemo. quantum enim æquius esset sibi dari, petit. de quo nomine ad arbitrum adisti, de eo ad iudicem uenisti. cæteri cum ad iudicem causam labefactari animaduertunt, ad arbitrum confugiunt. hic ab arbitro ad iudicem uenire est ausus: qui cum de hac pecunia, de tabularum fide arbitrum sumpsit: iudicauit sibi pecuniam non deberi. Iam duæ partes causæ sunt confectæ: adulteraſſe ſeſe negat: expensum tulisse non dicit, cum tabulas non recitat. reliquum est ut stipulatum se esse dicat. præterea enim quemadmodum certam pecuniã petere posßit, non reperio. stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præsente? quis spopõdisse me dicit? nemo. Hic ego si finem faciam dicendi: satis fidei & diligentiæ meæ, satis causæ & controuersiæ, satis formulæ et sponsioni, satis etiam iudici fecisse uidear, cur secundum Roscium iudicari debeat. pecunia petita est certa: cum tertia parte sponsio facta est. hæc pecunia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. datam non esse, Fannius cõfitetur: expensam latam nõ esse, codices Fannij confirmant: stipulatam non esse, taciturnitas testium concedit. quod ergo est? quid & res eius est, et cuius pecunia leuißima, & existimatio sanctißima fuit semper: & iudex est is, quem nos non minus bene de nobis existimare, quàm secundum nos iudicare uelimus: & aduocatio ea est, quam propter eximium splendorem, ut iudicem unum uereri debeamus: perinde ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima, omnia arbitria honoraria, omnia officia domestica, concluſa & comprehensa sint, perinde dicemus. illa superior fuit oratio necessaria: hæc erit uoluntaria. illa ad iudicem: hæc ad C. Pisonem. illa pro reo: hæc pro Roscio. illa uictoriæ: hæc bonæ existimationis causa comparata. Pecuniam petis Fanni à Roscio: quam? dic audacter, & aperte: utrum quæ tibi ex societate debeatur? an quæ ex liberalitate huius promissa sit, & ostentata? quorum alterum est grauius,

& odiosius: alterum leuius, & facilius. Quæ ex societate debeatur? quid ais? hoc iam nec leuiter ferendum est, neq; negligenter defendendum. si qua enim sunt priuata iudicia summæ existimationis, & penè dicã capitis: tria hæc sunt: fiduciæ, tutelæ, societatis. æque enim perfidiosum, & nefarium est, fidem frangere, quæ continet uitã: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & socium fallere, qui se in negocio coniunxit. Quæ cum ita sint: quisit, qui socium fraudarit & fefellerit, considerabimus. dabit enim nobis iam tacite uita acta, in alterutram partem firmum, & graue testimonium. Quintus Roscius? quid ais? nonné ut ignis in aquam coniectus continuo restinguitur: & refrigeratur: sic referuens falsum crimen in purissimam & castissimam uitam collatum statim concidit, & extinguitur? Roscius sociũ fraudauit? potest hoc homini huic hærere peccatum? qui, mediusfidius audacter dico, plus fidei quàm artis, plus ueritatis, q̃ disciplinæ possidet in se: quem populus Ro. meliorem uirum, quàm histrionem esse arbitratur: qui ita dignissimus est scena, propter artificium: ut dignissimus sit curia, propter abstinentiã. sed quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem dico? ignotum hominem scilicet pluribus uerbis cõmendo. est ne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? est ne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberaliorq; uideatur? quid tu Saturi, qui contra hunc uenis: existimas aliter? nonné quotiens cunq; in causa in nomen huius incidisti: totiens hunc & uirum bonũ esse dixisti, & honoris causa appellasti? quod nemo nisi aut honestissimo, aut amicissimo facere cõsueuit. qua in re mihi ridicule es uisus esse inconstans: qui eundem et læderes, & laudares: et uirum optimum, et hominem improbissimum esse diceres. eundem tu et honoris causa appellabas: et uirũ primarium esse dicebas: & socium fraudasse arguebas. sed, ut opinor, laudem ueritati tribuebas: crimen gratiæ concedebas. de hoc ut existimabas, prædicabas: Chereæ arbitratu causam agebas: fraudauit Roscius. est hoc quidem auribus, animisq; hominum absurdum. quid si tandem aliquem timidum, dementem, diuitem, inertem, nactus esset, qui experiri non posset? tamen incredibile esset. ueruntamen quem fraudarit uideamus. C. Fannium Cheream Roscius fraudauit. oro, atq; obsecro, uos qui nostis, uitam inter se utriusq; conferte: qui non nostis, faciem utriusq; considerate. nonné ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere maliciam, & clamitare calliditatem uidentur? nonné ab imis unguibus usq; ad uerticem summum, si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallacijs, mendacijs, constare totus uidetur? qui iccirco capite, & supercilijs semper est rasis, ne ullum pilum uiri boni habere dicatur. cuius personam præclare Roscius in scena tractare consueuit. neq; tamen pro beneficio ei par gratia refertur. nam Ballionem illum improbissimum, & periurissimum lenonem cum agit, agit Cheream. persona illa lutulenta, impura, inuisa, in huius moribus, natura, uitaq; est expressa. qui quamobrem Roscium similem sui in fraude, & malicia existimarit, nihil uidetur: nisi forte, quod præclare hunc imitari se in persona leonis animaduertit. Quamobrem etiam atq; etiam considera C. Piso, quis quem fraudasse dicatur. Roscius Fannium? quid est hoc? probus improbum, pudens impudentem, periurum castus, callidum imperitus, libera-

lis auidum . incredibile est . quemadmodum si Fannius Roscium fraudasse diceretur, utrunq; ex utriusq; persona uerisimile uideretur : & Fannium per maliciam feciſſe: & Roſcium per imprudentiam deceptum eſſe. ſic cum Roſcius Fannium fraudaſſe arguatur , utrunq; incredibile eſt : & Roſcium quicquam per auaritiam appetiſſe: & Fannium quicquam per ſe bonitate amiſiſſe. principia ſunt huiuſmodi . ſpectemus reliqua. HS LIII Q. Roſcius fraudauit Fannium . qua de cauſa? ſubridet Saturius ueterator , ut ſibi uidetur. ait propter ipſa HS LIII. uideo: ſed tamen cur ipſa HS LIII tam uehementer concupierit quæro . Nam tibi M. Perpenna, C. Piſo certe tanti non fuiſſet, ut ſocium fraudaretis. Roſcio cur tãti fuerit, cauſam requiro. egebat? immo locuples erat. debebat? immo in ſuis nummis uerſabatur. auarus erat? immo etiã antequam locuples, ſemper liberaliſſimus, munificentiſſimusq; fuit . prò deũ hominũq; fidẽ: qui HS CCCLIII . CCCLIII . CCCLIII quæſtus facere noluit: nam certe HS CCCLIII. CCCLIII. CCCLIII merere & potuit, & debuit: ſi poteſt dionyſia HS CCCLIII. CCCLIII merere: is per ſummã fraudem, & maliciam, & perfidiam HS LIII appetijt? & illa fuit pecunia immanis : hæc paruula . illa honeſta: hæc ſordida . illa iucunda: hæc acerba . illa propria: hæc in cauſa, & in iudicio collocata. Decem his annis proximis HS ſexagies honeſtiſſime conſequi potuit: noluit : laborem quæſtus recepit : quæſtum laboris reiecit : populo Ro . adhuc ſeruire non deſtitit : ſibi ſeruire iam pridem deſtitit . hoc tu unquam Fanni faceres? ſed ſi hos quæſtus recipere poſſes: non eodem tempore & geſtum , & animam ageres? dic nunc te ab Roſcio HS LIII circunſcriptum

LIII circunſcriptum eſſe: qui tantas , & tam infinitas pecunias, non propter inertiam laboris, ſed propter magnificentiam liberalitatis repudiarit . Quid ego nunc illa dicam: quæ uobis in mentem uenire certo ſcio? fraudabat te in ſocietate Roſcius. ſunt iura, ſunt formulæ de omnibus rebus conſtitutæ : ne quis aut in genere iniuriæ, aut ratione actionis errare poſſit. expreſſæ ſunt enim ex uniuſcuiuſq; damno, dolore, incõmodo, calamitate, iniuria, publicæ à prætore formulæ: ad quas priuata lis accommodatur . quæ cum ita ſint : cur non arbitrum pro ſocio adegeris Q. Roſciũ quæro . formulam non noras? notiſſima erat. iudicio graui experiri nolebas? quid ita? propter familiaritatẽ ueterem? cur ergo lædis? propter integritatẽ hominis? cur igitur inſimulas? propter ægritudinem criminis? ita ne uero? quem per arbitrum circumuenire non poſſes: cuius de ea re proprium non erat iudicium, nũc per iudicem condemnabis: cuius de re nullum eſt arbitrium? quin tu hoc crimen aut obijce, ubi licet agere : aut tacere noli, ubi non oportet. tametſi iam hoc tuo teſtimonio crimen ſublatum eſt. nam quo tu tempore illa formula uti noluiſti: nihil hũc in ſocietate fraudis feciſſe oſtendiſti. * in ditionem . num tabulas habet an non? ſi non habet : quemadmodum pactio eſt? ſi habet : cur non nominas ? dic nunc Roſcium abs te petiſſe ut familiarem ſuum ſumeres arbitrum . non petijt. dic pactionem feciſſe ut abſolueretur. non pepigit. quære quare ſit abſolutus , quod erat ſumma innocentia, & integritate . quid enim factum eſt ? ueniſti domum ultro Roſcij: ſatisfeciſti: quod temere commiſiſti, in iudicium ut denunciaret: rogaſti ut ignoſceret: te affuturum

negasti: debere tibi ex societate nihil, clamitasti iudici: hic denunciauit: absolutus est. tamẽ fraudis ac furti mentionẽ facere audes? perstat in impudẽtia: pactionẽ enim inquit, mecum fecerat. iccirco uidelicet ne condemnaretur? quid erat causæ, cur metueret ne cõdemnaretur? res erat manifesta: furtum erat apertum. cuius rei furtum factum erat? exorditur magna cum expectatione ueteris histrionis exponere societatem. Panurgus, inquit, fuit Fannij. is fuit ei cum Roscio communis. hic primum quæstus est non leuiter Saturio: communem factum esse gratis cũ Roscio: qui precio proprius fuisset Fannij. largitus est scilicet homo liberalis, & dissolutus, & bonitate affluẽs Fannius Roscio? sic puto. quoniam ille hic constitit pauliſper: mihi quoq; necesse est paulũ commorari. Panurgum tu Saturi proprium Fannij dicis fuisse. at ego totum Roscij fuisse contendo. quid erat enim Fannij? corpus. quid Roscij? disciplina, facies non erat, ars erat preciosa. ex qua parte erat Fannij, non erat HS LIII. ex qua parte erat Roscij: amplius erat HS CCCLIII. nemo enim illum ex trunco corporis spectabat: sed ex artificio Comico æstimabat, nã illa membra merere per se non amplius poterant duodecim æris: disciplina quæ erat ab hoc tradita: locabat se non minus HS CCCLIII. O' societatem captiosam & indignam: ubi alter HS LIII, alter CCCLIII quod sit, in societatem affert. nisi iccirco molestè pateris: quod HS LIII tu ex arca proferebas: HS CCCLIII ex disciplina, & artificio Roscius promebat. quam enim rem, & expectationem, quod studium, & quem fauorem secum in scenam attulit Panurgus? quod Roscij fuit discipulus: qui diligebant hunc, illi fauebant: qui admirabantur hunc, illum probabant: qui denique huius nomen audierant: illum eruditum & perfectum existimabant. sic est uulgus, ex ueritate pauca, ex opinione multa æstimat. quid sciret ille, perpauci animaduertebant: ubi didicisset, omnes quærebant. nihil ab hoc prauum, & peruersum produci posse arbitrabantur. si ueniret ab Statilio, tametsi artificio Roscium superaret: aspicere nemo posset. nemo enim sicut ex improbo patre probum filiũ nasci, sic ex pessimo histrione bonum Comœdũ fieri posse existimaret. qa ueniebat à Roscio, plus etiã scire, quàm sciebat, uidebatur. quod item nuper in Erote Comœdo usu uenit. q̃ postea quàm è scena non modo sibilis, sed etiam conuicio explodebatur: sicut in aram confugit in huius domum, disciplinam, patrocinium, nomen, itaq; perbreui tempore, qui ne in nouissimis quidem erat histrionibus: ad primos peruenit Comœdos. quæ res extulit eum? una cõmendatio huius. qui tamen Panurgum illum, non solum ut Roscij discipulus fuisse diceretur, domum recepit: sed etiam summo cum labore, stomacho, miseriaq; erudijt. Iam quo quisq; est solertior, & ingeniosior: hoc docet iracundius, & laboriosius. quod enim ipse celeriter arripuit: id cum tarde percipi uidet, discrutiatur. Paulo longius oratio mea prouecta est hac de causa: ut conditionem societatis diligenter cognosceretis. quæ deinde sunt consecuta? Panurgum inquit hunc seruum communem Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit. in hanc rem, inquit, me cognitorẽ dedisti: lite cõtestata, iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cum Flauio decidisti. utrum pro dimidia parte, an p tota societate? planius dicã. utrũ pro me? an et pro me, et pro te? pro me? potui: exemplo multorũ

licitum est: iure fecerunt multi: nihil in ea re tibi iniuriæ feci: pete tu tuũ: exige, et aufer, quod debetur: suã quisq; partem iuris possideat, & persequatur. at enim tu tuum negocium gessisti bene. gere & tu tuum bene. magno tuam dimidiam partem decidisti. magno & tu tuam partem decide. HS CCCLIII tu abstulisti. si fit hoc uero: HS CCCLIII tu quoq; aufer. sed hanc decisionem Roscij, oratione & opinione augere licet: re & ueritate mediocrem, et tenuem esse inuenietis. accepit enim agrum temporibus ijs, cum iacerent precia prædiorum. qui ager neq; uillam habuit, neq; ex ulla parte fuit cultus. qui nunc multo pluris est, quàm tunc fuit. neq; id est mirum: tum enim propter Reip. calamitates omnium possessiones erant incertæ: nunc deûm immortalium beneficio tranquillitate, omnium fortunæ sunt certæ. tum erat ager incultus sine tecto: nunc est cultissimus cum optima uilla. ueruntamen, quoniam natura tam maliuolus es: nunquam ista te molestia, & cura liberabo. præclare suum negocium gessit Roscius: fundum fructuosissimum abstulit. quid ad te? tuam partem dimidiam quemadmodum uis decide. uertit hic rationem: & id quod probare non potest, fingere conatur. de tota re, inquit, decidisti. ergo huc uniuersa causa deducitur: utrum Roscius cum Flauio de sua parte, an de tota societate fecerit pactionem. nam ego Roscium si quid communi nomine tetigit, confiteor præstare debere societati. Societatis non suas lites redemit, cum fundũ à Flauio accepit. quid ita satis non dedit amplius à se neminem petiturum? qui de sua parte decidit: reliquis integram relinquit actionem. qui pro socijs transigit: satisdat neminem eorum postea petiturum. quid ita? Flauio sibi cauere non uenit in mentem? nesciebat uidelicet Panurgũ fuisse in societate? sciebat. nesciebat Fannium Roscio esse socium? præclare. nam iste cum eo litem contestatam habebat. cur igitur decidit? & non restipulatur, neminem amplius petiturum? cur de fundo decidit? & iudicio non absoluitur? cur tam imperite facit? ut nec Roscium stipulatione aliget, neq; à Fannio iudicio se absoluat? Est hoc primum & ex conditione iuris, & ex cõsuetudine cautionis grauissimum, & firmissimum argumentum: quod ego pluribus uerbis amplecterer: si non alia certiora, & clariora testimonia in causa haberem. & ne forte me hoc frustra pollicitum esse prædices: te inquam Fanni ab tuis subsellijs contra te testem suscitabo. criminatio tua quæ est? Roscium cum Flauio pro societate decidisse. quo tempore? ab hinc annis XV. defensio mea quæ est? Rosciũ pro sua parte cum Flauio transegisse. repromittis tu ab hinc triennium Roscio. quid? recita istam restipulationem clarius. attende quæso Piso: Fannium inuitum, & huc, atq; illuc tergiuersantem, testimonium contra se dicere cogo. quid enim restipulatio clamat? QVOD A FLAVIO ABSTVLERO, PARTEM DIMIDIAM INDE ROSCIO ME SOLVTVRVM SPONDEO. tua uox est Fanni. quid tu auferre potes à Flauio: si Flauius nihil debet? qd? hic porrò nunc restipulatur: quod iã pridẽ ipse exegit? quid uero Flauius tibi daturus est: qui Roscio omne quod debuit dissoluit? cur in re tã ueteri, in negocio tam cõfecto, in societate dissoluta, noua hæc restipulatio interponitur? qs est huius restipulationis scriptor? testis, arbiter, quis? tu Piso. tu enim Q. Rosciũ pro opera, labore, quod cognitor fuisset: quod uadimonia obisset: rogasti ut Fan-

nio daret HS CCCLIII hac conditione: ut siquid ille exegisset à Flauio, partem eius dimidiam Roscio uisol ueret. satis ne ista stipulatio dicere tibi uidetur aperte Roscium pro se decidisse? At enim forsitan hoc tibi ueniat in mentem: repromisisse Fannio Roscium, siquid à Flauio exegisset, eius partem dimidiam se domino exegisse. nihil. quid? tu non exitum exactionis, sed initium repromissionis spectare debes: neq; si ille persequi noluit, non quod in se fuit, iudicauit Roscium suas, non societatis lites redemisse. quid si tandem planum facio post decisionem ueterem Roscij, post repromissionem recentem hanc Fannij, HS CCCLIII Fannium à Q. Flauio Panurgi nomine abstulisse? tamen diutius illudere uiri optimi existimationi Q. Roscij audebit? paulo ante quærebam, id quod uehementer ad rem pertinebat, qua de causa Flauius, cum de tota lite faceret pactionẽ, neq; satis acciperet à Roscio: neq; iudicio absolueretur à Fannio. nunc uero id quod mirum & incredibile est, requiro: quamobrem cum de tota re decidisset cum Roscio: HS CCCLIII separatim Fannio dissoluit? hoc loco Saturi quid pares respondere, scire cupio. utrum omnino Fannium à Flauio HS CCCLIII non abstulisse? an alio nomine, & alia de causa abstulisse? si alia de causa, quæ ratio tibi cum eo intercesserat? nulla. addictus erat tibi? non. frustra tempus contero. omnino inquit HS CCCLIII à Flauio nõ abstulit, neq; Panurgi nomine, neq; cuiusquã. si planum facio post hanc recentem stipulationem Roscij, HS CCCLIII à flauio te abstulisse: nunquid causare, quin ab iudicio abeas turpissime uictus? quo teste igitur hoc planum faciam? uenerat, ut opinor, hæc res in iudicium? certe. quis erat

petitor? Fannius. quis reus? Flauius. quis iudex? Cluuius. ex his unus mihi testis est producendus, qui pecuniam datam dicat. quis est ex his grauissimus? sine controuersia, qui omnium iudicio comprobatus est. iudex. quem igitur ex his tribus à me testem spectabis? petitorem? Fannius est: contra se nunquam testimonium dicet. reum? Flauius est. is iam pridem est mortuus: si uiueret, uerba eius audiretis. Iudicem? Cluuius est. quid is dicit? HS CCCLIII Panurgi nomine Flauium Fannio dissoluisse. quẽ tu si ex censu spectas, Eques Ro. est: si ex uita, homo clarissimus est: si ex te, iudicem sumpsisti: si ex ueritate, id quod scire potuit, & debuit, dixit. nega, nega nunc, Equiti Romano, homini honesto, iudici tuo, credi oportere. circunspicit, æstuat, negat nos Cluuij testimonium recitaturos. recitabimus. erras: inani & tenui spe te consolaris. recita testimonium T. Manilij, & C. Luscij Ocreæ duorum Senatorum, hominum ornatissimorum, qui ex Cluuio audierunt. utrum dicis Luscio & Manilio, an & Cluuio non esse credendum? planius, atq; apertius dicam. utrum Luscius & Manilius nihil de HS CCCLIII ex Cluuio audierunt? an Cluuius falsum Luscio, & Manilio dixit? hoc ego loco, soluto, & quieto sum animo: & quorsum recidat responsum tuum non magnopere laboro. firmissimis enim, & sanctissimis testimonijs uirorum optimorum caussa Roscij communita est. si iam tibi deliberatum est, quibus abroges fidem iusiurandi, responde. Manilio, & Luscio negas esse credendum? dic. aude. est tuæ cõtumaciæ, arrogantiæ, uitæq; uniuersæ uox. quid expectas, quàm mox ego Luscium & Manilium dicam ordine esse Senatores, ætate grandes natu, natura san-

ctos, & religiosos, copijs rei familiaris locupletes, et pecuniosos? nõ faciã. nihil mihi detrahã: cum illis exactæ ætatis seuerissime fructum, quem meruerũt, retribuam. magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione: quàm illorũ seuerissima senectus desiderat meam laudem. Tibi uero Piso diu deliberandum, & concoquendum est: utrum potius Chereæ iniurato in sua lite, an Manilio & Luscio iuratis in alieno iudicio credas. Reliquum est ut Cluuiũ falsum dixisse Luscio, & Manilio contendat. quod si facit, qua impudentia est? eum ne testem improbabit, quẽ iudicem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipse crediderit? eius testis ad iudicem fidem infirmabit: cuius propter fidem, & religionem iudicis testes comparabat? quẽ ego si ferrẽ iudicem, refugere non deberet: cum testem producam, reprehendere audebit? dixit enim, inquit, iniuratus Luscio, et Manilio. si diceret iuratus: crederes? at quid interest inter periurum, & mendacem? qui mentiri solet, peierare consuevit. quem ego ut mentiatur inducere possum: ut peieret exorare facile potero. nam qui semel à ueritate defle-xit: hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci consuevit. quis enim deprecatione deorum, non conscientiæ fide commouetur? propterea, quæ pœna ab dijs immortalibus periuro, hæc eadem mẽdaci constituta est. non enim ex pactione uerborum, quibus iusiurandum comprehenditur: sed ex perfidia, & malicia, per quam insidiæ tenduntur alicui: dij immortales hominibus irasci, & succensere consuerũt. At ego hoc ex contrario contendo. leuior esset authoritas Cluuij, si diceret iuratus: quàm nunc est, cum dicit iniuratus. tum enim forsitan improbis nimis cupidus uidere-

tur: qui qua de re iudex fuisset, testis esset. nunc omnibus inimicis necesse est castissimus, & constantissimus esse uideatur: qui id quod scit, familiaribus suis dicit. dic nunc si potes, si res, si causa patitur, Cluuium esse mentitum. mentitus est Cluuius? ipsa mihi ueritas manum iniecit, & paulisper consistere, & commorari cogit: unde hoc totum ductum & conflatum mendacium est. Roscius est uidelicet homo callidus, & uersutus: hoc initio cogitare cœpit. quoniam Fannius à me petit HS LIII: petam à C. Cluuio equite Romano, ornatissimo homine, ut mea causa mentiatur: dicat decisionem factam esse, quæ facta non est: HS CCCLIII à Flauio datq; esse Fannio, quæ data non sunt. Est hoc principium improbi animi, miseri ingenij, nullius consilij. quid deinde? postea q̃ se præclare confirmauit, uenit ad Cluuium: quem hominem? leuem? imo grauissimum. mobilem? imo constantissimum. familiarem? imo alienissimum. hunc postea q̃ salutauit, rogare cœpit blande, & concinne scilicet, mentire mea causa, uiris optimis, tuis familiaribus præsentibus: dic Flauiũ cũ Fannio de Panurgo decidisse, q̃ nihil transegit: dic HS CCCLIII dedisse: qui assem nullũ dedit. qd illi respondit? ego uero cupide, & libenter mentiar tua causa: & si quando me uis peierare, ut paululum tu cõpendij facias, paratum fore scito. non fuit causa, cur tantum laborem caperes, & ad me uenires. pnuncium hoc, quod erat tam leue, transigere potuisti. Prò deum hominumq; fidem: hoc aut Roscius unquam à Cluuio petijsset: si HS millies in iudicium haberet? aut Cluuius Roscio petenti concessisset: si uniuersæ prædæ particeps esset? uix mediusfidius tu Fanni à Ballione, aut aliquo eius simili hoc expostulare auderes, & im-

petrare posses. quod cum est ueritate falsum, tum ratione quoq; est incredibile. obliuiscor enim Roscium, & Cluuium uiros esse primarios: improbos, temporis causa, esse fingo. falsum subornauit testem Roscius Cluuium. cur tam sero? cur cum altera pensio soluenda esset, non tum cum prima? nam iam antea HS LIII dissoluerat. deinde, si iam persuasum erat Cluuio ut mentiretur: cur potius HS CCCLIII, quàm CCC LIII CCCLIII CCCLIII data dixit Fannio à Flauio? cum ex restipulatione pars eius dimidia Roscij esset. Iam intelligis C. Piso sibi soli, societati nihil Roscium petisse. Hoc cum sentit Saturius esse apertum: resistere, & repugnare contra ueritatem non audet: aliud fraudis, & insidiarum in eodem uestigio diuerticulum reperit. petisse, inquam, suam partem Roscium à Flauio confiteor: uacuam, & integram reliquisse Fannij concedo. sed quod sibi exegit, id commune societatis factum esse contendo. quo nihil captiosius, neq; indignius potest dici. quæro enim, potuerit ne Roscius ex societate suam partem petere, nec ne? si non potuit, quemadmodum abstulit? si potuit, quemadmodum non sibi exegit? nam quod sibi petitur, certe alteri non exigitur. an ita est? si quod uniuersæ societatis fuisset, petisset: quod cum redactum esset, æqualiter omnes partirentur. nunquid petierit, quod suæ partis esset? nunquid cum abstulit, soli sibi exegit? quid interest, inter eum qui per se litigat, & qui cognitorem dat? qui per se litem contestatur: sibi soli petit. alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus. Ita ne uero? cognitor si fuisset tuus, quod uicisset iudicio, ferres tuum. suo nomine petijt: quod abstulit, sibi, non tibi exegit. quod si quisquam petere potest alteri, qui cognitor non est factus: quæro quid ita, cum Panurgus esset interfectus: & lis contestata cum Flauio damni iniuria esset: tu in eam litem cognitor Roscij sis factus? cum præsertim ex tua oratione, quodcunq; tibi peteres, huic peteres: quodcunq; tibi exigeres, id in societatem recideret. quod si ad Roscium nihil peruenire: quod tu à Flauio abstulisses: nisi te in suam litem dedisset cognitorem: ad te peruenire nihil debet, quod Roscius pro sua parte exegit: quoniam tuus cognitor non est factus. Quid enim huic rei respondere poteris Fanni? cum de sua parte Roscius transegit cum Flauio: actionem tibi tuam reliquit, an non? si non reliquit: quemadmodum HS CCCLIII ab eo postea exegisti? si reliquit: quid ab hoc petis, quod per te persequi & petere debes? Simillima enim, & maxime gemina societas hæreditatis est. quemadmodum socius in societate habet partem: sic hæres in hæreditate habet partem. ut hæres sibi soli non cohæredibus petit: sic socius sibi soli non socijs petit: & quemadmodum uterq; pro sua parte petit: sic pro sua parte dissoluit: hæres ex sua parte, qua hæreditatem adijt: socius ex ea, qua societatem coijt. quemadmodum suam partem Roscius suo nomine condonare potuit Flauio, ut eam tu non peteres: sic cum exegit suam partem, & tibi integram petitionem reliquit: tecum partiri non debet. nisi forte tu peruerso more, quod huius est, ab alio extorquere nõ potes: huic eripere potes. perstat in sententia Saturius quodcunq; sibi petat socius id societatis fieri. quod si ita est: quæ, malum, stultitia fuit? Roscius, qui ex iuris peritorum consilio & authoritate restipularetur à Fannio diligenter: ut quod is exegisset à Flauio, dimidiam par-

tem sibi dissolueret: siquidem sine cautione, & repromissione nihilo minus id Fannius societati, hoc est Roscio, debebat.

Desiderantur non pauca.

ACTIONVM IN C. VERREM LIBER I.

QVI DIVINATIO DICITVR ORATIO IIII.

IQVIS uestrum Iudices, aut eorum, qui adsunt, fortè miratur: me qui tot annos in causis, iudicijsq; publicis ita sim uersatus: ut desederim multos, læserim neminem: subito nunc mutata uoluntate ad accusandum descendere: is si mei consilij causam, rationemq; cognouerit: unà & id quod facio probabit: et in hac causa profecto neminem mihi esse præponendum actorem putabit. Cum quæstor in Sicilia fuissem Iudices: itaq; ex ea prouincia decessissem: ut Siculis omnibus iucundam diuturnamq; memoriam quæsturæ nominisq; mei relinquerem: factum est, uti cum summum in ueteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. qui nunc populati, atq; uexati, cuncti ad me publice sæpe uenerunt: ut suarum fortunarum omnium causam, defensionemq; susciperem. me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse dicebãt: si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid à me requirerent: commodis eorum me non defuturum. uenisse tempus aiebant: non iam ut commoda sua, sed ut uitam salutemq; totius prouinciæ defenderem: sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere: quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex

delubris religiosissimis sustulisset. quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaricia in rapinis, superbia in contumelijs, efficere potuisset: eas omnes sese hoc uno Prætore per triennium pertulisse. rogare, & orare, ne illos supplices aspernarer, quos me incolumi nemini supplices esse oporteret. Tuli grauiter, & acerbe Iudices, in eum me locum adductum: ut aut eos homines spes falleret, qui opem à me, atq; auxilium petissent: aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atq; officio coactus, ad accusandum traducerer. dicebam habere eos actorem Q. Cecilium: qui præsertim quæstor in eadem prouincia post me quæstorem fuisset. Quo ego adiumento sperabam hanc a me molestiã posse dimoueri: id mihi erat aduersarium maxime. nam illi multo mihi hoc facilius remisissent: si istum non nossent: aut si iste apud eos quæstor non fuisset. Adductus sum Iudices officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, ueteri consuetudine, institutoq; maiorum: ut onus hoc laboris, atq; officij, non ex meo, se ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiendum putarem. quo in negocio tamen illa me res Iudices consolatur: quod hæc quæ uidetur esse accusatio mea: nõ potius accusatio, quàm defensio est existimanda. defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totã. Quamobrẽ si mihi unus est accusandus: propemodum manere in instituto meo uideor: & non omnino à defendendis hominibus, subleuandisq; discedere. quod si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam grauem non haberem: si aut hoc à me Siculi non petissent: aut mihi cum Siculis causa tantæ necessitudinis non intercederet: & hoc, quod facio,

Reip. causa facere profiterer: ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere præditus, cuius furta, atq; flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Pamphilia, Romæ deniq; ante oculos omnium, maxima, turpissimaq; nossemus, me agente in iudicium uocaretur: quis tandem esset, qui meum factum aut consilium posset reprehendere? Quid est, prò deum hominumq; fidem, in quo ego Reip. plus hoc tempore prodesse possim? quid est, quod aut Populo Ro. gratius esse debeat? aut socijs exterisq; nationibus optatius esse possit? aut saluti fortunisq; omnium magis accommodatum sit? Populatæ, uexatæ, funditus euersæ prouinciæ, socij, stipendarijq; Populi romani afflicti, miseri, iam non salutis spem, sed exitij solatium quærunt. Qui iudicia manere apud ordinem Senatorium uolunt: quæruntur, accusatores se idoneos non habere. Qui accusare possunt: iudiciorum seueritatem desiderant. Populus Ro. interea, tametsi multis incommodis difficultatibusq; affectus est: tamen nihil æque in Rep. atq; illam ueterem iudiciorum uim, grauitatemq; requirit. Iudiciorum desiderio Tribunitia potestas efflagitata est, iudiciorum leuitate ordo quoq; alius ad res iudicandas postulatur. iudicum culpa atq; dedecore etiam Censorium nomen, quod asperius antea populo uideri solebat: id nunc poscitur: id iam populare, atq; plausibile factum est. In hac libidine hominum nocentissimorum, in Populi Ro. quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, cum hoc unum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines idonei, atq; integri causam Reip. legumq; susciperent: fateor me salutis omnium causa, ad eam partem

acceßiſſe Reip. ſubleuandæ, quæ maxime laboraret. Nunc quoniam quibus rebus adductus ad cauſam acceſſerim demonſtraui: dicendum neceſſario eſt de contentione noſtra: ut in conſtituendo accuſatore, quod ſequi poßitis, habeatis. Ego ſic intelligo Iudices: cum de pecunijs repetundis nomen cuiuſpiam deferatur: ſi certamen inter aliquos ſit, cui potißimum delatio detur: hæc duo in primis ſpectari oportere: quem maxime uelint actorem eſſe ij, quibus factæ eſſe dicantur iniuriæ: & quem minime uelit is, qui eas iniurias feciſſe arguatur. In hac cauſa Iudices tametſi utrunq; eſſe arbitror perſpicuum: tamen de utroq; dicam: & de eo prius, quod apud uos plurimum debet ualere: hoc eſt de uoluntate eorum, quibus iniuriæ factæ ſunt: quorum cauſa iudicium de pecunijs repetundis eſt conſtitutum. Siciliam prouinciam C. Verres per triennium depopulatus eſt, Siculorum ciuitates uaſtaſſe, domos exinaniſſe, fana ſpoliaſſe dicitur. adſunt, queruntur Siculi uniuerſi: ad meam fidem, quam habent ſpectatam iam, & diu cognitam, confugiunt: auxilium ſibi per me à uobis atq; à Populi Ro. legibus petunt: me defenſorem calamitatum ſuarum, me ultorem iniuriarum, me cognitorem iuris ſui, me actorem cauſæ totius eſſe uoluerunt. Vtrum Q. Cecili hoc dices: me non Siculorum rogatu ad cauſam accedere? an optimorum fideliſſimorumq; ſociorum uoluntatem apud hos grauem eſſe non oportere? ſi id audebis dicere: quod C. Verres, cui te inimicum eſſe ſimulas, maxime exiſtimari uult, Siculos hoc à me non petiſſe: primum cauſam inimicitiæ tui ſubleuabis: de quo non præiudicium, ſed planè iudicium iam factum putatur: quod ita percrebuit, Siculos omnes actorem ſuæ cauſæ contra illius

iniurias

iniurias quæſiſſe. hoc ſi tu inimicus eius, factum negabis: quod ipſe, cui maxime hæc res obſtat: negare non audet: uideto ne nimiũ familiariter inimicitias exercere uideare. deinde ſunt teſtes uiri clariſſimi noſtræ ciuitatis: quos omnes à me nominari non eſt neceſſe. eos qui adſunt appellabo: quos, ſi mentirer, teſtes eſſe impudentiæ meæ minime uellem. ſcit is, qui eſt in cõſilio C. Marcellus: ſcit is, quem adeſſe uideo, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide, atq; præſidio Siculi maxime utuntur: quod omnino Marcellorũ nomini tota illa prouincia adiuncta eſt. hi ſciunt hoc nonmodo à me petitum eſſe: ſed ita ſæpe, & ita uehementer eſſe petitum: ut aut cauſa mihi ſuſcipienda fuerit: aut officium neceſſitudinis repudiandum. Sed quid ego his teſtibus utor? quaſi res dubia aut obſcura ſit. adſunt homines, ex tota prouincia nobiliſſimi: qui præſentes uos orant, atq; obſecrant Iudices: ut in actore cauſæ ſuæ deligendo, ueſtrũ iudicium à ſuo iudicio ne diſcrepet. omnium ciuitatum totius Siciliæ legationes adſunt: præter duas ciuitates: quarum duarum ſi adeſſent: duo crimina uel maxima minuerentur: quæ cum his ciuitatibus C. Verri communicata ſunt. At enim cur à me potißimum hoc præſidium petiuerunt? ſi eſſet dubium, petiſſent à me præſidium, nec ne: dicerem cur petiſſent. nunc uero, cum id ita perſpicuum ſit: ut oculis iudicare poſſitis: neſcio cur hoc mihi detrimento eſſe debeat: ſi id mihi obijciatur, me potißimum eſſe delectum. uerum id mihi non ſumo Iudices: & hoc nonmodo in oratione mea non pono: ſed ne in opinione quidem cuiuſquam relinquo: me omnibus patronis eſſe præpoſitum. nõ ita eſt. ſed uniuſcuiuſq; temporis, ualetudinis, facultatis ad agendum, du-

cta ratio est. mea fuit semper hæc in hac re uoluntas, & sententia: quemuis ut hoc mallent, de his qui essent idonei, suscipere, quàm me. me ut mallent, quam neminem. Reliquum est iam: ut illud quæramus cum hoc constet, Siculos à me petisse: ecquid hanc rem apud uos, animosq; uestros ualere oporteat: ecquid authoritatis apud uos in suo iure repetundo socij Populi Ro. supplices uestri habere debeant. de quo quid ego plura commemorem? quasi uero dubium sit: quin tota lex de pecunijs repetundis sociorum causa constituta sit. nam ciuibus cum sunt ereptæ pecuniæ. ciuili ferè actione, & priuato iure repetuntur. hæc lex socialis est: hoc ius nationum exterarum est: hanc habent arcem minus aliquanto munitam nunc quidem quam antea: uerum tamen, si qua reliqua spes est, quæ sociorum animos consolari possit: ea tota in hac lege posita est. cuius legis non modo à Populo Romano, sed etiam ab ultimis nationibus iam pridem seueri custodes requiruntur. Quis igitur est: qui neget: oportere eorũ arbitratu lege agi: quorum causa lex sit constituta? Sicilia tota si una uoce loqueretur, hoc diceret. quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit: quod in unaquaq; re beneficio Senatus Populiq; Ro. iuris habui: id mihi tu C. Verres eripuisti: atq; abstulisti. quo nomine abs te sestertiũm millies ex lege repeto. si uniuersa, ut dixi, prouincia loqui posset: hac uoce uteretur. quoniam id non poterat: harum rerum actorem quem idoneum esse arbitrata est: ipsa delegit. In huiusmodi re quisquã tam impudens reperietur: qui ad alienam causam inuitis ijs, quorum negotium est: accedere, aut aspirare audeat? Si tibi Q. Cecili hoc Siculi dicerent: te non nouimus: nescimus qui sis: nunquam te antea uidimus: sine nos per eum nostras fortunas defendere: cuius fides est nobis cognita: nonne id dicerent, quod cuiuis probare deberent? nunc hoc dicũt: utrunq; se nosse: alterum se cupere defensorem esse fortunarum suarum: alterum planè nolle. cur nolint: etiam si tacerent: satis dicunt. uerum non tacent. tamèn his inuitißimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes? qui se ab omnibus desertos potius, quàm abs te defensos esse malunt? tamen his operam tuam pollicebere? qui te neq; uelle suã causam, nec si cupias, posse arbitrantur. cur eorum spem exiguam reliquarum fortunarum, quã habent in legis & iudicij seueritate positam. ui extorquere conaris? cur te interponis inuitißimis his, quibus maxime lex consultũ esse uult? cur de quibus in prouincia non optime es meritus: eos nunc planè fortunis omnibus conaris euertere? cur his nõ modo persequendi iuris sui, sed etiam deplorandæ calamitatis adimis potestatem? nam te actore quem eorum affuturum putas? quos intelligis non ut per te alium, sed ut per alium quem teipsum ulciscantur laborare? At enim solidum id est: ut me Siculi maxime uelint: alterum illud credo obscurum est: à quo Verres minime se accusari uelit. Et quis unquam tam palàm de honore: tam uehementer de salute sua contendit? quàm ille, atq; illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur? sunt multa: quæ Verres in me esse arbitratur: quæ scit in te Q. Cecili non esse: quæ cuiusmodi in utroq; nostrum sunt: paulo post cõmemorabo. nunc tantum id dicam: quod tacitus tu mihi assentiare: nullam rem in me esse: quam ille cotemnat: nullam in te: quam pertimescat. itaq; magnus ille defensor,

& amicus eius, tibi Hortensius suffragatur: me oppugnat. aperte ab iudicibus petit: ut tu mihi anteponare. & ait hoc se honeste, sine ulla inuidia, ac sine ulla offensione contendere. non enim inquit illud peto: quod soleo, cum uehementius contendi, impetrare: reus ut absoluatur, non peto. sed ut ab hoc potius quam ab illo accusetur, id peto. da mihi hoc: concede, quod facile est: quod honestum, quod non inuidiosum: quod cum dederis, sine ullo tuo periculo, sine infamia illud dederis: ut is absoluatur: cuius ego causa laboro. Et ait idem: ut aliquis metus adiunctus sit ad gratiã: certos esse in consilio: quibus ostendi tabellas uelit. id esse perfacile. non enim singulos ferre sententias: sed uniuersos constituere. cerată unicuiq; tabellam dari cera legitima non illa infami ac nefaria. Atq; is non tam propter Verrẽ laborat: quàm quod eum minime res tota delectet. uidet enim si à pueris nobilibus, quos adhuc eluſit: si à quadruplatoribus, quos non sine causa cõtempsit semper: ac pro nihilo putauit: accusandi uoluntas ad uiros fortes, spectatosq; homines translata sit: se in iudicijs dominari non posse. huic ego homini iam ante denuncio: si à me causam hãc uos agi uolueritis: rationem illi defendendi totam esse mutandam: & ita tamen mutandam, ut meliore & honestiore conditione sit: q̃ qua ipse esse uult. ut imitetur homines eos: quos ipse uidit amplißimos L. Crassum, & M. Antonium: qui nihil se arbitrabantur ad iudicia, causasq; amicorum, præter fidem, & ingenium afferre oportere. nihil erit, quod me agente arbitretur iudiciũ sine magno multorum periculo posse corrumpi. Ego in hoc iudicio mihi Siculorum causam receptam, Populi Ro. susceptam esse arbitror. ut mihi non unus homo im-

probus opprimendus sit: id quod Siculi petiuerunt: sed omnino improbitas, id quod populus Ro. iam diu flagitate. xtinguenda, atq; delenda sit. in quo ego quid eniti, aut quid efficere possim. malo in aliorum spe relinquere: quàm in oratione mea ponere. Tu uero Cecili quid potes? quo tempore, aut qua in re, nõmodo specimen ceteris aliquod dedisti? sed tute tui periculũ fecisti? in mentem tibi non uenit: quid negocij sit, causam publicã sustinere? uitam alterius totam explicare? atq; eam nõmodo in animis iudicum sed etiam in oculis, conspectuq; omnium exponere? sociorũ salutem, commoda prouinciarum, uim legum, grauitatem iudiciorum, defendere? cognosce ex me: quoniam hoc primum tempus discẽdi nactus es: quàm multa esse oporteat in eo: qui alterum accuset: ex quibus si unum aliquod in te cognouceris: ego iam tibi ipse istuc, quod expetis: mea uoluntate concedam. primum integritatẽ, atq; innocentiam singularem. nihil est enim quod minus ferendũ sit: quàm rationem ab altero uitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. hic ego de te plura non dicam: unum illud credo omnes animaduertere: te adhuc ab nullis nisi à Siculis potuisse cognosci: Siculos hoc dicere, cum eidem sint irati, cui tute inimicum esse dicis: sese tamen te actore ad iudicium non affuturos. quare negent, ex me non audies. hos patere id suspicari, quod necesse est. illi quidem, ut est hominum genus nimis acutum, & suspiciosum: non te ex Sicilia literas in Verrem deportare uelle arbitrantur: sed cum ijsdem literis illius Prætura & tua Quæstura consignata sit: asportare te uelle ex Sicilia literas suspicantur. Deinde accusatorem firmum, uerumq; esse oportet. eum ego si te putem cupere esse: fac-

le intelligo esse non posse. Nec ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis te, antequam de Sicilia decesseris: in gratiam rediisse cum Verre: Potamonem scribam, & familiarem tuum retentum esse à Verre in prouincia: cum tu decederes, M. Cecilium fratrem tuum lectissimum, atque ornatissimum adolescentem nonmodo non adesse, neq; tecum tuas iniurias persequi: sed esse cũ Verre: cum illo familiarissime, atq; amicissime uiuere. Sunt hæc, & alia in te falsi accusatoris signa permulta, quibus ego nunc non utor. hoc dico, si te maxime cupias: tamen uerum accusatorem esse nõ posse. uideo enim permulta esse crimina: quorum tibi societas cum Verre eiusmodi est: ut ea in accusando attingere non audeas. Queritur Sicilia tota C. Verrem ab aratoribus cum frumentum sibi in cellam imperauisset: & cum esset tritici modius HS V: pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse. magnum crimen: ingens pecunia: furtum impudens! iniuria non ferenda. ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est. tu Cecili quid facies? utrũ hoc tantũ crimen prætermittes? an obijcies? si obijcies: id ne alteri crimini dabis? quod eodẽ tempore in eadem prouincia tu ipse feceris? audebis ita accusare alterum! ut quo minus tute condemnere: recusare nõ possis. si prætermittes: qualis erit ista tua accusatio? quæ domestici periculi metu, certissimi & maximi criminis nõmodo suspicionẽ, uerum etiã mentionẽ ipsam pertimescat. Emptum est ex S.C. frumentum ab Siculis prætore Verre: pro quo frumẽto pecunia omnis soluta non est. graue est hoc crimen in Verrẽ: graue me agente: te accusante nullum. eras enim tu quæstor: pecuniam publicã tu tractabas. ex qua, etiam si cuperet prætor:

tamen ne qua deductio fieret: magna ex parte tua potestas erat. huius quoq; igitur criminis te accusante mentio nulla fiet: silebitur toto iudicio de maximis, et notissimis illius furtis, & iniurijs. mihi crede Cecili non potest in accusando, socios uere defendere is, qui cum reo criminum societate coniunctus est. Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. quid? hoc Verre prætore factum est solum? non: sed etiam quæstore Cecilio. quid igitur? daturus es huic crimini, quod & potuisti prohibere ne fieret: & debuisti? an totum id relinques? ergo id omnino Verres in iudicio suo non audiet: quod cum faciebat, quemadmodum defensurus esset, non reperiebat. Atq; ego hæc quæ in medio posita sunt, commemoro. sunt alia magis occulta furta: quæ ille, ut istius credo animos, atq; impetus retardaret: cum quæstore suo benignissime communicauit. Hæc tu scis ad me esse delata: quæ si uelim proferre: facile omnes intelligent: uobis inter uos nonmodo uoluntatem fuisse cõiunctam: sed ne prædam quidem adhuc esse diuisam. quapropter si tibi iudicium postulas dari: quod tecum una fecerit, cõcedo. si id lege permittitur. sin autem de accusatione dicimus: concedas oportet ijs, qui nullo suo peccato impediuntur: quominus alterius peccata demõstrare possint. Ac uide quantum interfuturum sit inter meam, atque tuam accusationem. ego etiam quæ tu sine Verre commisisti: Verri crimini daturus sum: quod te non prohibuerit: cum summã ipse haberet potestatem. tu contra, ne quæ ille quidẽ fecit, obijcies: ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiare. quid illa Cecili? contemnenda, ne tibi uidentur esse? sine quibus causa sustineri, præsertim tanta, nullo modo potest. aliqua facul-

tas agendi: aliqua dicendi consuetudo: aliquam foro, iu-
dicijs, legibus, aut ratio, aut exercitatio. Intelligo quàm
scopuloso, difficiliq; in loco uerser. nam cũ omnis arro
gantia odiosa est: tũ illa ingenij, atq; eloquentiæ multo
molestissima. quamobrẽ nihil dico de meo ingenio: neq;
est quod possim dicere: neq; si esset: dicerem. aut enim id
mihi satis est: quod est de me opinionis: quicquid est: aut
si id parũ est: ego maius id cõmemorando facere nõ pos
sum. de te Cecili iam mehercule hoc extra hãc cõtentio
nem certamenq; nostrum familiariter tecum loquar. tu
ipse quemadmodum existimes uide etiam, atq; etiam: &
tu te collige: & qui sis, & quid facere possis, considera.
putas ne te posse de maximis, acerbissimisq; rebus, cum
causam sociorum fortunasq; prouinciæ, ius Populi Ro-
mani, grauitatẽ iudicij, legumq; susceperis: tot res, tam
graues, tã uarias, uoce, memoria, consilio, ingenio, susti
nere? putas ne te posse, quæ C. Verres in Quæstura, quæ
in legatione, quæ in Prætura, quæ Romæ, quæ in Ita-
lia, quæ in Achaia, Asia, Păphiliaq; patrarit: ea quem-
admodũ locis, temporibusq; diuisa sint: sic criminibus
& oratione distinguere? putásne posse, id quod in eius-
modi reo maxime necessarium est, facere: ut quæ ille li-
bidinose, quæ nefarie, quæ crudeliter fecerit: ea æque
acerba & indigna uideantur esse ijs, qui audient: atq;
illis uisa sunt, qui senserunt? magna sunt ea, quæ dico.
mihi, mihi crede, noli hæc contemnere. dicenda: demon
stranda: explicanda sunt omnia: causa non solum expo
nenda: sed etiã grauiter copioseq; agenda est: perficien-
dum est. siquid agere aut perficere uis: ut homines te nõ
solum audiant: uerum etiam libenter, studioseq; audi-
ant. in quo si te multum natura adiuuaret: si optimis à

puericia disciplinis, atq; artibus studuisses: & in his ela
borasses: si literas græcas Athenis, non Lilybei, latinas
Romæ, non in Sicilia didicisses: tamen esset magnum,
tantam causam, tam expectatam, & diligentia conse-
qui: & memoria complecti: & oratione exponere: &
uoce, & uiribus sustinere. Fortasse dices, quid? ergo hæc
in te sunt omnia? utinam quidem essent. ueruntamen ut
esse possent: magno studio mihi à puericia est elabora-
tum. quod si ego hæc propter magnitudinem rerum, ac
difficultatẽ assequi nõ potui: q in omni uita nihil aliud
egi: quàm longe tu te ab his rebus abesse arbitrare? quas
nonmodo antea nunquam cogitasti: sed ne nunc quidẽ,
cum in eas ingrederis: quæ & quantæ sint: suspicari po
tes. Ego, qui, sicut omnes sciunt, in foro in iudicijsq; ita
uersor: ut eiusdẽ ætatis aut nemo, aut pauci, plures cau-
sas defenderint: & qui omne tempus, quod mihi ab ami
corum negocijs datur: in his studijs, laboribusq; consu-
mã: quo paratior ad usum forensem, promptiorq; esse pos
sim: tamen ita deos mihi uelim propitios: ut cum illius
temporis mihi uenit in mentem: quo die citato reo mihi
dicendum sit: non solum cõmoueor animo: sed etiam to
to corpore perhorresco. iam nũc mente, & cogitatione
prospicio: quæ tum studia hominum, qui concursus futu
ri sint: quantam expectationem magnitudo iudicij sit al
latura: quantam auditorum multitudinem C. Verris in
famia cõcitatura: quantam deniq; audientiam orationi
meæ improbitas illius factura sit. quæ cum cogito, iam
nunc timeo, quidnam pro offensione hominum, qui il-
li inimici, infensiq; sunt: & expectatione omnium, &
magnitudine rerum, dignum eloqui possim. tu horum
nihil metuis: nihil cogitas: nihil laboras. si quid ex uete-

re aliqua oratione: IOVEM ego Optimũ Maximum: aut: VELLEM si fieri potuisset Iudices: aut aliquid eiusmodi edisce potueris: præclare te paratũ in iudicũ uenturũ arbitraris. Ac si nemo tibi respõsurus esset: tamen ipsam causam, ut ego arbitror: demonstrare non posses. nũc ne illud quidem cogitas, tibi cũ homine diserti ßimo, & ad dicendum paratißimo futurum esse certamen? qui cum modo disserendum, modo omni oratione pugnandum, certandumq; sit: cuius ego ingenium ita laudo: ut non pertimescam. ita probo: ut me ab eo delectari facilius, quàm decipi putem posse. nunquam ille me opprimet consilio: nunquã ullo artificio peruertet: nunquam ingenio me suo labefactare, atq; infirmare conabitur: noui omnes hominis petitiones, rationesq; dicendi: sæpe in ijsdem, sæpe in contrarijs causis uersati sumus. ita contra me ille dicet: quamuis sit ingenioßus: ut nonnullum etiam de suo ingenio iudicium fieri arbitretur. Te uero Cecili quemadmodum sit elusurus, quàm omni ratione iactaturus, uidere iam uideor: quotiens ille tibi potestatem optionemq; facturus sit: ut eligas utrum uelis: factum esse, necne: uerum esse, an falsum: utrum dixeris: id contra te futurum. qui tibi æstus, qui error, quæ tenebræ dij immortales erunt, homini minime malo? quid cũ accusationis tuæ membra diuidere cœperit? & in digitis suis singulas partes causæ constituere? quid cũ unũquodq; transigere? expedire? absoluere? ipse profecto metuere incipies: ne innocenti periculum facesseris. quid cum commiserari, conqueri, & ex illius inuidia deonerare aliquid, et in te traijcere cœperit? commemorare quæstoris cum prætore necessitudinem cõstitutam? morem maiorum? sortis religionem? poteris ne eius ora

tionis subire inuidiam? uide modo, etiã atq; etiã considera: mihi enim uidetur periculum fore: ne ille nonmodo uerbis te obruat. sed gestu ipso, ac motu corporis præstringat aciẽ ingenij tui: teq; ab institutis tuis, cogitationibusq; abducat. Atq; huiusce rei iudicium iam continuo uideo futurum. si enim mihi hodie respondere ad hæc quæ dico, potueris: si ab isto libro, quem tibi magister ludi nescio quis ex alienis orationibus compositũ dedit, uerbo uno discesseris: posse te et illi quoq; iudicio nõ decesse, & causæ atq; officio tuo satisfacere, arbitrabor. sin mecũ in hac prolusione nihil fueris: quẽ te in ipsa pugna cũ acerrimo aduersario fore putemus? Esto: ipse nihil est: nihil potest: at uenit paratus cũ subscriptoribus exercitatis, et disertis. est tamen hoc aliquid: tametsi nõ est satis: omnibus enim rebus is, qui princeps in agendo est: ornatißimus, & paratißimus esse debet. ueruntamen L. Apuleium esse uideo proximum subscriptorem, hominem non ætate, sed usu forensi, atq; exercitatione tyronem: deinde, ut opinor, habet Allienum, hũc tamen à subsellijs: qui quid in dicendo poßit: nunquam satis attendi: in clamando quidem uideo eũ esse bene robustum, atq; exercitatum. in hoc spes tuæ sunt omnes. hic, si tu eris actor constitutus: totum iudicium sustinebit. ac ne is quidem tantũ cõtendet in dicendo, quantum potest: sed consulet laudi, & existimationi tuæ: & ex eo quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet: ut tu tandem aliquid esse uideare. ut in actoribus græcis fieri uidemus: sæpe illum qui est secundarum, aut tertiarum partium: cum poßit aliquanto clarius dicere: quàm ipse primarum: multum summittere: ut ille princeps quàm maxime excellat. sic faciet Allienus, tibi seruiet: tibi le-

nocinabitur: minus aliquanto contendet: quàm potest. Iam hoc considerate: cuiusmodi accusatores in tanto iudicio simus habituri: cum & ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet: aliquantum detracturus sit: & Cecilius tum denique se aliquid facturum putet: si Allienus minus uehemens fuerit: & tibi primas in dicendo partes concesserit. Quartum quem sit habiturus, non uideo: nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicunq; uos delationem dedissetis. ex quibus alienissimis hominibus ita paratus uenis: ut tibi hospes aliquis sit recipiendus. quibus ego non sum tantum honorem habiturus: ut ad ea, quæ dixerint, certo loco, aut singulatim unicuiq; respondeam. sic breuiter, quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi: quasi præteriens satisfaciam uniuersis. Tanta ne uobis inopia uideor esse amicorum? ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim: sed de populo subscriptor addatur? uobis aũt tanta inopia reorũ? ut mihi causam præripere conemini potius, q̃ aliquos à columna Menia uestri ordinis reos reperiatis? custodẽ inquit Tullio me apponite. quid? mihi quàm multis custodibus opus erit? si te semel ad meas capsas admisero? qui non solum nequid enuncies: sed etiam nequid auferas, custodiendus sis? sed de isto custode toto sic uobis breuissime respondebo. non esse hos tales uiros commissuros: ut ad causam tantam, à me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor me inuito aspirare possit. etenim fides mea custodem repudiat: diligentia speculatorem reformidat. uerum ut ad te redeam Cecili: quàm multa te deficiant uides: quam multa sint in te, quæ reus nocens in accusatore suo cupiat

esse: profecto iam intelligis. quid ad hæc dici potest? non enim quæro quid tu dicturus sis. uideo mihi non te, sed hunc librum esse responsurum: quem monitor tuus hic tenet. qui si te rectè monere uolet: suadebit tibi: ut hinc discedas: neq; mihi uerbum ullum respondeas. quid enim dices? an id quod dictitas: iniuriam tibi feciſſe Verrem? arbitror. neq; enim esset uerisimile: cum omnibus Siculis faceret iniurias: te illi unũ eximiũ, cui consuleret, fuisse. sed cæteri Siculi ultorem suarum iniuriarum inuenerunt. tu dum tuas iniurias per te, id quod non potes, persequi conaris: id agis, ut cæterorum quoq; iniuriæ sint impunitæ, atq; inultæ. & hoc te præterit: non id solum spectari solere, qui debeat: sed etiam illud, qui possit ulcisci. in quo utrunq; sit, eum superiorem esse: in quo alterum, in eo, non quid is uelit: sed quid facere possit, quæri solere. Quod si ei potissimum censes permitti oportere accusandi potestatẽ: cui maximã C. Verres iniuriam fecerit: utrum tandẽ censes hos iudices grauius ferre oportere? te ab illo esse læsum: an Prouinciam Siciliam esse uexatam, ac perditam? opinor concedis, multo hoc esse grauius: & ab omnibus ferri grauius oportere. concede igitur: ut tibi anteponatur in accusando prouincia. nam prouincia accusat: cũ is agit causam: quem sibi illa defensorem sui iuris, ultorem iniuriarum, actorem totius causæ adoptauit. At eam tibi C. Verres fecit iniuriam: quæ cæterorum quoq; animos posset alieno incommodo commouere. minime. nam id quoq; ad rem pertinere arbitror: qualis iniuria dicatur: quæ causa inimicitiarum proferatur. cognoscite ex me. nam iste eam profecto, nisi planè nihil sapit, nunquam proferet. Agonis est quædam Lilybeta-

na, liberta Veneris Erycinæ : quæ mulier ante hunc quæstorem copiosa planè, & locuples fuit. ab hac præfectus Antonij quidam symphoniacos seruos abducebat per iniuriam: quibus se in classe uti uelle dicebat. tum illa, ut mos in Sicilia est omnium Venereorum, & eorum qui à Venere se liberauerunt: ut profecto illi religionem Veneris, nomenq; obijceret: dixit & se, & omnia sua Veneris esse. ubi hoc quæstori Cecilio, uiro optimo, & homini æquissimo nunciatum est: uocari ad se Agonidem iubet. iudicium dat statim: si pateret eam se, & sua Veneris esse dixisse. iudicant Recuperatores id, quod necesse erat: neq; enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset. iste in possessionem bonorum mulieris mittit: ipsam Veneri in seruitutem adiudicat. deinde bona uendit: pecuniam redigit. ita dum pauca mancipia Veneris nomine Agonis, ac religione retinere uult: fortunas omnes libertatemq; suã istius iniuria perdidit: Lilybeum Verres uenit postea: rem cognoscit: factum improbat: cogit quæstorem suum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset: eam mulieri omnem annumerare: & reddere. Est adhuc, id quod uos omnes admirari uideo: non Verres, sed Q. Mutius. quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem? æquius ad leuandam mulieris calamitatem? uehementius ad quæstoris libidinem coercendam? summe hæc omnia mihi uidentur esse laudanda. sed repente è uestigio ex homine, tanquam aliquo Circeo poculo, factus est Verres. redit ad se, atq; ad mores suos. nam ex illa pecunia magnam partem ad se uertit: mulieri reddidit quantulum uisum est. Hic tu si læsum te à Verre esse dices: patiar, & concedam: si iniuriam tibi factam

quereris: defendam, & negabo. Deinde de iniuria, quæ tibi facta sit: neminem nostrum grauiorem iudicẽ esse oportet: quam teipsum, cui facta dicitur. si tu cũ illo postea in gratiam rediisti: si domi illius aliquotiens fuisti: si ille apud te postea cœnauit: utrum te perfidiosum, an præuaricatorem existimari mauis? uideo esse necesse alterutrum. sed ego tecum in eo non pugnabo: quominus, utrum uelis eligas. Quid si ne iniuriæ quidem, quæ tibi ab illo facta sit, causa remanet: quid habes, quod possis dicere: quamobrem non modo mihi, sed cuiquam anteponare? nisi forte illud, quod dicturum te esse audio, quæstorem illius fuisse. quæ causa grauis esset: si certares mecum uter nostrum illi amicior esse deberet. in contentione suscipiendarum inimicitiarum, ridiculum est putare, causam necessitudinis, ad inferendum periculum iustam uideri oportere. etenim si plurimas à tuo prætore iniurias accepisses: tamen eas ferendo maiorem laudem, quàm ulciscendo mererere. cum uero nullum illius in uita rectius factum sit: quàm id quod tu iniuriam appellas: hi statuent hanc causam, quam ne in alio quidem probarent: in te iustam ad necessitudinem uiolandam uideri? qui si summam iniuriam ab illo accepisti: tamen quoniam quæstor eius fuisti: non potes eum sine ulla uituperatione accusare: si uero nulla tibi facta est iniuria: sine scelere eum accusare non potes. quare cum incertum sit de iniuria: quenquam esse horum putas: qui non malit te sine uituperatione, quàm cum scelere discedere? At uide quid differat inter meam opinionem ac tuam. tu cum omnibus rebus inferior sis: hac una in re te mihi anteferri putas oportere: quod quæstor illius fueris. ego si superior cæteris rebus esses:

te hanc unam ob causam accusatorem repudiari putarem oportere. sic enim à maioribus nostris accepimus: prætorem quæstori suo, parentis loco esse oportere: nullam neq; iustiorem, neq; grauiorem causam necessitudinis posse reperiri: quàm coniunctionem sortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris societatem. Quamobrem si iure eum posis accusare: tamen, cum is tibi parentis numero fuisset: id pie facere non posses. cum uero neq; iniuriam acceperis: et prætori tuo periculum crees: fatearis necesse est: te illi iniustum impiumq; bellum inferre conari. etenim ista quæstura ad eam rem ualet: ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit: quamobrem, qui quæstor eius fueris, accuses. non ut ob eam ipsam causam postulandum sit: ut tibi potissimum accusatio detur. neq; ferè unquam uenit in contentionem de accusando qui quæstor fuisset: quin repudiaretur. Itaq; neq; L. Philoni in C. Seruilium nominis deferendi potestas est data: neq; M. Aurelio Scauro in L. Flaccum: neq; Cn. Pompeio in T. Albutium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus est: sed ne libido uiolandæ necessitudinis authoritate iudicum comprobaretur. Atq; ille Cn. Pompeius ita cum C. Iulio contendit, ut tu mecum. quæstor enim Albutij fuerat, ut tu Verris. Iulius hoc secum authoritatis ad accusandum afferebat: quod ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. Semper hæc causa plurimum ualuit: semper hæc ratio accusandi honestissima fuit, pro socijs, pro salute prouinciæ, pro exterarum nationum commodis, inimicitias suscipere: ad periculum accedere: operam studium laborem interponere. etenim si probabilis est eorum causa, qui iniurias

sa, qui iniurias suas persequi uolunt: qua in re dolori suo non Reip. cõmodis seruiunt: quanto illa causa honestior? quæ non solum probabilis uideri, sed etiam grata esse debet: nulla priuatim accepta iniuria, sociorũ atq; amicorum Populi Ro. dolore atq; iniurijs commoueri. Nuper cum in P. Gabinium uir fortissimus & innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet: & contra Q. Cæcilius peteret: isq; se ueteres inimicitias iam diu susceptas persequi diceret: cum authoritas & dignitas Pisonis ualebat plurimum: tum illa erat causa iustissima: quod eum sibi Achæi patronum adoptarant. etenim cum lex ipsa de pecunijs repetundis sociorum, atq; amicorum Populi Ro. causa parata sit: iniquum est, non enim legis iudicijq; actorem idoneum maxime putari: quem actorem causæ suæ socij, defensoremq; fortunarum suarum potissimum esse uoluerunt. An quod ad commemorandum est honestius: id ad probandum non multo uideri debet æquius? utra igitur est splendidior? utra illustrior commemoratio? accusaui eum, qui cum quæstor fueram: qui cum me sors consuetudoq; maiorum, qui cum me deorum hominumq; iudicium cõiunxerat. an, accusaui rogatu sociorum, atq; amicorũ: delectus sum ab uniuersa prouincia: qui eius iura fortunasq; defenderem. dubitare quisquam potest: quin honestius sit eorum causa apud quos quæstor fueris: quàm eum cuius quæstor fueris, accusare? Clarissimi uiri nostræ ciuitatis, tẽporibus optimis, hoc sibi amplissimum, pulcherrimumq; ducebãt: ab hospitibus, clientibusq; suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam Populi Ro. ditionẽq; essent, iniurias propulsare: eorũq; fortunas defendere. M. Catonem illum sapientẽ clarissi-

mum uirum, et prudentißimũ, cum multis graues inimi
citias geſſiſſe accepimus, ꝓpter Hiſpanorũ, apud quos
Conſul fuerat, iniurias. nuper Cn. Domitium ſcimus
Decimo Syllano diẽ dixiſſe propter unius hominis Egri
tomari paterni amici, atq; hoſpitis iniurias. neque enim
magis animos hominum nocentium res unquã ulla com
mouit: quàm hæc maiorum conſuetudo longo interual
lo repetita, atq; relata. ſociorũ quærimoniæ delatæ ad
hominem non inertißimum: ſuſceptæ ab eo: qui uideba
tur eorum fortunas fide, diligentiaq; ſua poſſe defende=
re. Hoc timent homines: hoc laborant: hoc inſtitui, atq;
adeo inſtitutum referri, ac renouari moleſte ferunt. pu=
tant fore: uti, ſi paulatim hæc cõſuetudo ſerpere, ac pro
dire cœperit: per homines honeſtißimos, uirosq; fortißi
mos, non imperitos adoleſcentulos, aut illiuſmodi qua=
druplatores, leges iudiciaq; adminiſtrẽtur. cuius cõſue=
tudinis, atq; inſtituti patres maioresq; noſtros non pœ
nitebat: tũ cũ P. Lentulus is, qui princeps Senatus fuit:
accuſabat M. Aquilium, ſubſcriptore C. Rutilio Ruſo:
aut cum P. Africanus homo uirtute, fortuna, gloria, re=
bus geſtis ampliſſimis, poſtraquam bis Conſul & Cen=
ſor fuerat, L. Cottam in iudicium uocabat. iure tum flo
rebat Populi Ro. nomen: iure authoritas huius imperij,
ciuitatisq; maieſtas grauis habebatur. nemo mirabatur
in Africano illo, quod in me nunc homine paruis opi=
bus, ac facultatibus prædito, ſimulant ſeſe mirari: cum
moleſte ferunt. quid ſibi iſte uult? accuſatorem ne ſe exi=
ſtimari? qui antea defendere conſueuerat? nunc præſer
tim ea iam ætate: cũ ædilitatem petat? Ego uero ætatis
non modo meæ, ſed multo etiam ſuperioris, et honoris
ampliſſimi puto eſſe: & accuſare improbos: & miſeros

calamitoſoſq; defendere. Et profecto aut hoc remedium
eſt ægrotæ, ac propè deſperatæ Reipub. iudicijſq; corru
ptis, ac contaminatis paucorũ uicio, ac turpitudine: ho
mines ad legũ deſenſionẽ, iudiciorũq; authoritatẽ quã=
honeſtißimos, & integerrimos, diligẽtißimosq; accede
re: aut, ſi ne hoc quidem prodeſſe poterit: profecto nulla
unquam medicina his tot incommodis reperietur: nul=
la ſalus Reip. maior eſt: quàm eos, qui alterũ accuſant:
non minus de laude, de honore, de fama ſua, quàm il=
los, q accuſantur: de capite, ac fortunis ſuis ꝓtimeſcere.
itaq; ſemp hi diligẽtißime, laborioſißimeq; accuſarũt:
qui ſe ipſos in diſcrimen exiſtimationis uenire arbitra=
ti ſunt. Quamobrem hoc ſtatuere Iudices debetis: Q.
Cecilium, de quo nulla unquam opinio fuerit: nullaq; in
hoc ipſo iudicio expectatio futura ſit. q neq; ut ante col
lectam famam cõſeruet: neq; uti reliqui temporis ſpem
confirmet, laborat: non minus hanc cauſam ſeuere, non
minus accurate, non minus diligenter acturum. habet
enim nihil: quod in offenſiõe deperdat: ut turpißime fla
gitioſißimeq; diſcedat, nihil de ſuis ueteribus ornamen
tis requirit. A nobis multos obſides habet Populus Ro=
manus: quos ut incolumes conſeruare, tueri, cõfirmare,
ac recuperare poßimus: omni ratione erit dimicandũ.
habet honorem: quem petimus: habet ſpem: quã propo=
ſitam nobis habemus: habet exiſtimationẽ multo ſudo=
re, labore, uigilijſq; collectam: ut ſi in hac cauſa noſtrũ
officium, ac diligentiam probauerimus: hæc, quæ dixi,
retinere per Populũ Ro. incolumia, ac ſalua poßimus.
ſi tantulum offenſum, titubatumq; ſit: ut ea, quæ ſingu=
latim ac diu collecta ſunt: uno tempore uniuerſa perda=
mus. Quapropter Iudices ueſtrum eſt, diligere quẽ exi=

stimetis facillime posse magnitudinẽ causæ, ac iudicij sustinere fide, diligentia, consilio, authoritate. Vos si mihi Q. Cecilium antepositeritis: ego me dignitate superatũ non arbitrabor: Populus Ro. ne tam honestam, tam seueram, diligentemq; accusationẽ neq; uobis placuisse, neq; ordini uestro placere, arbitretur: prouidete.

ACTIONVM IN C. VERREM LIBER II. ORATIO V.

QVOD erat optandum maxime Iudices: & quod unum ad inuidiam uestri ordinis, infamiamq; iudiciorum sedandam, maxime pertinebat: id non humano consilio, sed propè diuinitus datum, atq; oblatũ nobis summo Reip. tẽpore uidetur. inueterauit enim iam opinio perniciosa Reip. uobisq; periculosa: quæ nonmodo Romæ, sed & apud exteras nationes omniũ sermone percrebuit: his iudicijs', quæ nunc sint, pecuniosum hominem, quamuis sit nocens, neminem posse damnari. nunc in ipso discrimine ordinis, iudiciorumq; uestrorũ, cum sint parati, qui concionibus, & legibus, hanc inuidiam senatus inflammare conentur: reus in iudicium adductus est C. Verres, homo uita, atq; factis, omnium iam opinione damnatus, pecuniæ magnitudine, suaspe, ac prædicatione absolutus. Huic ego causæ Iudices cũ summa uoluntate, & expectatione Populi Ro. actor accessi non ut augerem inuidiam ordinis: sed ut infamiæ com-

muni succurrerem. adduxi enim hominem: in quo reconciliare existimationem iudiciorum amissam: redire in gratiam cum Populo Romano: satisfacere exteris nationibus possetis: depeculatorem ærarij, uexatorẽ Asiæ, atq; Pamphyliæ, prædonem iuris urbani, labem atque perniciem prouinciæ Siciliæ. de quo si uos seuere, religioseq; iudicaueritis: authoritas ea, quæ in uobis remanere debet, hærebit. sin istius ingẽtes diuitiæ iudiciorũ religionẽ, ueritatemq; perfregerint: ego hoc tamen asse quar: ut iudiciũ potius Reipublicæ, q̃ aut reus iudicijs, aut accusator reo defuisse uideatur. Equidem, ut de me confitear Iudices: cum multæ mihi à C. Verre insidiæ terra mariq; factæ sint: quas partim mea diligentia deuitarim: partim amicorum studio, officioq; repulerim: nunquam tamen, neq; tantum periculum mihi adire uisus sum: neq; tantopere pertimui: ut nunc in ipso iudicio. neq; tantũ me expectatio accusationis meæ, concursusq; tantæ multitudinis, quibus ego rebus uehementißime perturbor, commouet: quantum istius insidiæ nefariæ: quas uno tempore mihi, M. Glabrioni Prætori, socijs, exteris nationibus, ordini, nomini deniq; senatorio facere conatur. qui ita dictitat: ijs esse metuendũ: qui quod ipsis solis satis esset, surripuissent: se tantũ rapuisse: ut id multis satis esse posit. nihil esse tam sanctum, quod non uiolari: nihil tam munitum: quod non expugnari pecunia posit. quod si quàm audax est ad conandum: tam esset obscurus in agendo: fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset. uerum hoc adhuc percommode cadit: quod cum incredibili eius audacia singularis stultitia cõiuncta est. nam ut apertus in corripiendis pecunijs fuit: sic in spe corrumpendi iudicij perspicua sua

cõsilia, conatusq;, omnibus fecit. semel ait se in uita pertimuisse: tum cum primum reus à me factus sit: quod cum e prouincia recens esset: inuidiaq;, & infamia non recenti, sed uetere ac diuturna flagraret: tum ad iudicium corrumpendum tempus alienum offenderet. Itaq; cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulauissem: inuenit iste qui sibi in Achaiam biduo breuiorem diem postularet: non ut idem conficeret diligentia, & industria sua: quod ego meo labore, & uigilijs consecutus sum. etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundusium quidem peruenit: ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obij: ut omnium populorum, priuatorumq; literas, iniurias q; cognoscerem. ut perspicuum cuiuis esse posit: hominem ab isto quæsitum esse: nõ qui reum suum adduceret: sed qui meum tempus obsideret. Nũc homo audacissimus, atq; amentissimus hoc cogitat, intelligit me ita paratum, atq; instructum in iudicium uenire: ut nonmodo in auribus uestris, sed in oculis omnium sua furta, atque flagitia defixurus sim. uidet senatores multos esse testes audaciæ suæ: uidet multos Equites Romanos: frequẽtes præterea ciues, atq; socios, quibus ipse insignes iniurias fecerit: uidet etiã tot graues ab amicissimis ciuitatibus legationes cum publicis authoritatibus, ac testimonijs conuenisse: quæ cũ ita sint: usq; eo de omnibus bonis male existimat: usq; eo senatoria iudicia perdita, profligataq; esse arbitratur: ut hoc palàm dictitet: non sine causa se cupidum pecuniæ fuisse: quoniam tantum in pecunia præsidium experiatur esse: sese, id quod difficillimũ fuerit, tempus ipsum emisse iudicij sui: quo cætera facilius emere posset. ut quoniam criminum uim subterfugere nullo modo poterat:

procellam temporis deuitaret. quod si nonmodo in causa, uerum in aliquo honesto præsidio, aut in alicuius eloquentia, aut gratia, spem aliquã collocasset: profecto nõ hæc omnia colligeret, atq; aucuparetur: non usq; eo despiceret, cõtemneretq; ordinem senatorium: ut arbitratu eius deligeretur ex senatu, qui reus fieret: qui, dum hic quæ opus essent, cõpararet: causam interea ante eiũ diceret. quibus ego rebus quid iste speret: & quo animum intendat, facile perspicio. quamobrem uero se cõfidat aliquid perficere posse hoc Glabrione Prætore, & hoc consilio intelligere non possum. unum illud intelligo: quod prætor in reiectione iudicum iudicauit: ea spe istum fuisse præditum: ut omnem rationem salutis in pecunia poneret: hoc erepto præsidio, ut nullam sibi rem adiumento fore arbitraretur. etenim quod est ingenium tantum? quæ tanta facultas dicendi, & copia? quæ istius uitam tot uitijs flagitijsq; coniunctam, iam pridem omnium uoluntate iudicioq; damnatam, aliqua ex parte posit defendere? cuius ut adolescentiæ maculas ignominiasq; præteream: quæstura primus gradus honoris qd aliud habet in se: nisi Cn. Carbonem spoliatum à Quæstore suo pecunia publica? nudatum & proditum cõsulem? desertum exercitum? relictã prouinciam? sortis necessitudinem, religionemq; uiolatam? Cuius legatio exitium fuit Asiæ totius, & Pamphyliæ. quibus in prouincijs multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus est: cum in Cn. Dolobellam scelus suum illud pristinum reuocauit, & instaurauit quæstorium: cum eum, cui legatus, & pro quæstore fuisset: & in inuidiam suis maleficijs adduxit: & in ipsis periculis non solum deseruit: sed etiam oppugnauit, ac prodidit. Cu-

ius prætura urbana ædium sacrarũ fuit, publicorumq; operum depopulatio: simul in iure dicendo bonorum possessionumq; contra omniũ institutа addictio, et condonatio. Iam uero omnium uiciorum suorum plurima & maxima constituit monimenta, & indicia in prouincia Sicilia: quam iste per triennium ita uexauit: ac perdidit: ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit: uix autem per multos annos innocentesq; prætores aliqua ex parte recreari aliquando posse uideatur. Hoc prætore Siculi neq; suas leges, neq; nostra senatus cõsulta, neq; communia iura, tenuerunt. tantũ q̃sq; habet in Sicilia quantum hominis auarissimi, & libidinosissimi aut imprudentiã subterfugit, aut facietati superfuit. nulla res per triennium nisi ad nutum istius iudicata est: nulla res cuiusquam tam patria, atq; auita fuit: quæ nõ ab eo, imperio istius abiudicaretur: innumerabiles pecuniæ ex aratorum bonis nouo nefarioq; instituto coactæ: socij fidelissimi in hostium numero existimati: Ciues Ro. seruilem in modum cruciati, & necati: homines nocentissimi propter pecuniã iudicio liberati: honestissimi, atq; integerrimi absentes rei facti, indicta causa damnati, & eiecti: portus munitissimi, maximæ tutissimæq; urbes, piratis, prædonibusq; patefactæ: nautæ, milites q; Siculorum, socij nostri, atq; amici fame necati: classes optimæ, atq; opportunissimæ cum magna ignominia Populi Ro. amissæ, & perditæ. Idem iste Prætor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum, quæ illi ornamento urbibus esse uoluerunt: partim etiam nostrorum Imperatorum, quæ uictores ciuitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderunt: spoliauit, nudauitq; omnia. neque hoc solum in statuis

publicis, ornamentisq; fecit: sed etiam delubra omnia sanctissimis religionibus consecrata, depeculatus est. deum deniq; nullum Siculis, qui ei paulo magis affabre atq; antiquo artificio factus uideretur, reliquit. In stupris uero, & flagitijs nefarias eius libidines commemorare pudore deterreor. simul illorum calamitatem commemorando augere nolo: quibus liberos coniugesq; suas integras ab istius petulantia conseruare non licitum est. At enim hæc ita commissa sunt ab isto: ut non cognita sint ab omnibus. hominem esse arbitror neminem, qui nomen istius audierit: quin facta quoq; eius nefaria commemorare possit. ut mihi magis timendum sit: ne multa crimina prætermittere, quàm ne qua in istum fingere existimer. neq; enim mihi uidetur hæc multitudo, quæ ad audiendum conuenit: cognoscere ex me causam uoluisse: sed ea quæ scit, mecum recognoscere. Quæ cum ita sint: iste homo amens, ac perditus alia mecum ratione pugnat. non id agitur. ut alicuius eloquentiam mihi opponat: non gratia, non authoritate cuiusquam, nõ potentia nititur. simulat his se rebus confidere. sed uideo quid agat: neq; enim agit occultissime: ꝓponit inania mihi nobilitatis, hoc est hominum arrogantium nomina: qui non tam me impediunt, quod nobiles sunt: quàm adiuuant, quod noti sunt. simulat se eorum præsidio confidere: cum interea aliud quiddam iam diu machinetur. Quam spem nunc habeat in manibus: & quid moliatur: breuiter iam Iudices exponam: sed prius ut ab initio res ab eo constituta sit: quæso cognoscite. Vt primum è prouincia rediit: redemptio est huius iudicij facta grandi pecuniæ: mansit in conditione atq; pacto usq; ad eum finem: dum

Iudices reiecti sunt. posteaquam reiectio iudicum facta est: quod et in sortitiõe, istius spem fortuna populi romani: et in reijciendis iudicibus, mea diligẽtia istorũ impudentiam uicerat, renunciata est tota conductio. præclare se res habebat: libelli nominum uestrorum consilijq; huius, in manibus erant omnium: nulla nota, nullus color, nullæ sortes uidebantur his sententijs allini posse. cum iste repente ex alacri, atq; læto, sic erat humilis, atq; demissus: ut nonmodo populo Romano, sed etiam sibi ipse condemnatus uideretur. Ecce autem repente, his diebus paucis, comitijs consularibus factis, eadem illa uetera consilia pecunia maiore repetuntur: eædemq; uestræ famæ, fortunisq; omnium insidiæ per eosdem homines comparantur. quæ res primo Iudices pertenui nobis argumento, indicioq; patefacta est. post aperto suspicionis introitu ad omnia intima istorum cõsilia sine ullo errore peruenimus. nam ut Hortensius Cons, designatus domum reducebatur è campo cum maxima frequentia à multitudine: fit obuiam casu ei multitudini C. Curio: quem ego hominem honoris potius, quam contumeliæ causa nominatum uolo. etenim ea dicam: quæ ille si commemorari noluisset: non tanto in conuentu, tam aperte, palamq; dixisset: quæ tamen à me pedetentim, cauteq; dicentur: ut amicitiæ nostræ, & indignitatis illius habita ratio esse intelligatur. uidet ad ipsum fornicem Fabianum in turba Verrem: appellat hominem: & ei uoce maxima uictoriam gratulatur: ipsi Hortensio, qui consul erat factus: propinquis necessarijsq; eius, qui tum aderant: uerbum nullum facit: cum hoc constitit: hunc amplexatur: hunc iubet sine cura esse. renuncio inquit tibi: te hodiernis comitijs esse absolutum.

quod cum tam multi homines honestißimi audissent: statim ad me defertur. immo uero, ut quisq; me uiderat, narrabant. alijs illud indignum, alijs ridiculum uidebatur. ridiculum ijs, qui istius causam in testium fide, in criminum ratione, in iudicum potestate, non in comitijs consularibus positam arbitrabantur. indignum ijs, qui altius perspiciebant: & hanc gratulationem ad iudicium corrumpendum spectare arbitrabantur. etenim sic ratiocinabantur: sic honestißimi homines inter se, & mecum loquebantur: aperte iam & perspicue nulla esse iudicia: qui reus pridie iam ipse se condemnatum putabat: is posteaquam defensor eius Consul est factus absoluitur. Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negociatores, oẽs publicæ, priuatæq; literæ Romæ sunt: nihil ne id ualebit? nihil, inuito Cons. designato. quid Iudices? non crimina, non testes, non existimationem populi Ro. sequentur? non: omnia in unius potestate, ac moderatione uertentur. uere loquar Iudices: uehementer me hæc res cõmouebat. optimus enim quisq; ita loquebatur: iste quidem tibi eripietur: sed nos non tenebimus iudicia diutius. etenim quis poterit Verre absoluto de tranferendis iudicijs recusare? erat omnibus molestum: neq; eos tam istius perditi subita læticia, quam hominis amplißimi noua gratulatio commouebat. cupiebam dißimulare, me id moleste ferre: cupiebam animi dolorem uultu tegere: & tacitur nitate celare. ecce autem illis ipsis diebus, cum prætores designati sortirẽtur: et M. Metello obtigisset: ut ijs de pecunijs repetundis quæreret: nunciatur mihi, tantam gratulationem isti esse factam: ut is quoq; domum pueros mitteret: qui uxori suæ nunciarent. sanè ne hæc qui-

dem res mihi placebat: neq; tantopere quid in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam. unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia cõperi, reperiebam: fiscos complures cum pecunia Sicilienſi à quodam senatore ad Equitem Romanum esse translatos: ex his quasi X fiscos ad senatorem illum relictos esse comitiorum nomine: diuisores omnium tribuum noctu ad istum uocatos. ex quibus quidam qui se omnia mea causa facere debere arbitrabatur: eadem illa nocte ad me uenit. demonstrat qua iste oratione usus esset: commemorasse istum quam liberaliter eos tractasset etiam antea: cum ipse præturam petisset: & proximis consularibus, prætorijsq; comitijs: deinde esse pollicitũ quantum uellent pecuniæ, si me ædilitate deiecissent. hoc alios negasse audere: alios respondisse, non putare id perfici posse. inuentum tamen esse fortem amicum, ex eadem familia Q. Verrem Romilia ex optima diuisorum disciplina, patris istius discipulum, atq; amicum: qui HS quingentis millibus depositis, id se perfecturũ pollicerentur: & fuisse tamen nonnullos: qui se una facturos esse dicerent. quæ cum ita essent: sanè beneuolo animo me, ut magnopere cauerem, præmonebat. Sollicitabar rebus maximis uno, atq; eo perexiguo tempore. urgebant comitia. & his ipsis oppugnabar grandi pecunia. instabat iudiciũ. ei quoq; negocio fisci Siciliẽses minabãtur. agere, quæ ad iudicium pertinebant libere, comitiorũ metu deterrebar. petitioni toto animo seruire, ppter iudicium non licebat. minari deniq; diuisoribus ratio non erat: propterea, quod eos intelligere uidebam, me hoc iudicio districtum, atq; obligatum futurum. Atq; hoc ipso tempore Siculis denunciatum esse audio, primum ab

Hortensio, domum ad illum ut uenirent. Siculos sanè in eo liberos fuisse: qui quamobrem accerserentur, cum intelligerent, non uenisse. interea comitia nostra, quorum iste se, ut cæterorũ hoc anno comitiorum, dominum esse arbitrabatur, haberi cœpta sunt. cursare iste homo potens, cum filio blando, & gratioso circum tribus: paternos amicos, hoc est diuisores appellare omnes: & cõuenire. quod cum esset intellectum, & animaduersum: fecit animo libẽtißimo populus romanus: ut cuius diuitiæ me de fide deducere non potuissent: ne eiusdem pecunijs de honore deijcerer. postea quam illa petitionis magna cura liberatus sum: animo cœpi multo magis uacuo, ac soluto, nihil aliud nisi de iudicio agere: & cogitare. Reperio Iudices hæc ab istis consilia inita, & constituta: ut quacunq; opus esset ratione, res ita duceretur: ut apud M. Metellum prætorem causa diceretur. in eo esse hæc commoda: primum M. Metellum amicißimum: deinde Hortensium Cons. non solum, sed etiam Q. Metellum: qui quàm isti sit amicus attendite. dedit enim prærogatiuam suæ uoluntatis eiusmodi: ut isti pro prærogatiuis iã reddidisse uideatur. an me taciturũ tantis de rebus existimauistis? & in tanto Reip. existimationis q; meæ periculo cuiquam consulturum potius: quàm officio & dignitati meæ? accersit alter Cons. designatus Siculos: ueniunt nonnulli: propterea quod Q. Metellus esset prætor in Sicilia: cum ijs ita loquitur: se Consulem esse: fratrem suum, alterum Siciliam prouinciam obtinere: alterum esse quæsiturum de pecunijs repetundis: Verri ne noceri posßit multis rationibus esse prouisum. quid est quæso Metelle iudiciũ corrumpere? si hoc nõ est? testes, præsertim Siculos, timidos homines, & afflictos

nõ solum authoritate deterrere: sed etiã Cõsulari metu, & duorum prætorũ potestate? quid faceres pro homine innocente, & propinquo? cum propter hominem perditissimum, atq; alienissimum, de officio, ac dignitate decedis. & committis, ut, quod ille dictitat: alicui, qui te ignorat, uerum esse uideatur? nam hoc Verrem dicere aiebant: te non fato, ut cæteros ex uestra familia, sed opera sua Consulem factum. Duo igitur Conss. & quæsitor. erunt ex illius uoluntate. non solum effugiemus inquit hominem in quærendo nimium diligentem, nimium seruientem populi existimationi, M. Glabrionem: accedet nobis etiam illud: iudex est M. Cesonius collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus, & cognitus: quem minime expediat esse in eo consilio: quod conemur aliqua ratione corrumpere: propterea, quod iam antea, cum iudex in Iuniano consilio fuisset: turpissimum illud facinus nõ solum grauiter tulit: sed etiam in medium protulit. hunc Iudicem ex Cal. Ian. non habebimus. Q. Manlium, & Q. Cornificium duos seuerissimos, atq; integerrimos iudices, quod Tri. Pl. tum erunt: iudices non habebimus. P. Sulpitius iudex tristis, & integer magistratum ineat necesse ẽ nonis decẽbribus. M. Crepereius ex acerrima illa equestri familia, & disciplina: L. Cassius ex familia tum ad cæteras res, tum ad iudicandum seuerissima: Cn. Tremellius homo summa religione, & diligentia: tres hi homines ueteres Tribuni militares sunt designati: ex Cal. Ianuar. non iudicabunt. subsortiemur etiam in M. Metelli locum: quoniã is huic ipsi quæstioni præfuturus est. ita secundum Cal. Ian. & prætore, & propè toto cõsilio commutato, magnas accusatoris minas, magnamq; iudicij expectationem ad nostrum arbitrium, libidinemq; eludemus. nonæ sunt hodie sextiles: hora nona conuenire cœpistis. hunc diem iam ne numerant quidem. decem dies sunt ante ludos uotiuos: quos Cn. Pompeius facturus est. hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani consequẽtur. ita propè XL diebus interpositis, tum deniq; se ad ea, quæ à nobis dicta erunt: responsuros esse arbitrantur. deinde se ducturos & dicendo, & accusando facile ad ludos uictoriæ. cum his plebeios esse coniunctos: secundum quos aut nulli aut pauci dies ad agendũ futuri sunt. ita defessa, ac refrigerata accusatione rem integram ad M. Metellum esse uenturam. quem ego hominem si eius fidei diffisus essem: iudicem non retinuissem. nunc tamen eo animo sum: ut eo iudice quàm prætore hanc rem transigi malim: & iurato suam, quàm iniurato aliorum tabellas committere. Nunc ego Iudices iam uos consulo: quid mihi faciendum putetis. id enim consilij mihi, pfecto taciti dabitis: quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. si utar ad dicendum meo legitimo tempore: mei laboris, industriæ, diligentiæq; capiam fructum: & ex accusatione perficiam: ut nemo unquam post hominum memoriam paratior, uigilantior, compositior ad iudicium uenisse uideatur. sed in hac laude industriæ meæ, reus ne elabatur summum periculum est. quid est igitur, quod fieri possit? non obscurum opinor, neq; absconditum. fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit: in alia tempora reseruemus. nunc hominem tabulis, testibus, priuatis, publicisq; literis, authoritatibusq; accusemus. res omnis mihi tecum erit Hortensi. dicam aperte. si te me

cum dicendo, ac diluendis criminibus in hac causa con-
tendere putarem: ego quoq; in accusando, atq; in expli-
candis criminibus operam consumerem. nunc quoniam
pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura,
quàm ex istius tempore, & causa: malicioſæ neceſſe eſt
istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. tua ratio est:
ut secundũ binos ludos mihi respondere incipias. mea,
ut ante primos ludos comperendinem. ita fiet ut tua ista
ratio existimetur astuta: meum hoc consilium necessa-
rium. Verum illud quod institueram dicere, mihi rem
tecum esse: huiusmodi est. ego cum hanc causam Siculo-
rum rogatu recepissem: idq; mihi amplum, & præcla-
rum existimassem: eos uelle meæ fidei, diligentiæq; peri-
culum facere, qui innocentiæ, abstinentiæq; fecissent: tũ
suscepto negocio maius mihi quiddam proposui: in quo
meam in Remp. uoluntatẽ populus Ro. perspicere pos-
set. nam illud mihi nequaquam dignum industria, cona-
tuq; meo uidebatur: istum à me in iudiciũ iam oĩum iudi
cio condẽnatũ uocari: nisi ista tua intolerabilis potẽtia,
et ea cupiditas, qua p hosce años in qbusdã iudicijs usus
es, etiã in istius hominis desperati causa interponeretur.
nũc uero, quoniam hæc te omnis dominatio, regnumq;
iudiciorum tantopere delectat: & sunt homines: quos
libidinis, infamiæq; suæ, neq; pudeat: neq; tedeat: qui
quasi de industria in odium offensionemq; populi Ro.
irruere uideantur: hoc me profiteor suscepisse. magnum
fortasse onus, & mihi periculosum: ueruntamen dignũ
in quo omnes neruos ætatis, industriæq; meæ contende-
rem. quoniam totus ordo paucorum improbitate, & au
dacia premitur: & urgetur infamia iudiciorum: profi-
teor huic generi hominum me inimicum, accusatorem,
odiosum,

odiosum, assiduum, acerbum, aduersarium. hoc mihi su
mo: hoc mihi deposco: quod agam in magistratu: quod
agam ex eo loco: ex quo me Populus Ro. ex Calen. Ian.
secum agere de Repub. ac de hominibus improbis uo-
luit. Hoc munus ædilitatis meæ Populo Rom. amplissi
mum, pulcherrimumq; polliceor: moneo, prædico, ante
denuncio, qui aut deponere, aut recipere, aut accipere,
aut polliceri: qui aut sequestres, aut interpretes corrũ-
pendi iudicij esse solẽt: quiq; ad hanc rem aut potentiã,
aut impudentiam suam professi sunt: abstineant in hoc
iudicio manus animosq; ab hoc scelere nefario. Erit
tum consul Hortensius cum summo imperio, & potesta
te: ego autem ædilis: hoc est paulo amplius, q̃ priuatus.
tamen hæc huiusmodi res est, quã me acturum esse pol-
liceor, ita populo Ro. grata, atq; iucunda: ut ipse Cons.
in hac causa, præ me minus etiam, si fieri possit, quàm
priuatus esse uideatur. omnia nonmodo commemora-
buntur: sed etiam expositis certis rebus agentur: quæ
intra decem annos, posteaquã iudicia ad senatũ trans-
lata sunt. in rebus indicandis nefarie, flagitioseq; fa-
cta sunt. cognoscet ex me Populus Rom. quid sit, quam
obrem cum equester ordo iudicaret: annos propè quin-
quaginta continuos, nulla iudice equite Ro. iudicante,
ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ ob rem
iudicandam constituta sit: quid sit, quod iudicijs ad se-
natorium ordinem translatis, sublataq; Populi Ro. in
unumquenq; nostrum potestate, Q. Calidius damna-
tus dixerit: minoris HS XXX prætorium hominem
honeste non posse damnari: quid sit, quod P. Septimio
senatore damnato Q. Hortensio prætore de pecunijs
repetundis, lis æstimata sit eo nomine: quod ille ob rem

iudicandam pecuniam accepisset: quod in C. Herennio, quod in C. Popilio senatoribus: qui ambo peculatus dãnati sunt: quod in M. Attilio, qui de maiestate damnatus est: hoc planum factum est: eos pecuniam ob rem iudicandam accepisse: quod inuenti sunt senatores: qui C. Verre Pr. urbano sortiente, exirent in eum reum: quem incognita causa condemnarent: quod inuentus est senator: qui cum iudex esset, in eodem iudicio ab reo pecuniam acciperet: quam iudicibus diuideret: & ab accusatore: ut reum damnaret. Iam uero quomodo illam labem ignominiam calamitatemq; totius ordinis conquerar? hoc factum esse in hac ciuitate: cum senatorius ordo iudicaret: ut discoloribus signis, iuratorũ hominum sententiæ notarentur. Hæc omnia me diligenter seueréq; acturum esse polliceor. quo me tandem animo fore putetis? si quid in hoc ipso iudicio intellexero, simil: aliqua ratione esse uiolatum, atq; commissum. cum præsertim planum facere multis testibus possim: C. Verrem in Sicilia multis audientibus sæpe dixisse: se habere hominem potentem: cuius fiducia prouinciam spoliaret: neq; sibi soli pecuniam quærere: sed ita triennium illud præturæ Sicilienſis distributum habere: ut secum præclare agi diceret: si unius anni quæstum in rem suam conuerteret: alterum patronis & defensoribus suis traderet: tertium illum uberrimum quæstuosissimumq; annum totum iudicibus reseruaret. Ex quo mihi uenit in mentem illud dicere: quod apud M. Glabrionem nuper cum in reijciendis iudicibus commemorassem: intellexi uehementer populum Ro. commoueri. me arbitrari fore: uti nationes exteræ legatos ad populum Ro. mitterent: ut lex de pecunijs repetũdis iudiciumq; tolleretur. si enim

iudicia nulla sint: tantum unumquenq; ablaturum putant: quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitraretur. nunc quod eiusmodi iudicia sint: tantum unumquenq; auferre: quantũ sibi, patronis, aduocatis, prætoribus, iudicibus satis futurum sit. hoc profecto infinitum esse. se auarissimi hominis cupiditati satisfacere posse: nocẽtissimæ uictoriæ non posse. O commemoranda iudicia: præclaramq; existimationem nostri ordinis: cum socij populi Ro. iudicia de pecunijs repetundis fieri nolunt: quæ à maioribus nostris sociorũ causa comparata sunt. an iste unquam de se bonam spem habuisset: nisi de uobis malam opinionẽ animo imbibisset? quo maiore etiã si fieri potest, apud uos odio esse debet: quàm est apud populum Romanũ: cum in auaritia, scelere, periurio, uos sui similes arbitretur. Cui loco per deos immortales iudices cõsulite, ac prouidete. moneo, prædicoq;, id quod intelligo: tẽpus opportunissimũ uobis hoc diuinitus datum esse: ut odio, inuidia, infamia, turpitudine, totũ ordinem liberetis. nulla in iudicijs seueritas, nulla religio, nulla deniq; existimantur esse iudicia. itaq; à populo Ro. contemnimur: despicimur: graui diuturnaq; iam flagramus infamia. neq; enim ullam aliam ob causam populus Ro. tribunitiam potestatem tanto studio requisiuit: quam cum poscebat: uerbo illam poscere uidebatur: re uera iudicia poscebat. neq; hoc Q. Catulum hominem sapientissimum, atque amplissimum fugit: qui Cn. Pompeio uiro fortissimo, et clarissimo de tribunitia potestate referẽte, cũ esset sententiã rogatus: hoc initio est summa cum authoritate usus: patres cõscriptos iudicia male et flagitiose tueri. quod si in rebus iudicãdis populi Ro. existimationi satisfacere uoluissent: nõ tantopere

homines fuisse tribunitiam potestatẽ desideraturos. Ipse deniq; Cn. Pomponius, cum primum concionẽ ad urbẽ Cons. designatus habuit: ubi, quod maxime expectari uidebatur, ostendit, se tribunitiam potestatẽ restituturum: factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione cum dixisset: populatas, uexatasq; esse prouincias: iudicia autem turpia, & flagitiosa fieri: ei rei se prouidere, ac consulere uelle: tum uero non strepitu, sed maximo clamore suam populus Ro. significauit uoluntatem. Nunc autẽ homines in speculis sunt: obseruant quemadmodum se unusquisq; uestrum gerat in retinenda religione, conseruandisq; legibus: uident adhuc post legem tribunitiam unum senatorem uel tenuissimum esse damnatum. quod tametsi non reprehendunt: tamen magnopere quod laudent, non habent. nulla est enim laus ibi esse integrum: ubi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. hoc est iudicium in quo uos de reo: populus Ro. de uobis iudicabit: in hoc homine statuetur: possit ne senatoribus iudicantibus homo nocentissimus pecuniosissimusq; damnari. Deinde est huiusmodi reus: in quo homine nihil sit, praeter summa peccata, maximamq; pecuniam: ut si liberatus sit: nulla alia suspicio, nisi ea, quae turpissima est, residere possit. nõ gratia, nõ cognatione, nõ alijs recte factis, non deniq; aliquo mediocri uicio, tot tantaq; eius uicia subleuata esse existimabuntur. Postremo ego causam sic agam iudices: eiusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam: ut nemo à uobis ut istum absoluatis per gratiam conetur contendere. habeo autem certam uiam atq; rationem: qua omnes illorum conatus inuestigare, & consequi possim. Ita res à me age

tur: ut in eorum consilijs omnibus nonmodo aures hominum, sed etiã oculi P. R. interesse uideantur. uos aliquot iam per annos conceptam huic ordini turpitudinem, atq; infamiã delere ac tollere potestis. constat inter omnes: post hæc iudicia, quibus nũc utimur: nullum hoc splendore, atq; hac dignitate consilium fuisse. hic si quid erit offensum: omnes homines non iam ex eodẽ ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest: sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur. Quapropter primum ab dijs immortalibus, quod sperare mihi uideor, hoc idem Iudices peto: ut in hoc iudicio nemo improbus præter eum, qui iam pridem inuentus est, reperiatur. Deinde si plures improbi fuerint: hoc uobis, hoc populo Ro. Iudices confirmo: uitam mehercule mihi prius, quàm uim, perseuerantiamq; ad illorum improbitatem persequendam defutu ram. Verũ quod ego laboribus, periculis, inimicitijsq; meis, tum cum admissum erit, dedecus seuere me persecuturum esse polliceor: id ne accidat tu tua sapientia, authoritate, diligentia M. Glabrio potes prouidere. suscipe causam iudiciorũ: suscipe causam seueritatis, integritatis, fidei, religionis: suscipe causam senatus: ut is hoc iudicio probatus, cũ Populo Ro. & in laude, & in gratia esse possit. cogita quo loco sis: quid dare P. Romano, quid reddere maioribus tuis debeas. fac tibi paternæ legis Aciliæ ueniat in mentem: qua lege Populus Rom. de pecunijs repetundis optimis iudicijs seuerissimisq; iudicibus usus est. circunstant te summæ authoritates: quæ te obliuisci laudis domesticæ nõ sinant: quæ te dies, noctesq; commoneant: fortissimum tibi patrem, sapientissimum auum, grauissimum socerum fuisse. quare si

Glabrionis patris uim, & acrimoniam cœperis ad resistendum hominibus audaciſsimis: ſi aui Scæuolæ prudentiam ad proſpiciendas inſidias: quæ tuæ atq; horum famæ comparantur: ſi ſoceri Scauri conſtantiam: ut nequis te de uera, & certa poſsit ſententia dimouere: intelliget populus Ro. integerrimo, atq; honeſtiſsimo prætore, delectóq; conſilio, nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuiſſe momenti ad ſuſpicionem criminis, quàm ad rationem ſalutis. Mihi certum eſt non committere ut in hac cauſa prætor nobis, conſiliumq; mutetur. non patiar rem in id tempus adduci: ut Siculi, quos ad huc ſerui deſignatorum Conss. non mouerunt: cum eos nouo exemplo arceſſerent: eos tum lictores conſulum uocent: ut homines miſeri, antea ſocij, atque amici populi Rom. nunc ſerui, ac ſupplices, non modo ius ſuum, fortunasq; omnes eorum imperio amittant: uerum etiam deplorandi iuris ſui poteſtatem nõ habeant. non ſinam profectò cauſa à me perorata, XXX diebus interpoſitis, tum nobis deniq; reſpondeant: cum accuſatio noſtra in obliuionem diuturnitate adducta ſit. non committam ut tum res iudicetur: cum hæc frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit: quæ conuenit uno tempore undiq;, comitiorũ, iudiciorum, cenſendiq; cauſa. huius iudicij, & laudis fructum, & offenſionis periculum, ueſtrum laborem ſollicitudinemq;, noſtram ſcientiam quid agatur, memoriamq; quid à quoque dictum ſit, omnium puto eſſe oportere. faciam hoc non nouum: ſed ab alijs, qui nunc principes noſtræ ciuitatis ſunt, ante factum: ut teſtibus utar ſtatim. illud à me nouum Iudices cognoſcetis: quod ita teſtes conſtituam: ut crimen totum explicẽ. ubi id interrogando, argumẽtis,

atq; oratione firmauero: tum teſtes ad crimen accommodem: ut nihil inter illam uſitatam accuſationẽ, atq; hãc nouam interſit: niſi quod in illa tunc, cum omnia dicta ſunt, teſtes dantur: hic in ſingulas res dabuntur: ut illis quoq; eadẽ interrogandi facultas, argumentandi, dicendiq; ſit. ſiquis erit: qui perpetuam orationem, accuſationemq; deſideret: altera actione audiet. nunc id quod facimus, ea ratione facimus: ut maliciæ illorum conſilio noſtro occurramus: neceſſario fieri intelligant. Hæc primæ actionis erit accuſatio. Dicimus C. Verrem, cũ multa libidinoſe, multa crudeliter, in ciues Ro. atq; in ſocios, multa in deos, hominesq; nefarie fecerit: tum præterea CCCC ſextertia ex Sicilia contra leges abſtuliſſe. hoc teſtibus, hoc tabulis, priuatis publicisq; authoritatibus, ita uobis planũ faciemus: ut hoc ſtatuatis: etiam ſi ſpaciũ ad dicendum noſtro commodo, uacuosq; dies habuiſſemus: tamen oratione lõga nihil opus fuiſſe.

ACTIONVM IN C. VERREM LIBER III. ORATIO VI.

EMINEM *uestrum ignorare arbitror Iudices: hunc per hosce dies sermonem uul*
n gi, atque hanc opinionem populi Ro. fuis-
se: C. Verrem altera actione responsu-
rum non esse: neque ad iudicium affuturum. quæ fama
non iccirco solum emanarat: quod iste certe statuerat,
ac deliberauerat, non adesse: uerum etiam quod ne-
mo quenquam tam audacem, tam amentem, tam impu-
dentem fore arbitrabatur: qui tam nefarijs criminibus,
tam multis testibus euictus, ora iudicum aspicere, aut
os suum populo Ro. ostendere auderet. Est idem Verres,
qui fuit semper: ut ad audendum proiectus: sic para-
tus ad audiendum. præsto est, respondet, defenditur: ne
hoc quidem sibi reliqui fecit: ut in rebus turpissimis,
cum manifesto teneatur: si reticeat: & absit: tamen im-
pudentiæ suæ pudentem exitum quæsisse uideatur. Pa-
tior Iudices: & non moleste fero: me laboris mei, uos
uirtutis uestræ fructum esse laturos. nam si iste id feci-
sset, quod primo statuerat, ut non adesset: minus ali-
quanto quàm mihi opus esset, cognosceretur: quid ego
in hac accusatione comparanda, constituendaq; elabo-
rassem: uestra uero laus tenuis planè, atq; obscura Iu-
dices esset. neq; enim hoc à uobis populus Ro. expectat:
neq; eo potest esse contentus: si condẽnatus sit is, q adesse
noluerit: & si fortes fueritis in eo: quem nemo sit ausus
defendere. immo uero adsit, respõdeat: summis opibus,

summo studio potentissimorum hominum defendatur:
certet mea diligentia cum illorum omnium cupiditate:
uestra integritas cum istius pecunia: testium constantia
cum illius patronorum minis, atq; potentia. tum demũ
illa uicta uidebuntur: cum in contentionem certamenq;
uenerint. absens si iste esset damnatus: non tam ipse sibi
consuluisse, quàm inuidisse uestræ laudi uideretur. neq;
enim salus ulla maior Rei. hoc tempore reperiri potest:
quàm populum Ro. intelligere: diligenter reiectis ab
accusatore iudicibus, socios, leges, Remp. senatorio con-
silio maxime posse defendi. neq; tãta fortunis omniũ per-
nicies potest accedere: q̃ opinione populi Ro. rationem
ueritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine ab-
iudicari. Itaq; mihi uideor magnam, & maxime ægrã,
& propè depositam Reip. partem suscepisse: neq; in eo
magis meæ quàm uestræ laudi existimationiq; seruisse.
accessi enim ad inuidiam iudiciorum leuandam, uitupe-
rationemq; tollendam: ut cum hæc res pro uoluntate po-
puli Ro. esset iudicata: aliqua ex parte mea diligentia cõ-
stituta authoritas iudiciorũ uideretur. postremo ut esset
hoc iudicatum: ut finis aliquando iudiciariæ controuer-
siæ cõstitueretur. etenim sine dubio Iudices in hac causa
ea res in discrimen adducitur. reus est enim nocentissi-
mus: qui si condemnatur: desinent homines dicere: his
iudicijs pecuniam plurimũ posse. sin absoluitur, desina-
mus nos de iudicijs transferendis recusare. tametsi de ab-
solutione istius, neq; ipse iam sperat: nec populus Ro. me-
tuit. de impudẽtia singulari, quod adest: quod respõdet:
sunt qui mirẽtur: mihi propter eius audaciã, atq; amen-
tiam ne hoc quidem mirandum uidetur. multa enim &
in deos, et in homines impie, nefarieq; cõmiserit. quorũ

scelerum pœnis agitatur: & à mente, consilioq; deducitur. agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Romanorum: quos partim securi percussit: partim in uinculis necauit: partim implorantes iura libertatis, & ciuitatis in crucem sustulit. rapiunt eum ad supplicium dij patrij: quod iste inuentus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret: & parentes precium pro sepultura liberum posceret. religiones uero, cerimoniæq; omnium sacrorum, fanorumq; uiolatæ, simulacraq; deorum, quæ nonmodo ex suis templis ablata sunt: sed etiam iacent in tenebris ab isto retrusa, atq; abdita: consistere eius animum sine furore, atq; amentia non sinunt. neq; iste mihi uidetur se ad damnationem offerre solum: neq; hoc auariciæ supplicio communi, qui tot sceleribus se obstrinxerit, contentus esse: singularem quandam pœnã istius immanis atq; importuna natura desiderat. non id solum quæritur: ut isto dãnato bona restituantur ijs, quibus erepta sunt: sed & religiones deorum immortalium expiandæ: & ciuium R. cruciatus, multorumq; innocentium sanguis, istius supplicio luendus est. non enim furem, sed eptorem, non adulterũ, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumq;, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorũq;, in uestrum iudicium adduximus. ut ego hunc unum ciusmodi reum, post hominum memoriam fuisse arbitrer: cui damnari expediret. nam quis hoc non intelligit? istum absolutum dijs hominibusq; inuitis, tamen ex manibus populi Ro. eripi nullo modo posse? quis hoc nõ perspicit? præclare nobiscum actum iri: si populus Ro. istius unius supplicio contentus erit? ac non sic statuerit:

non istum maius in sese scelus concepisse: eum sana spoliarit: cum tot homines innocentes necarit: cũ ciues Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit: cum prædonum duces accepta pecunia dimiserit: quàm eos, si qui istum tot, tantis, tam nefarijs sceleribus coopertum iurati sententia sua liberarent. non est non est in hoc homine cuiq; peccandi locus Iudices: non is est reus, non id tempus, non id consilium, metuo ne quid arrogantius apud tales uiros uidear dicere, ne actor quidem est is: cui reus tam nocẽs, tam perditus, tam uictus, aut occulte surripi, aut impune eripi posit. His ego iudicibus non probabo C. Verrem contra leges pecunias cœpisse? sustinebunt tales uiri, se tot senatoribus, tot equitibus romanis, tot ciuitatibus, tot hominibus honestissimis, ex tam illustri prouincia, tot populorum priuatorumq; literis non credidisse? tantæ populi Ro. uoluntati restitisse? sustineant. reperiemus, si istum uiuum ad aliud iudicium perducere potuerimus: quibus probemus, istum in quæstura pecuniam publicam Cn. Carboni Cons. datã auertisse: quibus persuadeamus, istum alieno nomine à quæstoribus urbanis, quod priore actione didicistis: pecuniã abstulisse. erunt qui & in eo quoq; audaciam eius reprehendãt: quod aliquot nominibus de capite quantum cõmodum fuerit frumenti decumani, detraxerit. erunt etiam fortasse Iudices: qui illum eius peculatum uel acerrime uindicandum putent: quod iste M. Marcelli, & P. Africani monumenta, quæ nomine, illorum, re uera, populi Ro. & erant, & habebantur, ex fanis religiosissimis, ex urbibus sociorum, atq; amicorum non dubitauerit auferre. emerserit ex peculatus etiam iudicio: meditetur de ciuibus hostium: quos accepta pecunia liberauit: uideat qd

de illis respondeat: quos in eorum locum subditos domi suæ reseruauit: quærat non solum quemadmodum nostro crimini, uerum etiam quo pacto suæ confessioni possit mederi: meminerit se priore actione clamore populi Romani infesto, atq; inimico excitatũ, cõfessum eẽ: duces à se prædonũ securi nõ esse percussos: se iam tum esse ueritũ, ne sibi crimini daretur: eos ab se pecunia liberatos: fateatur id, quod negari non potest: se priuatũ hominem prædonũ duces uiuos, atq; incolumes domi suæ, postæq; Romam redierit: usq; dum per me licuerit: tenuisse. hoc in illo maiestatis iudicio si licuisse sibi ostenderit: ego oportuisse concedam. ex hoc quoq; euaserit. proficiscar eò, quo me iam pridem uocat populus romanus. de iure enim libertatis, & ciuitatis suum putat esse iudicium: et recte putat. confringat iste sanè ui sua, consilia senatoria: quæstiones omnium perrumpat: euolet ex uestra seueritate. mihi credite arctioribus apud populum Ro: laqueis tenebitur. credet ijs equitibus Ro. populus romanus: qui ad uos antea pducti testes, ipsis inspectantibus ab isto ciuem Romanũ, qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt: credent omnes V & XXX tribus homini grauissimo, atq; ornatißimo M. Annio: qui se præsente ciuem Ro. securi percussum esse dixit: audietur à populo Romano uir primarius eques romanus L. Flauius: qui suũ familiarẽ Herennium negociatorem ex Africa, cum eum Syracusis amplius centum ciues Ro. cognoscerent, lachrymantesq; defenderẽt: pro testimonio dixit, securi esse percussum: probabit fidẽ, & authoritatem, & religionẽ suam L. Suetius homo omnibus ornamentis præditus: q̃ iuratus apud uos dixit: multos ciues romanos in Latumijs

istius imperio crudelissime p uim morte esse mulctatos. Hãc ego causam cũ agã beneficio populi Ro. de loco superiore. nõ uereor ne aut istum uis ulla ex populi Ro. suffragijs eripere: aut à me ullum munus ædilitatis amplius, aut gratius populo Ro. esse possit. Quapropter omnes in hoc iudicio conentur omnia: nihil est iã quod in hac causa peccare Iudices quisquam, nisi uestro periculo possit. mea quidem ratio cum in præteritis est rebus cognita: tum in reliquis explorata, atq; prouisa est. ego meum studium in rempublicam, iam illo tempore ostendi: cum longo interuallo ueterem cõsuetudinem retuli: & rogatu sociorum, atq; amicorũ populi Ro. meorum autem necessariorum nomen hominis audacissimi detuli. quod meum factum lectissimi uiri, atq; ornatissimi, quo in numero è uobis complures fuere: ita probauerunt: ut ei, qui istius quæstor fuisset: & ab isto læsus inimicitias iustas persequeretur: nonmodo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, cum id postularet: facerent potestatem. in Siciliam sum inquirendi causa profectus: quo in negocio industriam meam celeritas reditionis, diligentiam multitudo literarum, & testium declarauit: pudorem uero, ac religionem, quod cum uenissem Senator ad socios populi Romani: qui in ea prouincia quæstor fuissem: ad hospites meos, ac necessarios, causæ communis defensor, diuerti potius, quàm ad eos, qui à me auxiliũ petiuissent. nemini meus aduentus labori, aut sumptui, neq; publice, neq; priuatim fuit. uim in inquirendo tantam habui: quantam mihi lex dabat: non quantam habere poteram istorum studio: quos iste uexarat. Romam ut ex Sicilia redij: cum iste, atq; istius amici homines lauti, & urbani sermones huiusce mo-

di dissipassent: quo animos testium retardarent: me magna pecunia à uera accusatione esse deductum: tametsi probabatur nemini: quod ex Sicilia testes erant ij, qui quæstorem me in prouincia cognouerant: & hinc homines maxime illustres: qui, ut ipsi noti sunt: sic nostrum unumquenq; optime norunt: tamen usq; eo timui, ne quis de mea fide, atq; integritate dubitaret: donec ad reijciendos iudices uenimus. sciebam in reijciendis iudicibus nõnullos memoria nostra pactionis suspicionem nõ uitasse: cum in ipsa accusatione eorum industria, ac diligentia probaretur. ita reieci iudices: ut hoc cõstet: post hũc statum populi romani, quo nũc utimur, simili splendore, & dignitate consiliũ nullũ fuisse. quam iste laudem communem ait sibi esse mecum: qui cum P. Galbam iudicem reiecisset: M. Lucretium retinuit: & cum eius patronus ex eo quæreret: cur suos familiarissimos Sex. Peduceum, Q. Considium, Q. Iunium reijci passus esset, respondit: quod eos in iudicando nimium sui iuris, sententiæq; cognosceret. Itaq; iudicibus reiectis sperabam iam onus meum uobiscum esse commune: putabam non solum notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem esse, & diligentiam. quod me non fefellit. nam comitijs meis, cum iste infinita largitione contra me uteretur: populus Ro. iudicauit: istius pecuniam, quæ apud me contra fidem meam nihil potuisset: apud se cõtra honorem meum nihil posse debere. quo quidem die primum iudices citati in hunc reum consedistis: quis tam inimicus huic ordini fuit? quis tam nouarum rerum, iudiciorum, iudicumq; cupidus? qui non conspectu, consessuq; uestro commoueretur? cum in eo uestra mihi dignitas fructum diligentiæ referret: id sum assecutus, ut

una hora, qua cœpi dicere: reo audaci, pecunioso, profuso, perdito, spem iudicij corrumpendi præciderem: ut primo die testium tanto numero citato populus Ro. iudicaret, ipso absoluto Remp. stare non posse: ut alter dies amicis istius, & defensoribus nonmodo spem uictoriæ, sed etiam uoluntatẽ defensionis auferret: ut tertius dies sic hominem prosterneret: ut morbo simulato non quid responderet, sed quemadmodum non responderet: deliberaret. deinde reliquis diebus, his criminibus, his testibus, & urbanis, & prouincialibus, sic obrutus, atq; oppressus est: ut his ludorum diebus interpositis, nemo istum comperendinatum, sed condemnatum iudicaret. Quapropter ego, quod ad me attinet Iudices: uici. non enim spolia C. Verris, sed existimationem populi Ro. concupiui. meum fuit, cum causa accedere ad accusandum. quæ causa fuit illustrior? quàm à tam illustri prouincia defensorem constitui, & deligi? Reipublicæ consulere. quid iam Reip. honestius? quàm in tanta inuidia iudiciorum adducere hominem: cuius damnatione totus ordo cum populo Ro. & in laude, & in gratia posit esse? ostendere, ac persuadere hominem nocentem adductum esse. quis est in populo Ro. qui hoc non ex priore actione absolerit? omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in unum locum conferantur: uix cum huius parua parte æquari, conferriq; posse? uos quod ad uestram famam, existimationem, salutemq; communem pertinet Iudices: prospicite: atq; consulite. splendor uester facit: ut peccare sine summo Reip. detrimento, ac periculo non possitis. nõ enim potest sperare populus romanus: esse alios in senatu qui recte possint iudicare: uos si non potueritis. necesse est cum de to-

to ordine desperarit: aliud genus hominum, atq; aliam rationem iudiciorum requirat. hoc si uobis ideo leuius uidetur: quod putatis onus esse graue, & incommodum iudicare: intelligere debetis: primum interesse, utrum id onus uosmetipsi reieceritis: an quod pbare populo Ro. fidem uestram, & religionem non potueritis: eo uobis iudicãdi potestas erepta sit. deinde etiam illud cogitate: quanto periculo uenturi simus ad eos iudices: quos propter odiũ uestri populus Ro. de uobis uoluerit iudicare. uerum uobis dicam id quod intellexi Iudices. homines scitote esse quosdam: quos tantum odium uestri ordinis teneat: ut hoc palàm iam dicitent: se istum, quem sciant esse hominem improbissimum: hoc uno nomine absolui uelle: ut ab senatu iudicia per ignominiam, turpitudinemq; auferantur. Hæc me Iudices pluribus uerbis uobiscum agere coegit non timor meus de uestra fide: sed spes illorum noua: quæ cum Verrem à porta subito ad iudicium retraxisset: nonnulli suspicati sunt non sine causa illius consilium tam repente esse mutatum. Nũc ne nouo quærimoniæ genere uti posit Hortensius, & ea dicere: opprimi reũ, de quo nihil dicat accusator: nihil esse tam periculosum fortunis innocentium: quàm tacere aduersarios: & ne aliter quàm ego uelim, meum laudet ingenium: cum dicat, me si multa dixissem, subleuaturum fuisse eum, quem contra dicerem: quia non dixerim, perdidisse: morem illi geram: utar oratione perpetua: non quoniam hoc sit necesse: uerum ut experiar: utrum ille ferat molestius: me tunc tacuisse: an nunc dicere? hic tu fortasse eris diligens: ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam: nisi omni tempore, quod mihi lege concessum est, abusus ero: quærere: deum atq;

hominum

hominum fidẽ implorabis: circunueniri C. Verrẽ: quod accusator nolit tam diu, q̃ diu liceat, dicere. qd' mihi lex mea causa det: eo mihi non uti non licebit? nam accusandi mihi tempus mea causa datum est: ut possem oratione mea crimina causamq; explicare. hoc si non utor: non tibi iniuriam facio: sed de meo iure aliquid, & cõmodo detraho. causam enim inqt cognosci oportet. ea re quidem, quod aliter condemnari reus non potest: quamuis sit nocens. id igitur tu molestè tulisti: à me aliquid factum esse: quominus iste condemnari posset? nam causa cognita multi possunt absolui: incognita quidem cõdemnari nemo potest. adimo enim cõperendinatum: quod habet lex in se molestissimũ: bis ut causa dicatur. quod aut mea causa potius est constitutum, q̃ tua: aut nihilo tua potius, q̃ mea. nam si bis dicere est commodum: certe utriusq; cõmune est. si eũ, qui posterius dixit: opus est redargui: accusatoris causa, ut bis ageretur, constitutum est. uerum ut opinor Glaucia primus tulit: ut cõperendinaretur reus: antea uel iudicari primo poterat: uel amplius pronunciari. utram igitur putas legem molliorem? opinor illam ueterem: qua uel cito absolui, uel tarde condemnari licebat. ego tibi illam Aciliam legem restituo: qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus cõdemnati sunt, nequaquam tam manifestis, neq; tantis criminibus, quantis tu conuinceris. puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. accusabo. respondebis. testibus editis ita mittam in consilium: ut etiam si lex ampliandi faciat potestatem: tamen isti turpe sibi existiment: non primo iudicare. uerum si causam cognosci opus est: parum ne cognita est? dissimulamus Hortensi: quod sæpe in di

l

cendo experti sumus? quis nos magnopere attendit unquam, in hoc quidem genere causarum: ubi aliquid ereptum aut ablatum à quopiam dicitur? nonne aut in tabulis, aut in testibus omnis expectatio iudicum est? dixi prima actione me planum esse facturum C. Verrem HS quadringenties contra legẽ abstulisse. quid? hoc planius egissem? si ita narrassem. Dio quidam fuit Halesinus: qui cum eius filio prætore sacerdote hæreditas à propinquo permagna uenisset, nihil habuit neque negocij, neq; controuersiæ. Verres simul ac tetigit prouinciam: statim Messanam literas dedit: Dionem euocauit: calumniatores ex sinu suo apposuit: qui illam hæreditatẽ Veneri Erycinæ commissam esse dicerent. hac de re ostendit seipsum cogniturum. possum deinceps totam rem explicare: deinde ad extremũ id, quod accidit: dicere: Dionem HS decies centena millia numerasse: ut causam certissimam obtineret: præterea greges equarum eius istum abigendos curasse: argẽti uestisq; stragulæ quod fuerit: curasse auferendum. hæc neq; cum ego dicerẽ: neq; cum tu negares: magni momenti nostra esset oratio. quo tempore igitur aures iudex erigeret? animumq; attẽderet? cum Dio ipse prodiret: cum cæteri: qui tum in Sicilia negocijs Dionis intẽrfuissent: cum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret: reperiretur pecunias sumpsisse mutuas: nomina sua exegisse: prædia uendidisse: cum tabulæ uirorum bonorum proferrentur: cum, qui pecuniam Dioni dederunt: dicerent, se iam tum audisse eò nummos sumi: ut Verri darentur: cum amici, hospites, patroni Dionis homines honestissimi, hæc eadem se audisse dicerent. opinor cum hæc fierent: tum uos audiretis, sicut audistis: tũ causa agi uideretur. sic à me sunt

acta omnia priore actione: ut in criminibus omnibus nullum esset: in quo quisquam uestrum perpetuam accusationem requirat. Nego esse quicquã à testibus dictum: quod aut uestrum cuipiam esset obscurum: aut cuiusquã oratoris eloquentiã quæreret. etenim sic meipsum egisse memoria tenetis: ut in testib. interrogandis omnia crimina proponerem, & explicarẽ: ut cum rem totam in medio proposuissem: tum deniq; testem interrogarẽ. Itaq; non modo uos, quibus est iudicandum: nostra crimina tenetis: sed etiam populus Ro. totam accusationẽ, causamq; cognouit. tãetsi ita de meo facto loquor: quasi ego illud mea uoluntate potius, quàm uestra iniuria adductus fecerim. interposuistis accusatorem: qui cum ego mihi C & X dies solos in Siciliã postulassem: C & VIII sibi in Achaiã postularet: menses mihi tres cum eripuissetis ad agendum maxime appositos: reliquũ omne tempus huius anni me uobis remissurum putastis: ut cum horis nostris nos essemus usi: tu binis ludis interpositis, quadragesimo post die respõderes: deinde ita tẽpus duceretur: ut à M. Glabrione Pr. & à magna parte horũ iudicum, ad prætorẽ aliũ, iudicesq; alios uenire mus. Hæc si ego non uidissem: si me non omnes noti ignotiq; monuissent: id agi, id cogitari, in eo laborari, ut res in illud tẽpus reijceretur: credo si meis horis in accusando uti uoluissem: uererer ne mihi crimina nõ suppeterent: ne oratio deesset: ne uox uiresq; deficerent: ne quem nemo prima actione defendere ausus esset: eũ ego bis accusare non possem. ego meum consilium tum iudicibus, tum populo Ro. probaui. nemo est qui aliara tione istorum iniuriæ, atq; impudentiæ potuisse obsistì arbitretur. etenim qua stultitia fuissem? si, quam diẽ qui

istum eripiendum redemerunt: in cautione uiderunt: cum ita cauerent: si post Calen. Ian. in consilium iretur: in eam diem ego, cum potuissem uitare, incidissem? Nũc mihi temporis eius, quod mihi ad dicendum datur: quoniam in animo est, causam omnem exponere: habenda ratio est diligenter. itaq; primum illum actum istius uitæ turpissimum, & flagitiosissimum prætermittam: nihil à me de puericiæ suæ flagitijs, peccatisq; audiet: nihil ex illa impura adolescentia sua: quæ qualis fuerit: aut meministis: aut ex eo, quem sui simillimum produxit: recognoscere potestis. omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu uidebuntur: neq; solũ quid istum audire, uerum etiam quid me deceat dicere, considerabo. uos quæso date hoc, & concedite pudori meo: ut aliquam partem de istius impudẽtia reticere possim. omne illud tempus, quod fuit, antequam iste ad magistratus Remq; publicam accessit: habeat per me solutum, ac liberum: sileatur de nocturnis eius bacchationibus, ac uigilijs: lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat: damna, dedecora, quæ, res patris eius, ætas ipsius pertulit, prætereantur: lucretur indicia ueteris infamiæ: patiatur eius uita reliqua me hanc tantam iacturam criminum facere. quæstor Cn. Papirio Consuli fuisti, ab hinc annos quatuordecim: ex ea die ad hanc diem quæ fecisti in iudicium uoco. hora nulla uacua à furto, à scelere, crudelitate, flagitio, reperietur. hi sunt anni cõsumpti in quæstura, & legatione Asiatica, & Prætura urbana, & Prætura Sicilienſi. Quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusatiõis meæ. Quæstor, ex S.C. Prouinciã sortitus es: obtigit tibi Consularis: ut cum Cons. Cn. Carbone esses: eamq; prouinciam obtine

res. erat tum dissensio ciuium: de qua nihil sum dicturus, quid sentire debueris: unum hoc dico: in eiusmodi tempore, ac sorte, statuere te debuisse, utrum malles sentire, atq; defendere. Carbo grauiter ferebat, sibi quæsturem obtigisse, hominem singulari luxuria, atq; inertia: uerũ tamen ornabat eũ beneficijs officijsq; omnibus. ne diutius teneã: pecunia attributa numerata est. profectus est quæstor in prouinciã: uenit in Galliã expectatus ad exercitum Consularem cum pecunia. simulac primum ei occasio uisa est (cognoscite hominis principiũ magistratuum gerendorum, & Reip. administrandæ) auersa pecunia publica quæstor consulem, exercitũ, prouinciamq; deseruit. Video quid egerim: erigit se: sperat sibi auram posse aliquam afflari in hoc crimine, uoluntatis, dissensionisq; eorũ, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio sit. quibus illam reiectionem, proditionemq; Consulis sui gratam sperat fore. quasi uero id cupiditate defendendæ nobilitatis, aut studio partium fecerit: ac non apertissime consulem, exercitum, prouinciamq; compilarit: & propter impudentissimum furtum ausugerit. est enim obscurũ, & eiusmodi factum eius: ut possit aliquis suspicari: C. Verrem, quod terrere nouos homines non potuerit: ad nobilitatẽ, hoc est ad suos transisse: nihil fecisse propter pecuniam, uideamus rationes quemadmodum retulerit: iam ipse ostendet, quãobrem Cn. Carbonem reliquerit: iam se ipse indicabit. primum breuitatem cognoscite. ACCEPI inquit VICIES DVCENTA QVINQVE MILLIA QVADRINGENTOS XVI NVMMOS. DEDI STIPENDIO, FRVMENTO, LEGATIS, PRO QVAESTORIBVS, COHORTI PRAE-

TORIAE HS MILLE QVINGENTA QVADRAGINTA QVINQVE MILLIA QVADRINGENTOS XVI NVMMOS: RELIQVI ARIMINI HS SEXCENTA MILLIA. hoc est rationes referre? hoc modo aut ego, aut tu Hortensi, aut quisquam omnium retulit? quid hoc est? quae impudentia? quae audacia? quod exemplum ex tot hominum rationibus relatis huiusmodi est? illa tamen HS sexcenta millia, quae neq; falso quidem potuit describere, quibus data essent: quae se Arimini scribit reliquisse: quae ipsa HS sexcenta millia reliqua facta sunt: neq; Carbo attigit: neq; Sylla uidit: neq; in aerarium relata sunt. oppidum sibi elegit Ariminũ: quod, cum iste rationes ferebat: oppressum, direptumq; erat. non suspicabatur id, quod nunc sentiet: satis multos ex illa calamitate Ariminensium, testes nobis in hanc rem reliquos esse. recita denuo. P. LENTVLO, L. TRIARIO QVAESTORIBVS VRBANIS RESRATIONVM RELATARVM: recita EX S.C. ut hoc pacto rationẽ referre liceret: eò Syllanus repente factus est: nõ ut honos, et dignitas nobilitati restitueretur quod si illinc inanis profugisses: tũ ista tua fuga, nefaria, proditio Consulis tui, scelerata iudicaretur. malus ciuis, improbus consul, seditiosus homo Cn. Carbo fuit. fuerit alijs: tibi quando esse cœpit? postea q̃ tibi pecuniam rem frumentariam, rationes omnes suas, exercitumq; commisit. nam si tibi antea displicuisset: idem fecisses: quod anno post M. Piso quæstor, cũ L. Scipioni Consuli obtigisset: non attigit pecuniã: non ad exercitum profectus est: quod de Rep. sensit: ita sensit: ut nec fidem suam, nec morem maiorum, nec necessitudinem sortis læ

deret. etenim si hæc perturbare omnia, & permiscere uolumus: totam uitam periculosam, inuidiosam, infestamq; reddemus: si nullam religionem sors habebit: nullam societatem coniunctio secundæ, dubiæq; fortunæ: nullam authoritatem mores, atq; instituta maiorũ. omnium est communis inimicus: qui fuit hostis suorum. nemo unquam sapiens proditori credendum putauit. Ipse Sylla, cui aduentus istius gratissimus esse debuit: ab se hominẽ, atq; ab exercitu suo remouit: Beneuenti esse iussit apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligebat: ubi iste summæ rei, causæq; nocere nihil posset. ei præmia postea tamẽ liberaliter tribuit: bona quædam proscriptorum in agro Beneuentano diripienda cõcessit. habuit honorem ut proditori: non ut amico fidẽ. Nunc, quamuis sint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderint: tamen hi debent, non quid illi accidere uoluerunt: sed quid ipsis in tali re metuendum sit, cogitare. commune est hoc malum: communis metus: cõmune periculum. nullæ sunt occultiores insidiæ: q̃ hæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. nam eum qui palàm est aduersarius: facile cauendo uitare possis. hoc uero occultum, intestinũ, ac domesticum malum nonmodo non existit, uerum etiã opprimit: antequã perspicere, atq; explorare potueris. ita ne uero? tu cum quæstor ad exercitũ missus sis, custos nõ solum pecuniæ, sed etiam Consulis: particeps omnium rerum, consiliorumq; fueris: habitus sis in liberûm loco: sicut mos maiorum ferebat: repente relinquas? deseras? ad aduersarios transeas? O' scelus: O' portentum in ultimas terras exportandum. non enim potest ea natura quæ tantum facinus cõmiserit: hoc uno scelere esse

contenta: necesse est semper aliquid eiusmodi moliatur: necesse est in simili audacia perfidiaq; uersetur. Itaque idem iste, quem Cn. Dolobella postea C. Malleolo occiso pro quæstore habuit, haud scio, an maior etiam hæc necessitudo fuerit, quàm illa Carbonis: ac plus iudiciũ uoluntatis ualere, q̃ sortis debeat, idẽ in Cn. Dolobellam, qui in Cn. Carbonem fuit. nam quæ in ipsum ualebant crimina, contulit in istum: causamq; illius omnem ad inimicos, accusatoresq; detulit. ipse in eum, cui Legatus pro quæstore fuerat: inimicissimum, atque improbissimum testimonium dixit. ille miser cum esset: tum proditione istius nefaria, tum improbo, & falso eiusdem testimonio, tũ multo ex maxima parte istius furtorum, ac flagitiorum inuidia conflagrauit. quid hoc homine faciatis? ad aliquam spem, tam perfidiosum, tam importunum animal reseruetis? qui in Cn. Carbonem sortem, in Cn. Dolobellam uoluntatem neglexerit: ac uiolarit: eosq; ambos non solum deseruerit: sed etiam prodiderit: atq; oppugnarit. Nolite quæso iudices breuitate orationis meæ potius, quàm rerum ipsarum magnitudine crimina ponderare. mihi enim properandum necessario est: ut omnia uobis, quæ mihi cõstituta sunt: possim exponere. quamobrem quæstura istius demonstrata, primiq; magistratus, & furto, & scelere perspecto, reliqua attendite. in quibus illud tempus Syllanarum proscriptionũ, ac rapinarũ prætermittam: neq; ego istum sibi ullam ex communi calamitate defensionem sinam sumere: suis eũ certis, proprijsq; criminibus accusabo. quamobrẽ hoc omni tẽpore Syllano ex accusatione circunscripto, legationẽ eius præclarã cognoscite. Postea q̃ Cn. Dolobellæ prouincia Cilicia constituta est. O dij

immortales, quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi Legationem expugnauit? id quod Cn. Dolobellæ principium maximæ calamitatis fuit. nam ut iste profectus est: quacunq; iter fecit: eiusmodi fuit: non ut legatus populi romani, sed ut quædam calamitas peruadere uideretur. In Achaia (prætermittam minora omnia: quorum simile forsitan alius quoq; aliquid aliquando fecerit: nihil dicam, nisi singulare: nisi quòd si in alium reum diceretur: incredibile uideretur) magistratum Sicyonium nummos popposcit. ne sit hoc crimen in Verrem: fecerunt alij. cum ille non daret: animaduertit. improbum: sed non inauditum. genus animaduersionis uidete: quæretis ex quo genere hominem istum iudicetis. ignem ex lignis uiridibus, atq; humidis in loco angusto fieri iußit: ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi ro. socium, atq; amicum fumo excruciatum, semiuiuum reliquit. Iam quæ iste signa, quas tabulas pictas, ex Achaia sustulerit, non dicam hoc loco: est alius mihi locus ad hanc cupiditatem demonstrandam seruatus. Athenis audistis ex æde Mineruæ grande auri pondus ablatum. dictum hoc est in Cn. Dolobellæ iudicio. dictum? etiam æstimatum. huius consilij non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis. Delum uenit: ibi ex fano Apollinis religiosissimo noctu clàm sustulit signa pulcherrima, atq; antiquissima: eaq; in onerariam nauem suam conijcienda curauit. postridie cum spoliatum fanum uiderent ij, qui Delum incolebant: grauiter ferebant. est enim tanta apud eos eius fani religio, atq; antiquitas: ut in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur. uerbum tamen facere non audebant: ne forte ea res ad Dolobellam ipsum

pertineret. Tum subito tempestates coortæ sunt maximæ Iudices: ut nonmodo proficisci, cum cuperet, Dolobella non posset: sed uix in oppido consisteret. ita magni fluctus eijciebantur. hic nauis illa prædonis istius onusta signis religiosis, expulsa, atq; eiecta fluctu, frangitur: in litore signa illa Apollinis reperiuntur: iussu Dolobellæ reponuntur: tempestas sedatur: Dolobella de loco proficiscitur. Nõ dubito, quin, tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio unquam fuit religionis: nunc tamen in metu periculoq; tuo, tuorum tibi scelerum ueniat in mentem. potest ne tibi ulla spes salutis commoda ostendi? cum recordaris, in deos immortales quàm impius, quàm sceleratus, quàm nefarius fueris? Apollinem ne tu Delium spoliare ausus es? illi ne tu templo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias, ac sacrilegas afferre conatus es? si in puericia non his artibus, & disciplinis institutus eras: ut ea quæ literis mãdata sunt: disceres: atq; cognoscere: ne postea quidem, cũ in ea ipsa loca ueneris: potuisti accipere id, quod est proditum memoriæ, ac literis? Latonam ex longo errore, & fuga, grauidam, & iam ad pariendum uicinam, temporibus exactis fugisse Delum: atq; ibi Apollinem Dianamq; peperisse. qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur. tantaq; eius authoritas religionis & est, & semper fuit: ut ne Persæ quidem, cum bellum toti græciæ dijs hominibusq; indixissent: & mille numero nauium classem ad Delum appulissent: quicquam conarentur aut uiolare, aut attingere. hoc tu fanum depopulari homo improbissime, atq; amentissime audebas? fuit illa cupiditas tanta, quæ tantam extingueret religionem? & si tum hæc non cogita-

bas: ne nunc quidem recordaris? nullum esse tantum malum: quod non tibi pro sceleribus tuis iam diu debeatur? In Asiam uero postquam uenit: quid ego aduentus istius prandia, cœnas, equos, muneraq; commemorẽ? nihil cum Verre de quotidianis criminibus acturus sum. Chio peruium signa pulcherrima dico abstulisse. item Erythris, & Halicarnasso. Tenedo (prætereo pecuniã quam eripuit) Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur: qui urbẽ illam dicitur condidisse: cuius ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipsum inquam Tenem, pulcherrime factum, quem quondam in comitio uidistis: abstulit magno cum gemitu ciuitatis. Illa uero expugnatio fani antiquissimi, & nobilissimi Iunonis Samiæ, quàm luctuosa Samijs fuit? quàm acerba toti Asiæ? quàm clara apud deos? quàm nemini uestrum inaudita? de qua expugnatione cum Legati ad C. Neronem in Asiam Samo uenissent: responsum tulerunt: eiusmodi querimonias, quæ ad Legatum populi Ro. pertinerent: nõ ad prætorem, sed Romam deferri oportere. quas iste tabulas illinc, quæ signa sustulit? quæ cognoui egomet apud istum in ædibus nuper: cum obsignandi gratia uenissem. quæ signa nunc Verres ubi sunt? illa quæro: quæ apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumnijs, in sylua deniq; dispositа sub diuo uidimus. cur ea q̃ diu alium prætorem, cum his iudicibus, quos in horum locum sub sortitus es, de te in consilium iturum putasti: tam diu domi fuerunt? postea quam nostris testibus nos, quàm horis tuis uti malle uidisti: nullum signum domi reliquisti? præter duo, quæ in medijs ædibus sunt: quæ ipsa Samo sublata sunt? non putasti me tuis familiarissimis in hanc

rem testimonia denunciaturum? qui tuæ domi sæpe fuissent: ex quibus quærerem signa scirent ne fuisse: quæ nõ essent. quid tum hos de te iudicaturos arbitratus es? cum uiderent, te iam non contra accusatorem tuum, sed contra quæstorem, sectoremq; pugnare? qua de re Charidemum Chium testimonium priore actione dicere audistis: sese, cum esset trierarchus: & Verrem ex Asia decedentem prosequeretur: iussu Dolobellæ fuisse una cum isto Sami: seseq; tum scire, spoliatum esse fanum Iunonis, & oppidum Samum: posteaq; se causam apud Chios ciues suos Samijs accusantibus publice dixisse: eoq; se esse absolutum: quod planum fecisset: ea, quæ Legati Samiorum dicerent: ad Verrem, non ad se pertinere. Aspendum uetus oppidum, & nobile in Pamphilia scitis esse, plenissimum signorum optimorum. non dicam illinc hoc signum ablatum esse, & illud: hoc dico: nullum te Aspendi signum Verres reliquisse: omnia ex fanis, ex locis publicis, palàm, spectantibus omnibus, plostris euecta, asportataq; esse. atq; etiã illũ Aspendiũ Citharistam, de quo sæpe audistis id, quod est græcis hominibus in prouerbio: quẽ omnia intus canere dicebãt, sustulit: & in intimis suis ædibus posuit: ut etiam illum ipsum artificio suo superasse uideatur. Pergæ fanum antiquissimum, & sanctissimum Dianæ scimus esse. id quoq; à te nudatum, & spoliatum esse, ex ipsa Diana quod habebat auri detractum, atq; ablatum esse dico. quæ malum est ista tanta audacia, atq; amentia? quas enim sociorum, atq; amicorum urbes adisti legationis iure, & nomine: si in eas ui, cum exercitu imperioq; inuasisses: tamen opinor quæ signa, atq; ornamenta ex his urbibus sustulisses: hæc non in tuam domum, neq;

in suburbana amicorum, sed Romam in publicum deportasses. quid ego de M. Marcello loquar? qui Syracusas urbem ornatissimam cœpit? quid de L. Scipione? qui bellum in Asia gessit: Antiochumq; Regem potentissimum uicit? quid de Flaminio? qui regem Philippum, & Macedoniam subegit? quid de L. Paulo? qui regem Persen ui, ac uirtute superauit? quid de L. Mummio? qui urbem pulcherrimam, atq; ornatissimam Corynthum plenissimam rerum omnium sustulit: urbesq; Achaiæ, Bœotiæq; multas sub imperium populi Ro. dictionemq; subiunxit? quorum domus cum honore & uirtute florerent: signis, & tabulis pictis erant uacuæ. at uero urbem totam, templa deorum, omnesq; italiæ partes illorum donis, ac monumentis exornatas uidemus. uereor ne hæc forte cuiquam nimis antiqua, & iam obsoleta uideantur. ita enim tum æquabiliter omnes erant huiusmodi: ut hæc laus eximiæ uirtutis, & innocentiæ, non solum hominum, uerum etiam temporum illorum esse uideatur. P. Seruilius uir clarissimus, maximis rebus gestis adest: de te sententiam laturus est: Olinthum ui, copijs, consilio, uirtute cœpit, urbem antiquam, & omnibus rebus auctam, & ornatam. recens exemplum fortissimi uiri profero. nam postea Seruilius imperator populi Ro. Olinthum urbem hostium cœpit: quam tu in hisdem illis locis Legatus quæstorius oppida pacata sociorum, atq; amicorum diripienda, ac uexanda curasti. tu quæ ex fanis religiosissimis per scelus, & per latrocinium abstulisti: ea nos uidere nisi in tuis, amicorumq; tuorum tectis non possumus. P. Seruilius quæ signa atq; ornamenta ex urbe hostium, & uirtute capta, belli lege, atq; imperatorio iure sustulit:

ea populo Ro. apportauit: per triumphum uexit: in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curauit. cognoscite ex literis publicis hominis amplissimi diligẽtiam. Recita. RATIONES RELATAE P. SERVILII. nõ solum numerum signorum, sed etiam uniuscuiusq; magnitudinem, figuram, statum, literis definiri uides. certe maior est uirtutis, uictoriæq; iucunditas: q̃ ista uoluptas: quæ percipitur ex libidine, & cupiditate. multo diligentius habere dico Seruilium prædam populi Ro. quàm te tua furta notata, atq; descripta. dices tua quoq; signa, et tabulas pictas ornamẽto urbi, foroq; populi Ro. fuisse. memini: uidi simul cum populo romano forum, comitiumq; adornatum ad speciem magnifico ornatu, ad sensum, cogitationemq; acerbo, & lugubri: uidi collucere omnia furtis tuis, præda prouinciarum, spolijs sociorum, atq; amicorum. quo quidem tempore Iudices iste spem maximam reliquorum quoq; peccatorum nactus est. uidit enim eos, qui iudiciorum dominos se dici uolebant: harum cupiditatum esse seruos. socij uero, nationesq; exteræ, spem omnium tum primũ abiecere rerum, ac fortunarum suarũ: propterea, quod casu Legati ex Asia, atq; Achaia plurimi Romæ tunc fuerunt: qui deorum simulacra ex suis fanis sublata in foro uenerabantur: itemq; cætera signa & ornamenta cum cognoscerent: alia alio in loco lachrymantes intuebantur. quorum omnium hunc sermonem tum esse audiebamus: nihil esse, quod quisquam dubitaret de exitio sociorum, atq; amicorum: cum quidem uiderent in foro populi romani, quo in loco antea q socijs iniurias fecerant, accusari, & condemnari solebant: ibi esse palàm posita ea: quæ ab socijs per scelus ablata, ereptaq;

essent. Hic ego non arbitror illum negaturum: signa sese plurima, tabulas pictas innumerabiles habere: sed ut opinor solet hæc, quæ rapuit, & furatus est: nonnunquam dicere, se emisse. Quoniam quidem in Achaiam, Asiam, Pamphyliam, sumptu publico, & legationis nomine mercator signorum tabularumq; pictarum missus est: habeo & istius, & patris eius accepti tabulas omnes: quas diligentissime legi, atq; digessi. patris, quoad uixit: tuas, quoad dis te confecisse. nam in isto Iudices hoc nouum reperietis. audimus aliquem tabulas nunquam confecisse: quæ est opinio hominum de Antonio falsa. nam fecit diligentissime. uerum sit hoc genus aliquod minime probandum. audimus alium non ab initio fecisse: sed ex tempore aliquo confecisse. est aliqua etiam huiusce rei ratio. hoc uero nouum, & ridiculum est: quod hic nobis respondit: cum ab eo tabulas postularemus: usq; ad M. Terentium, & C. Cassium Cõsules cõfecisse: postea desitisse. alio loco hoc cuiusmodi sit, considerabimus. nunc nihil ad me attinet. horum enim temporum, in quibus nunc uersor: habeo tabulas & tuas, & patris. plurima signa pulcherrima, plurimas tabulas deportasse te, negare non potes: atq; utinam neges. unum ostende in tabulis aut tuis, aut patris tui emptum esse, uicisti. ne hæc quidẽ duo signa pulcherrima, quæ nunc ad impluuium tuum stant: quæ multos annos ad ualuas Iunonis Samiæ steterunt, habes quomodo emeris. hæc inquam duo, quæ in ædibus tuis sola iam sunt: quæ sectorem expectant, relicta, ac destituta à cæteris signis. At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atq; effrenatas habebat: cæteræ libidines eius ratione aliqua aut modo continebãt

tur. quam multis istum ingenuis, quàm multis matribus familias, in illa tetra, atq; impura Legatione uim attulisse existimatis? & quo in oppido pedem posuit: ubi non plura stuprorum, flagitiorumq; suorum, quàm aduentus sui uestigia reliquerit? sed ego omnia, quæ negari poterunt: prætermittam. etiam hæc quæ certissima sunt, & clarissima relinquam. unum aliquod de nefarijs istius factis eligam: quo facilius ad Siciliam possim aliquando, quæ mihi hoc oneris, negocijq; imposuit: peruenire. Oppidum est in Hellesponto Lampsacũ Iu. in primis Asiæ prouinciæ clarũ, & nobile: homines autem ipsi Lampsaceni, tum summe in omnes ciues Romanos officiosi: tum præterea maxime sedati, & quieti, prope præter cæteros, ad summum græcorum ocium potius, quàm ad ullam uim, aut tumultum accommodati. accidit, cum iste à Cn. Dolobella efflagitasset: ut se ad regem Nicomedẽ regemq; Sadalam mitteret: cumq; iter hoc sibi magis ad quæstum suum, q̃ ad Reip. tempus accommodatum depoposcisset: ut illo itinere ueniret Lampsacum, cum magna calamitate, & propè pernicie ciuitatis. deducitur iste ad Ianitorem quendam hospitem: comitesq; eius item apud cæteros hospites collocantur. ut mos erat istius: atq; ut eum suæ libidines flagitiose facere admonuerant: statim negocium dat illis suis comitibus, nequissimis, turpissimisq; hominibus: ut uideant: & inuestigent: ecquæ uirgo sit, aut mulier, digna, quam obrem iste Lampsaci diutius commoraretur. erat comes eius Rubrius quidam, homo factus ad istius libidines: qui miro artificio, quocunq; uenerat: hæc inuestigare omnia solebat. is ad eum rem istam defert: Philodamum esse quendã genere, honore, copijs, existimatione, facile

facile principem Lampsacenorum: eius esse filiam, quæ cum patre habitaret: propterea, quod uirum non haberet: mulierem eximia pulchritudine: sed eam summa integritate, pudicitiaq; existimari. homo ut hæc audiuit: sic exarsit ad id, quod nonmodo ipse nunquam uiderat: sed ne audierat quidem: ab eo, qui ipse uidisset: ut statim ad Philodamum migrare se diceret uelle. hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur: ueritus ne quid in ipso se offenderit: hominẽ summa ui retinere cœpit. iste, qui hospitis relinquendi causam reperire nõ posset: alia sibi ratione uiam munire ad stuprum cœpit. Rubrium delicias suas, in omnibus eiusmodi rebus adiutorem suum, & consciũ, parum laute diuersari dicit: ad Philodamum deduci iubet. quod ubi est Philodamo nunciatum: tametsi erat ignarus, quantum sibi, ac liberis suis iam tum mali constitueretur: tamen ad istum uenit. ostendit munus illud suum non esse: se, cum suæ partes essent hospitum recipiendorum: tum ipsos tamen prætores, et Consules, non legatorum assectas recipere solere. iste q una cupiditate raperetur: totum illius postulatum causamq; neglexit: per uim ad eum, qui recipere non debebat: Rubrium deduci imperauit. hic Philodamus, poste aquam ius suũ obtinere non potuit: ut humanitatem, consuetudinemq; suam retineret, laborabat. homo, qui semper hospitalissimus, amicissimusq; nostrorũ hominum existimatus esset: noluit uideri ipsum illum Rubriũ inuitus in domum suam recepisse: magnifice, & ornate, ut erat in primis inter suos copiosus: conuiuium comparat: rogat Rubrium ut quos ei commodum sit inuitet: locum sibi soli si uideatur relinquat. ut etiam filium suum lectissimum adolescentem foras ad propinquum suum

quendam mitteret ad cœnam. tum Rubrius istius comites inuitat. eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. mature ueniunt: discũbitur: fit sermo inter eos, & inuitatio: ut græco more biberetur: hospes hortatur: poscũt maioribus poculis: celebratur omniũ sermone, lætitiaq; conuiuiũ. posteaq; satis calere res Rubrio uisa est: quæso inquit Philodame, cur ad nos filiam tuam non introuocari iubes? homo qui & summa grauitate, & iam id ætatis, & parens esset: obstupuit hominis improbi dicto. instare Rubrius. tum ille, ut aliquid responderet: negauit moris esse græcorum: ut in conuiuio uirorum accumberent mulieres. hic tum alius ex alia parte: enimuero ferendum hoc non est: uocetur mulier. & simul seruis suis Rubrius, ut ianuam clauderent: & ipsi ad fores assisterent, imperat. quod ubi ille intellexit, id agi, atque id parari: ut filiæ suæ uis afferretur: seruos suos ad se uocat: his imperat, ut se ipsum negligant: filiam defendant: excurrat aliquis, q hoc tantũ domestici mali filio suo nũciet. clamor interea fit tota domo inter seruos Rubrij, atq; hospitis: iactatur domi suæ uir primus, & homo honestissimus: pro se quisq; manus affert: aqua deniq; feruenti à Rubrio ipso Philodamus perfunditur. hæc ubi filio nunciata sunt: statim exanimatus ad ædes contendit: ut & uitæ patris, & pudicitiæ sororis succurreret. omnes eodem animo Lampsaceni, simul ut hoc audiuerunt: quod eos tum Philodami dignitas, tum iniuriæ magnitudo mouebat: ad ædes noctu conuenerunt. hic lictor istius Cornelius, qui cum eius seruis erat à Rubrio, quasi in præsidio ad auferendam mulierem collocatus, occiditur: serui nõnulli uulnerantur: ipse Rubrius in turba sauciatur. Iste, qui sua cupidita-

te tantos tumultus concitatos uideret: cupere aliqua euolare, si posset. postridie mane homines in concionẽ ueniunt: quærunt quid optimum factu sit. pro se quisq;, ut in quoq; erat authoritatis plurimum: ad populũ loquebatur: inuentus est nemo, cuius non hæc & sententia esset, & oratio: non esse metuendum, si istius nefariũ scelus Lampsaceni ulti ui, manuq; essent: ne Senatus populusq; Ro. in eam ciuitatem animaduertendum putaret. quod si hoc iure legati populi Ro. in socios, nationesq; exteras uterentur: ut pudicitiam liberorum seruare ab eorum libidine tutam non liceret: quiduis esse perpeti satius: quàm in tãta ui, atq; acerbitate uersari. Hæc cum omnes sentirent: & cum in eam rationẽ pro suo quisq; sensu, ac dolore loqueretur: omnes ad eam domum, in qua iste diuersabatur, profecti sunt. cædere ianuã saxis: instare ferro: ligna et sarmenta circundare: ignem subijcere cœperunt. Tũ ciues Ro. qui Lampsaci negociabantur, concurrunt: orant Lampsacenos: ut grauius apud eos nomen legationis, quàm iniuria legati putaretur. se se intelligere hominẽ illum esse impurum, ac nefarium: sed quoniam nec perfecisset, quod conatus esset: neq; futurus esset Lampsaci postea: leuius eorum peccatum fore: si homini scelerato pepercissent: quàm si legato non pepercissent. Sic iste multo sceleratior, et nequior, quàm ille Adrianus, aliquãto etiam felicior fuit. ille quod eius auariciam ciues Rom. ferre non potuerant: Vticæ domi suæ uiuus exustus est. idq; ita illi merito accidisse existimatum est, ut lætarẽtur omnes: neq; ulla animaduersio constitueretur. hic sociorum ambustus incendio, tamen ex illa flamma, periculoq; euolauit: neq; adhuc causam ullam excogitare potuit: quamobrẽ cõmiserit, aut quid,

euenerit:ut in tantum periculum ueniret. non enim po-
test dicere:cum seditionem sedare uellem: cum frumen-
tum imperarem:cum stipendium cogerem: cum aliquid
deniq; Reip.causa agerem:quod acrius imperaui: quod
animaduerti: quod minatus sum. quæ si diceret: tamen
ignosci non oporteret: si nimis atrociter imperando so
cijs, in tantum adductus periculum uideretur. nunc,
cum ipse causam illius tumultus neq; ueram dicere,ne q;
falsam confingere audeat:homo autẽ ordinis sui fruga-
lissimus,qui tum accensus C.Neroni fuit:P.Tettius hæc
eadem se Lampsaci cognosse dixerit: uir omnibus re-
bus ornatissimus C. Varro, qui tum in Asia Tribunus
militum fuit: hæc eadem ipsa se ex Philodamo audisse
dicat:potestis dubitare: quin istum fortuna nõ tam ex il
lo periculo eripere uoluerit:quàm ad uestrum iudicium
reseruare? nisi uero illud dicet: quod & in testimonio
Tettij priore actione interpellauit Hortẽsius:quo tẽpo-
re quidẽ signi satis dedit:si quid esset,quod posset dicere:
se tacere nõ posse: ut quã diu in cæteris reb. tacuerit:sci
re omnes possemus: nihil habuisse quod diceret.Hoc tũ
dixit:Philodamum & eius filium à C. Nerone esse dam
natos. de quo ne multa disseram:tantum dico: secutum
id esse Neronem,& eius consilium:quod Cornelium li-
ctorẽ occisum esse constaret:putasse nõ oportere esse, ne
in ulciscenda quidem iniuria,cuiquam hominis occidẽ-
di potestatem:in quo uideo Neronis iudicio non te abso
lutũ esse improbitatis:sed illos damnatos esse cædis.Ve-
rum ista damnatio tamen cuiusmodi fuit? audite quæ-
so Iudices: & aliquando miseremini sociorum:& osten
dite aliq̃d his in uestra fide præsidij esse oportere. quod
toti asiæ iure occisus uidebatur istius ille,uerbo lictor,re

uera minister improbissimæ cupiditatis: pertimuit iste
ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur.rogat,et o-
rat Dolobellã:ut de sua prouincia decedat: ad Neronem
proficiscatur:se demõstrat incolumẽ esse nõ posse,si Phi
lodamo uiuere,atq; aliquando Romam uenire licuisset.
commotus est Dolobella:fecit id, quod multi reprehẽde
runt:ut exercitum,prouinciam,bellum relinqueret: &
in Asiam hominis nequissimi causa in alienam prouin-
ciam proficisceretur.postea quam ad Neronẽ uenit: con
tendit ab eo:ut Philodami causam cognosceret.uenerat
ipse,qui esset in consilio:& primus sententiam diceret:
adduxerat etiam præfectos, & tribunos militares suo-
s: quos Nero omnes in consilium uocauit:erat in con-
silio etiam æquissimus iudex,ipse Verres: erant nõnul-
li togati creditores græcorum: quibus ad exigendas pe-
cunias improbissimi cuiusq; legati plurimũ prodest gra
tia.ille miser defensorẽ reperire neminem poterat. quis
enim esset aut togatus, qui Dolobellæ gratia, aut græ-
cus,qui eiusdem ui,& imperio non moueretur? Accusa
tor autem apponitur ciuis Ro.de creditoribus Lampsa
cenorum: qui, si dixisset quod iste iussisset: per eiusdem
istius lictores à populo pecuniã posset exigere. cum hæc
omnia tanta cõtentione tantis copijs agerentur:.cũ illũ
miserum multi accusarent:nemo defenderet: cumq; Do
lobella cum suis præfectis pugnaret in consilio: Verres
fortunas agi suas diceret:idem testimoniũ diceret: idem
esset in consilio:idem accusatorem parasset:hæc cum o-
mnia fierent:& cum hominem cõstaret occisum:tamen
tanta uis istius iniuriæ,tanta in isto improbitas putaba-
tur:ut de Philodamo amplius pronunciaretur. quid ego
nunc in alteram actionem Cn.Dolobellæ spiritus? quid

huius lachrymas, & cõcursiones proferam? quid C. Neronis uiri optimi, atq; innocentißimi nõnullis in rebus animum nimis timidum, atque demißum? qui in illa re qd facere potuerit, nõ habebat: nisi forte id quod omnes tum desyderabant: ut ageret eam rem sine Verre, & Dolobella: quicquid esset sine his actum, omnes probarent. Tum uero quod pronunciatum est, non per Neronem iudicatum, sed per Dolobellam ereptum existimabatur. cõdemnatur enim perpaucis sentẽtijs Philodamus, et eius filius. adest, instat, urget Dolobella: ut quamprimum securi feriantur: quo quam minime multi ex illis de istius nefario scelere audire possent. constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum, & miserum, & graue toti Asiæ prouinciæ: grandis natu parens adductus ad supplicium: ex altera parte filius. ille quod pudicitiã liberorum, hic quod uitam patris, famamq; sororis defenderat. flebat uterq;, non de suo supplicio: sed pater de filij morte, de patris filius. quid lachrymarum ipsum Neronem putatis profudisse? quem fletum totius Asiæ fuisse? quem luctum, & gemitum Lampsacenorum? securi esse pcussos homines innocentes, nobiles, socios populi romani, atq; amicos, ppter hominis flagitiosißimi singularem nequitiam, atque improbißimam cupiditatem? Nemo iam Dolobella neq; tui, neq; tuorum liberorum, quos tu miseros in egestate atq; in solitudine reliquisti, misereri potest. Verres ne tibi tanti fuit? ut eius libidinem hominũ innocentũ sanguine lui uelles? iccirco ne exercitum, atq; hostem relinquebas? ut tua ui, & crudelitate, istius hominis improbißimi pericula subleuares? quod enim eum tibi quæstoris in locum constituerat: iccirco tibi amicum in perpetuũ fore putasti? nescie

bas ab eo Cn. Carbonem Cons. cuius re uera Quæstor fuit: nonmodo relictum, sed etiam spoliatum auxilijs, pecunia, nefarie oppugnatum, & proditũ? expertus igitur es istius perfidiam tum, cum se ad inimicos tuos contulit: cum in te homo ipse nocens acerrimum testimonium dixit: cum rationes ad ærarium nisi damnato te referre noluit. tantæne tuæ Verres libidines erunt? ut eas capere, ac sustinere non prouinciæ populi Romani, non nationes exteræ possint? tu ne quod uideris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit: nisi libidini tuæ cupiditatiq; paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates nonmodo pacatæ, uerumetiam sociorum, atq; amicorum, ad uim atque ad arma confugient? ut ab se atque ab liberis suis legati populi Romani scelus, atq; libidinem propulsare possint? nam quæro abs te, circunsessus ne sis Lampsaci? cœperit ne domum, in qua diuersabare, illa multitudo incendere? uoluerint ne legatum populi Romani comburere uiuum Lampsaceni? negare non potes, habeo enim testimonium tuum: quod apud Neronem dixisti: habeo quas ad eundem literas misisti. recita hunc ipsum locum de testimonio. TESTIMONIVM C. VERRIS IN ARTEMIDORVM. NON MVLTO POST IN DOMVM. Bellum ne populo Romano Lampsaci ciuitas facere conabatur? desicere ab imperio ac nomine nostro uolebat? uideo enim, & ex his quæ legi, & audiui, intelligo: in qua ciuitate nõmodo legatus populi Romani circunsessus, nonmodo igni, ferro, manu, copijs, oppugnatus, sed aliqua ex parte uiolatus sit: nisi publice satisfactum sit: ei

ciuitati bellum indici, atque inferri solere. quæ fuit igitur causa, cur cuncta ciuitas Lampsacenorum de concione, quemadmodum tu scribis: domum tuam concurrerent? tu enim neque in literis, quas Neroni mittis: neq; in testimonio, causam tanti tumultus ostendis ullã. obsessum te dicis: ignem allatum, sarmenta circundata, lictorem tuum occisum esse dicis: prodeundi tibi in publicum potestatem factam negas: causam huius tanti erroris occultas. nam si quam Rubrius iniuriam suo nomine, ac non impulsu tuo, & tua cupiditate fecisset: de tui comitis iniuria, quæstum ad te potius, quàm te oppugnatum uenirent. cum igitur, quæ causa illius tumultus fuerit, testes à nobis producti dixerint, ipse celarit: nonne causam hanc, quam nos proposuimus: tum illorum testimonia, tũ istius taciturnitas perpetua confirmat? Huic homini parcetis igitur Iudices? cuius tanta peccata sunt: ut hi, quibus iniurias fecerit: neq; legitimum tempus expectare ad ulciscendum, neque uim tantam doloris in posterum differre potuerunt. circunsessus es: à quibus? à Lampsacenis: barbaris hominibus credo: aut ijs qui P.R. nomen cõtemnerent? immo uero ab hominibus, & natura, & consuetudine, & disciplina lenißimis. porrò autem populi Ro. cõditione socijs, fortuna seruis, uoluntate supplicibus: ut perspicuum sit omnibus, nisi tanta acerbitas iniuriæ, tanta uis sceleris fuisset: ut Lampsaceni moriendũ sibi potius, quàm perpetiendum putarent: nunquam illos in eum locum progressuros fuisse: ut uehemẽtius odio libidinis tuæ, quàm metu legationis mouerentur, nolite per deos immortales cogere socios, atque exteras nationes, hoc uti perfugio: quo, nisi uos uindicatis, utentur necessario. Lampsacenos in istum nunquam ulla res mitigasset: nisi eum pœnas Romæ daturum credidissent. & si talem acceperant iniuriam: quam nulla lege satis digne persequi poterant: tamen incommoda sua uestris committere legibus, & iudicijs: quàm dolori suo permittere maluerunt. tu mihi, cum circunsessus à tam illustri ciuitate sis, propter tuum scelus atq; flagitium: cum coegeris homines miseros, & calamitosos quasi desperatis nostris legibus, & iudicijs, ad uim, ad manus, ad arma, confugere: cum in oppidis, & ciuitatibus amicorum non legatum populi romani, sed tyrannũ libidinosum, crudelemq; præbueris: cum apud exteras nationes imperij, nominisq; nostri famam tuis probris flagitijsq; uiolaris: cum te ex ferro amicorum populi Ro. eripueris: atq; è flamma sociorum euolaris: hic tibi perfugium spueras futurum? erras. ut huc incideres, non ut hic conquiesceres, illi te uiuum exire passi sunt. & ais, iudicium esse factum: te iniuria circunsessum esse Lampsaci: quod Philodamus cum filio condemnatus sit: quid si doceo, si planũ facio, teste homine nequã, uerũ ad hanc rẽ tamen idoneo, te ipso inquam teste docebo, te huius circunsessionis tuæ causam, et culpam in alios transtulisse? neq; in eos, quos tu insimularas, esse animaduersum? iam nihil te iudiciũ Neronis adiuuat. recita quas ad Neronẽ literas misit. EPISTOLA C. VERRIS AD NERONEM. THEMISTAGORAS ET THESSALVS Themistagoram & Thessalum scribit populum concitasse. quem populum? qui te circunsedit: qui te uiuũ cõburere conatus est. ubi hos persequeris? ubi accusas? ubi defendis ius, nomenq; legati? in Philodami iudicio dices id actum. cedo mi-

bri ipsius Verris testimoniũ. uideamus quid idem iste iura tus dixerit. recita. AB ACCVSATORE ROGA TVS RESPONDIT: IN HOC IVDICIO NON PERSEQVI: SIBI IN ANIMO ESSE ALIO TEMPORE PERSEQVI. quid igitur te iuuat Neronis iudiciũ? qd Philodami dãnatio? legatus cũ esses circunsessus: cũq;, quemadmodum tute ad Neronem scripsisti: populo romano, cõmuniq; causæ legatorũ facta esset iniuria insignis: non es persecutus. dicis tibi in animo esse alio tempore persequi. quod fuit id tempus? quando es persecutus? cur imminuisti ius legationis? cur causam populi Ro. deseruisti, ac prodidisti? cur iniurias tuas cõiunctas cum publicis reliquisti? nonné te ad Senatum causam deferre? non de tam atrocibus iniurijs conqueri? non eos homines, qui populum concitarant, consulum literis euocandos curare oportuit? nuper M. aurelio Scauro postulãte, quod is Ephesi se quæsturem ui prohibitum esse dicebat: quo minus e fano Dianæ seruum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret: Pericles Ephesius homo nobilissimus Romã euocatus est: quod author iniuriæ illius fuisse argueretur: tu, si te legatum ita Lampsaci tractatum esse senatum docuisses: ut tui comites uulnerarentur: lictor occideretur: ipse circunsessus penè incenderere: eius autem rei duces, & authores, & principes fuisse, quos scribis Themistagoram, & Thessalum: quis non commoueretur? quis non ex iniuria quæ tibi esset facta, sibi prouideret? quis non in eare causam tuam, periculũ commune agi arbitraretur? etenim nomen legati eiusmodi esse debet: quod nonmodo inter sociorũ iura, sed etiam inter hostium tela incolume uersetur. Magnũ hoc Lampsacenum crimẽ

est, libidinis, atq; impbißimæ cupiditatis. accipite nunc auariciæ propemodum in suo genere non leuius. Milesios nauem popoſcit: quæ eum præsidij causa Myndum prosequeretur. illi statim myoparonem egregiũ de suæ classe, ornatum, atq; armatum dederunt. hoc præsidio Myndum profectus est. nam, quid Milesijs lanæ publicæ abstulerit: item de sumptu in aduentum: de contumelijs, & iniurijs in magistratum Milesium, tametsi dici tum uere tum grauiter, & uehementer potest: tamen dicere prætermittam: eaq; omnia testibus integra reseruabo. illud, quod neq; taceri ullo modo potest: neq; dici p dignitate, cognoscite. milites, remigesq; Miletũ Myndo pedibus reuerti iubet: ipse myoparonẽ pulcherrimũ, de decem Milesiorum nauibus electum L. Magio, & L. Rabio, qui Myndi habitabant, uendidit. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero censuit habendos. hoc illi nauigio ad omnes populi Ro. hostes usque ab Dianio, quod in Hispania est: ad Sinopam, quæ in Ponto est, nauigauerunt. O' dij immortales, incredibilem auariciam, singularemq; audaciam. nauem tu de classe populi Ro. quam tibi Milesia ciuitas, ut te prosequeretur, dedisset, ausus es uendere? si te magnitudo maleficij, si te hominum existimatio non mouebat: ne illud quidem cogitabas? huius improbißimi furti, siue adeo nefariæ prædæ, tam illustrem ac tam nobilem ciuitatem testem futuram? an quia tum Cn. Dolobella in eum, qui ei myoparoni præfuerat, Milesijsq; rem gestam renunciarat: animaduertere tuo rogatu conatus est: renunciationemq; eius, quæ erat in publicas literas relata illorum legibus, tolli iusserat: iccirco te ex hoc crimine elapsum esse arbitrabare? multum te ista

fefellit opinio: & quidem multis in locis. semper enim existimasti, & maxime in Sicilia, satis cautum tibi ad defensionem fore: si aut referri aliquid in literas publicas uetuisses: aut quod relatum esset, tolli coegisses. hoc quàm nihil sit: tametsi ex multis Siciliæ ciuitatibus prio re actione didicisti: tamen etiam in hac ipsa ciuitate cognosce. sunt illi quidem dicto audientes, quãdiu adsunt hi. qui imperant: simul ac discesserunt: non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt: sed etiam causam adscribunt: cur non tum in literas relatum sit. manent istæ literæ Mileti: manent, et dũ erit illa ciuitas, manebunt. Decem enim naues iussu L. Murenæ, populus Milesius ex pecunia uectigali populi Ro. fecerat: sicut pro sua quæque parte Asiæ cæteræ ciuitates. quamobrem unam ex decem non prædonum repentino aduentu, sed legati latrocinio: non ui tempestatis, sed hac horribili tempestate sociorum amissam in literas publicas retulerunt. sunt Romæ legati Milesij homines nobilissimi, ac principes ciuitatis: qui tametsi mensem Februarium & conss. designatorum nomen expectant: tamen hoc tantum facinus nõmodo negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterunt. dicent inquam et religione adducti, & legum domesticarum metu, quid illo myoparone factum sit: ostendent C. Verrem in ea classe, quæ contra piratas ædificata sit? piratam ipsum conscleratum fuisse. C. Malleolo quæstore Cn. Dolobellæ occiso, duas sibi hæreditates uenisse arbitratus est: unam quæstoriæ procurationis. nam à Dolobella statim proquæstore iussus est esse. alteram tutelæ. nam cum pupilli Malleoli tutor esset: in bona eius impetum fecit. nam Malleolus in prouinciam sic copiose profectus erat: ut

domi prorsus nihil relinqueret. præterea pecunias occuparat apud populos, & syngraphas fecerat: argenti optimi cœlati grande pondus secum tulerat, nam ille quoq; sodalis istius erat in hoc morbo & cupiditate, grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formosos homines reliquit, iste quod argenti placuit, inuasit: quæ mancipia uoluit, abduxit: uina, cæteraq;, quæ in Asia facillime comparantur, quæ ille reliquerat, asportauit: reliqua uendidit: pecuniam exegit. cum ad HS XXD quinquies redegisse constaret: ut Romam redijt: nullam literam pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit: seruos artifices pupilli cum haberet domi, circum pedes autem homines formosos & literatos, suos esse dicebat: se emisse. cũ sæpius mater, & auia pueri postularent, uti, si non redderet pecuniam: nec rationẽ daret. diceret saltem quantum pecuniæ Malleoli deportasset: multis efflagitatus aliquando dixit HS decies: deinde in codicis extrema cera nomen infimum in flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono seruo HS sexcenta millia, accepta Pupillo Malleolo retulit. quomodo ex decies HS sexcenta sint facta: quomodo DC. eodem modo quadrarint: ut illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua HS sexcenta facta sint: quomodo Chrysogono expensa lata sint: cur id nomen infimum, in lituraq; sit? uos existimabitis. tamen HS sexcenta millia cum accepta retulisset: HS quinq; millia soluta non sunt. homines, postea quam reus factus est: alij redditi: alij etiam nunc retinentur: peculia omnium, uicarijq; retinentur. Hæc est istius præclara tutela. en cui tuos liberos committas: en memoria mortui sodalis: en metus uiuorum existi-

mationis. cum tibi se tota Asia spoliandam, ac uexandam tradidisset: cum tibi exposita esset omnis ad prædandum Pamphylia: contentus his tam opimis rebus nõ fuisti? manus à tutela, manus à pupillo, manus à sodalis filio abstinere non potuisti? Iam te non Siculi, non aratores, ut dictitas, circunueniunt: non hi, qui decretis edictisq; tuis in te concitati, infestiq; sunt. Malleolus à me productus est, & mater eius atq; auia: quæ miseræ, flentes, euersum à te puerum patris bonis esse dixerunt. quid expectas? an dum ab inferis ille Malleolus existat? atq; abs te officia tutelæ, sodalitatis, familiaritatisq; flagitet? ipsum putato adesse. homo auarissime & spurcissime, redde bona sodalis filio: si non, quæ abstulisti: at quæ confessus es. cur cogis sodalis filium hanc primam in foro uocem cum dolore, & querimonia emittere? cur sodalis uxorem, sodalis socrum, domum deniq; totam sodalis mortui, contra te testimonium dicere? cur pudentissimas, lectissimasq; fœminas in tantum uirorum conuentum insolitas inuitasq; prodire cogis? recita omnium testimonia. TESTIMONIVM MATRIS ET AVIAE. Proquæstore uero quomodo iste cõmune Meliadum uexarit: quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiã, Phrygiamq; totam frumento imperando, æstimando hac sua, quam tum primũ excogitauit, Sicilienſi æstimatione afflixerit: non est necesse demonstrare uerbis. hoc scitote, his nominibus, quæres per eum gestæ sunt: cum iste ciuitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret: neq; ea sumeret: pro his rebus pecuniam exigeret: his nominibus solis, Cn. Dolobellæ HS ad tricies litem esse æstimatam. quæ omnia, etiam si uoluntate Dolobellæ fiebant: per istum omnia

tamen gerebantur. consistam in uno nomine: multa sunt ex eodem genere. recita. DE LITIBVS AESTIMATIS CN. DOLOBELLAE POPVLORO. PECVNIAE REDACTAE. QVOD A COMMVNI MELIADVM. te hæc coegisse, te æstimasse, tibi pecuniam numeratam esse dico. eademq; ui, & iniuria cum pecunias maximas cogeres: per omnes partes prouinciæ te, tanquam aliquam calamitosam tempestatem, pestemq; peruasisse demonstro. Itaq; M. Scaurus, qui Cn. Dolobellam accusauit: istum in sua potestate ac ditione tenuit. homo adolescens cum istius in inquirendo multa furta, ac flagitia cognosceret: fecit perite, & callide: uolumen eius rerum gestarum maximum, isti ostendit: ab homine quæ uoluit in Dolobellã abstulit: istum testem produxit: dixit iste quæ uelle accusatorem putauit. Quo ex genere mihi testimonium, qui cum isto furati sunt, si uti uoluissem, magna copia fuisset: qui ut se periculo litium, coniunctione criminum liberarent: quo ego uellem descensuros pollicebantur. eorum ego uoluntatem omnium repudiaui: non modo proditori, sed ne perfugæ quidem locus in meis castris cuiquã fuit. forsitan meliores illi accusatores habendi sunt: qui hæc omnia fecerunt. sed ego defensorem in mea persona, nõ accusatorem maxime laudari uolo. rationes ad ærarium, antequam Dolobellæ condemnatus est, non audet referre. impetrat à senatu ut dies sibi prorogaretur: quod tabulas suas ab accusatoribus Dolobellæ obsignatas diceret: proinde quasi exscribẽdi potestatem non haberet. solus est hic: qui nunquam rationes ad ærarium referat. Audistis quæstoriam rationem tribus uersiculis relatam: legationis, non nisi condemna

to,& electo eo,qui posset reprehendere:nũc deniq; præturæ, quam ex S. C. statim referre debuit, usque ad hoc tempus non retulit: quæstorem se in senatu expectare dixit. proinde quasi non ut quæstor sine prætore posset rationem referre, ut tu Hortensi,ut omnes: eodẽ modo sine quæstore prætor. dixit idem,Dolobellam imperasse omnem magistratibus conscriptis,qua causa placuit probauerunt. uerum quæstores quoq; iam pridem uenerunt: cur non retulisti? illarum rationum, ex ea fece legationis, quæstoriæq; tuæ procurationis illa sunt nomina: quæ Dolobellæ necessario sunt æstimata. EX LITIBVS AESTIMATIS DOLOBELLAE. PR. ET PROPR. quod minus Dolobella Verri acceptum retulit:quàm Verres illi expensum tulerit: HS quingenta triginta quinq; millia: & quod plus fecit Dolobella Verrem accepisse: quàm iste in suis tabulis habuit: HS ducenta triginta duo millia: & quod plus frumenti fecit accepisse istum: HS decies & octingẽta millia: quid tu homo castissimus aliud in tabulis habebas. Hinc illæ extraordinariæ pecuniæ: quas nullo duce, tamen aliqua ex particula inuestigamus, redundarunt. hinc ratio Q. & Cn. Postumijs, Curtijs, multis nominibus: quorum in tabulis iste habet nullum. hinc HS quater decies P. Tadio numerata Athenis testibus planum faciam. hinc empta apertissime prætura: nisi forte id etiam dubium est: quomodo iste prætor factus sit. Homo scilicet,aut industria, aut opera probata, aut fragilitatis existimatione præclara, aut deniq;, id quod leuissimum est,assiduitate, qui ante quæsturam cum meretricibus, lenonibusq; uixisset: quæsturam ita gessisset:quemadmodum cognouistis:Romæ post quæsturam illam

ram illam nefariam uix triduum constitisset:absens non in obliuione iacuisset: sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset:is repente, ut Romam uenit:gratis prætor factus est. Alia porrò pecunia ne accusaretur data, cui sit data nihil ad me, nihil ad rẽ pertinere arbitror: datã quidẽ esse tum inter omnes recenti negocio facile cõstabat. homo stultissime, & amentissime tabulas cum conficeres: & cum extraordinariæ pecuniæ crimen subterfugere uelles: satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare: si quibus pecuniam credebas:ijs expensum non ferres? neque in tuas tabulas ullum nomen referres: cum tot tibi nominibus acceptum Curtij referrent? quid proderat tibi te expensum illis non tulisse? an tuis solis tabulis te causam dicturum existimasti? Verum ad illam iam ueniamus præclaram præturam: criminaq; ea, quæ notiora sunt his, qui ad sunt:quàm nobis, qui meditati ad dicendum, paratiq; uenimus. in quibus non dubito,quin offensionem negligentiæ uitare, atq; effugere non possim. multi enim ita dicent:de illo nihil dixit:in quo ego interfui:illam iniuriam non attigit: quæ mihi, aut amico meo facta est: quibus ego in rebus interfui. his omnibus, qui istius iniurias norunt:hoc est populo Ro. uniuerso,me uehementer excusatum uolo:non negligentia mea fore: ut multa præteream: sed quod alia testibus integra reseruari uelim:multa autem propter rationem breuitatis, ac temporis prætermittenda existimem. fatebor etiam illud inuitus: me prorsus, cum iste punctum temporis nullum uacuum peccato præterire passus sit:omnia, quæ ab isto commissa sunt: nõ potuisse cognoscere. quapropter ita me de præturæ criminib. auditote:ut ex utroq; genere,

& iuris dicendi, & sartorum tectorum exigendorum, ea postuletis: quæ maxime digna sunt eo reo: cui paruũ, ac mediocre obijci nihil oporteat. Nã ut prætor factus est: qui auspicato à Chelidone surrexisset: sortem nactus est urbanæ, puinciæ, magis ex sua, & Chelidonis, quàm ex populi Ro. uoluntate. qui principio, qualis in edicto constituendo fuerit, cognoscite. P. Annius Asellus mortuus est C. Annio Sacerdote prætore. is cum haberet unicam filiam: neq; census esset: quòd natura hortabatur, lex nulla prohibebat: fecit, ut filiã bonis suis hæredem instituueret. hæres erat filia: faciebant omnia cum pupilla, legis æquitas, uoluntas patris, edicta prætorum, consuetudo iuris eius, quod erat tum, cum Asellis est mortuus. iste prætor designatus, utrum admonitus, an tentatus, an qua est iste sagacitate in his rebus, sine duce ullo, sine indice peruenerit ad hanc improbitatem, nescio, uos tantum hominis audaciã, amentiamq; cognoscite, appellat hæredem L. Annium: qui erat institutus secundum filiam. non enim mihi persuadetur: istum ab illo prius appellatum. dicit se posse ei condonare edicto hæreditatem: docet hominẽ quid possit fieri: illi bona res, huic uendibilis uidebatur. iste tametsi singulari est audacia: tamen ad pupillæ matrem summittebat: malebat pecuniam accipere: ne quid noui ediceret: quàm ut hoc edictum tam improbum, & inhumanum interponeret. tutores pecuniam prætori si pupillæ nomine dedissent: grandem præsertim: quemadmodum in rationem inducerent: quemadmodum sine periculo suo dare possent: non uidebant. simul & istum fore tam improbum non arbitrabantur. sæpe appellati pernegauerunt. iste ad arbitrium eius, cui condonarat hæreditatem ereptam li-

beris: quàm æquum edictum scripserit, quæso cognoscite. CVM INTELLIGAM LEGEM VOCONIAM. quis unquam crederet Verrem mulierum aduersarium futurum? an ideo aliquid contra mulieres fecit: ne totum edictum ad Chelidonis arbitrium scriptum uideretur? Cupiditati hominum ait se obuiam ire. quid potius, nonmodo his temporibus, sed etiam apud maiores nostros? quis tam remotus fuit à cupiditate? dic quæso cætera. delectat enim me hominis grauitas, scientia iuris, authoritas. QVI AB AVLO POSTVMIO, Q. FVLVIO CENSORIBVS POST VE BA, FECIT, FECERIT. fecit, fecerit? quis unquam edixit isto modo? quis unquam eius rei fraudem, aut periculum proposuit edicto: quod neq; post edictum, neq; ante edictum prouideri potuit? iure, legibus, authoritate omnium, qui consulebantur: testamentum P. Annius fecerat non improbum, non inofficiosum, non inhumanum. quod si ita fecisset: tamen post illius mortem nihil de testamento illius noui iuris constitui oporteret. Voconia lex te uidelicet delectabat, imitatus esses illum ipsum C. Voconium: qui lege sua hæreditatem ademit nulli neq; uirgini, neq; mulieri: sanxit in posterum: qui post eos Censores cẽsus esset: ne quis hæredem uirginem, ne ue mulierem faceret. in lege Voconia nõ est, fecit, fecerit: neq; in ulla præteritũ tempus reprehenditur: nisi eius rei, quæ sua sponte scelerata, ac nefaria est: ut etiam si lex non esset: magnopere uitanda fuerit. atque in his rebus multa uidemus ita sancta esse legibus: ut ante facta in iudicium non uocentur. Cornelia, Testamentaria, Nummaria, cæteræ complures. in quibus non ius aliquod nouum po-

pulo constituitur: sed sancitur: ut quod semper malũ sacinus fuerit: eius quæstio ad populum pertineat ex certo tẽpore. De iure uero ciuili siquid noui quis instituit: omnia quæ ante acta sunt: rata esse patitur. cedo mihi leges Atinias, Furias, Fuffias, ipsam, ut dixi, Voconiã, omnes præterea de iure ciuili: hoc reperies in omnibus statui ius: quo post eam legem populus utatur. qui plurimum tribuunt edicto: prætoris edictum legem annuam dicunt esse. tu edicto plus complecteris quàm lege. Si finem edicto prætoris afferunt Cal. Ianuarij: cur non initium quoq; edicti nascitur à Calend. Ianuarijs? an in eum annum progredi nemo poterit edicto: quo prætor alius futurus est: in illum, quo Prætor alius fuit, regredietur? Ac si hoc iuris nõ unius causa hominis edixisses: cautius composuisses. Scribis, si quis hæredẽ fecit, fecerit. quod si plus legarit: quàm ad hæredem hæredẽsue perueniat: quod per legem Voconiã ei qui census non sit, licet: cur hoc cum in eodem genere sit, non caues? quia non generis, sed hominis causam uerbis amplecteris: ut facile appareat te precio esse commotum. atq; hoc si in posterum edixisses: minus esset nefarium: tamen esset improbum. sed tum uituperari posset: in dubium uenire non posset. nemo enim committeret. nunc est eiusmodi edictum: ut quiuis intelligat, non populo esse scriptum, sed P. Annij secundis hæredibus. itaq; cum à te caput illud tam multis uerbis mercenario proœmio esset ornatum: ecquis est inuentus postea prætor: qui illud idem ediceret? nonmodo nemo edixit: sed ne metuit quidem quisquam, ne quis ediceret. nam post te prætorẽ multi testamenta eodem modo fecerunt. in his nuper Annia ea de multorum propinquorum sentẽtia, pecuniosa mulier,

quod censa non erat: testamento fecit hæredem filiam. Itaq; hoc magnum iudicium hominum de istius singulari improbitate: quod Verres sua sponte instituisset, id ne minem metuisse: ne quis reperiretur, qui istius institutũ sequi uellet. solus enim tu inuentus es: cui non satis fuerit corrigere uoluntates uiuorum: nisi etiã rescinderes mortuorum. Tu ipse ex Siciliẽsi edicto hoc sustuliisti: uoluisti, ex improuiso si quæ res natæ essent: ex urbano edicto decernere. quam postea tibi tu defensionem relinquebas: in ea maxime offendisti: cum tuam authoritatẽ tuto ipse edicto prouinciali repudiabas. atq; ego non dubito: quin ut mihi, cui filia maxime cordi est: res hæc acerba uideatur, atq; indigna: sic unicuiq; uestrum: qui simili sensu, atque indulgentia filiarum commouemini: quid enim natura nobis iucundius? quid carius esse uoluit? quid est dignius, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaq; consumatur? homo importunissime cur tantam iniuriã P. Annio mortuo feci sti? cur hunc dolorẽ cineri eius, atq; ossib. inussisti? ut liberis eius bona patria, uolũtate patris, iure, legibus tradita eriperes? et cui tibi esset commodũ, cõdonares? quibus cũ uiui bona nostra partimur: his prætor adimere nobis mortuis bona, fortunasq; poterit? Nec petitionẽ inquit nec possessionẽ dabo. eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis? miramur ad arma contra istum hominẽ Lampsacenos isse? miramur istum de prouincia decedentem clam Syracusis profugisse? nos si alienam uicem pro nostra iniuria doleremus: uestigium istius in foro non esset relictum. pater dat filiæ: prohibes. leges sinunt: tamen te interponis. de suis bonis ita dat: ut ab iure non abeat:

quid habes quod reprehendas? nihil opinor. at ego concedo: prohibe, si potes: si habes, qui te audiat: si potest tibi dicto audiens esse quisquam. eripias tu uoluntatem mortuis? bona uiuis? ius omnibus? hoc populus Ro. non manu uindicasset: nisi te huic tempori, atq; huic iudicio reseruasset. Postea quam ius prætorium constitutum est: semper hoc iure usi sumus: si tabulæ testamenti non proferrentur: tũ uti proximi quenq; potissimũ hæredẽ esse oporteret: si is intestato mortuus esset: ita secundũ eum possessio daretur. quare hoc sit æquissimũ: facile est docere. sed in re tam usitata, satis est ostendere: omnes antea ius ita dixisse: & hoc uetus edictum translatitiumq; esse. Cognoscite aliud hominis in re uetere edictum nouum: & simul, dum est unde ius ciuile discatur: adolescentes ei in disciplinam tradite. mirum est hominis ingenium: mira prudentia. Minutius quidam mortuus est ante istum prætorem. eius testamentum erat nullum: lege hæreditas ad gentem Minutiam uenlebat. si habuisset iste edictum: quod ante istum, & postea omnes habuerunt: possessio Minutiæ genti esset data. si quis testamento se hæredem esse arbitraretur: quod tum non extaret: lege ageret in hæreditatẽ: aut pro præde litis uindiciarum, cum satis accepisset, sponsionẽ faceret. ita de hæreditate certaret. hoc opinor iure & maiores nostri, & nos semper usi sumus. uidete ut hoc iste correxerit. componit edictũ his uerbis: ut quiuis intelligere possit: unius hominis causa conscriptum esse: tantum quod hominem non nominat: causam quidem totam perscribit: ius, consuetudinem, æquitatem, edicta omnium neglegit. EX EDICTO VRBANO. SI DE HAEREDITATE AMBIGETVR: SI

POSSESSOR SPONSIONEM NON FACIET. iam quid id ad prætorem: uter possessor sit? nonne id quæri oportet: utrum possessorem esse oporteat? ergo quia possessor est, non moues possessione. si possessor non esset, non dares. nusquam enim scribis: neq; tu aliud quicquam edicto amplecteris: nisi eum cautum, pro qua pecuniã acceperas. iam hoc ridiculum est. SI DE HAEREDITATE AMBIGITVR. ET TABVLAE TESTAMENTI OBSIGNATAE NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTEAT: ADME PROFERENTVR: SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POTISSIMVM HAEREDITATEM DABO. hoc translatitium est. sequi illud oportet si tabulæ testamenti nõ proferentur. quid ait? se ei daturum qui se dicat hæredem esse. quid ergo interest proferantur nécne? si protulerit: uno signo ut sit minus, quàm ex lege oportet: non des possessionem: si omnino tabulas non proferet dabis. Quid nunc dicam neminem unquam postea alium edixisse? ualde sit mirum: neminem fuisse qui istius se similem dici uellet. ipse in Siciliensi edicto hoc non habet. exegerat enim iam mercedem. item, ut illo edicto, de quo ante dixi in Sicilia de hæreditatum possessionibus dandis, edixit idem, quod omnes Romæ præter istum. EX EDICTO SICILIENSI. SI DE HAEREDITATE AMBIGETVR. At per deos immortales quid est quod de hoc dici possit? iterũ enim iam quæro abs te, sicut modo in illo capite Anniano de mulierũ hæreditatibus, nunc in hoc de hæreditatũ possessionibus: cur ea capita in edictum prouinciale tãrsfer

re nolueris? utrũ digniores homines existimasti eos, qui habitabant in prouincia: quàm nos, qui æquo iure utere mur? an aliud Romæ æquum est? aliud in Sicilia? non enim hoc potest hoc loco dici: multa esse in prouincijs aliter edicenda. nõ de hæreditatũ quidẽ possessionibus, non de mulierum hæreditatibus: nam utroq; genere uideo nonmodo cæteros, sed teipsum totidem uerbis edixisse: quot uerbis edici Romæ solet. quæ Romæ magna cum infamia, precio accepto edixeras: ea sola te, ne gratis in prouincia male audires: ex edicto Siciliensi sustulisse uideo. Et cum edictum totum eorum arbitratu quandiu fuit designatus, componeret: qui ab isto ius ad utilitatem suam nundinarentur: tum uero in magistratu contra illud edictum suum sine ulla religione decernebat. Itaque L. Piso multos codices impleuit earum rerum: in quibus ita interceßit: quod iste aliter, atq; ut edixerat, decreuisset. quod uos oblitos esse non arbitror: quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto prætore solitus sit conuenire. Quẽ iste collegam nisi habuisset: lapidibus coopertus esset in foro. sed eò leuiores istius iniuriæ uidebantur: quod erat in æquitate, pudicitiaq; Pisonis paratißimum perfugium: quo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam sine patrono homines uterentur. nam quæso redite in memoriam Iudices: quæ libido istius in iure dicendo fuerit: quæ uarietas decretorum: quæ nundinatio: quàm inanes domus eorum omnium, qui de iure ciuili consuli solent: quàm plena, atq; referta Chelidonis: à qua muliere cum erat ad eum uentum: & in aurem eius insusurratum: aliâs reuocabat eos, inter quos iam decreuerat: decretũq; mutabat: aliâs inter alios contrariũ sine ulla

religione decernebat: ac proximis paulo ante decreuerat. hinc illi homines erant: qui etiam ridiculi inuenie bantur ex dolore. quorum alij, ut audistis, negabant mirandum esse: ius tam nequam esse Verrinum. alij etiam frigidiores erant: sed quia stomachabantur, ridiculi uidebantur esse: cum Sacerdotem execrabãtur: qui Verrẽ tam nequam reliquisset. quæ ego non commemorarem: neq; enim persacete dicta, neq; porrò hac seueritate digna sunt: nisi uos illud uellem recordari: istius nequitiã, & iniquitatem, tum in ore uulgi, atq; in communibus prouerbijs esse uersatam. In plebem uero romanã utrũ superbiam prius memorem? an crudelitatem? sine dubio crudelitas grauior est, atq; atrocior. oblitos ne igitur hos putatis esse: quemadmodum sit iste solitus uirgis plebem Romanam concidere? quam rem etiam Tribunus pl. in concione egit: cum eum, quem uirgis iste ceciderat: in prospectum populi Ro. produxit. cuius rei cognoscendæ faciam uobis suo tempore potestatem. superbia uero quæ fuerit: quis ignorat? quemadmodum is tenuißimũ quenq; contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit. P. Trebonius uiros bonos, & honestos complures fecit hæredes. in his fecit suum libertum. is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptum. ei cum cautum uellet: scripsit, ut hæredes iurarent, se curatu ros, ut ex sua quisq; parte: ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proscriptum peruenire t. libertus iurat: cæteri hæredes adeunt ad Verrem: docent non oportere se iurare facturos esse, quod contra legem Corneliam esset: quæ proscriptum iuuari uetat. impetrant ut ne iurent. dat his possessionem. id ego non reprehendo: etenim erat iniquũ homini proscripto, egen-

ti, de fraternis bonis quicquam dari. & ille libertus, nisi ex testamento patroni iurasset: scelus se facturum arbitrabatur. itaq; ei Verres possessionem hæreditatis negat se daturum: ne posset patronum suum proscriptum iuuare. simul ut esset pœna, quod alterius patroni testamento obtemperasset. das possessionem ei qui non iurauit. concedo. prætorium est. adimis tu ei qui iurauit. quo exemplo? proscriptũ iuuat. lex est. pœna est. quid ad eũ qui ius dicit? utrum reprehendis quod patronum iuuabat eum: qui tum in miserijs erat? an quod alterius patroni mortui uoluntatem conseruabat: à quo summum beneficium acceperat? utrum horum reprehendis? Et hoc tum de sella uir optimus dixit: Equiti Ro. tam locupleti libertinus sit homo hæres? O' modestum ordinem: quod illinc uiuus surrexit. possum sexaginta decreta proferre: in quibus, ut ego pecuniam non dicam interceßisse: ipsa decretorum nouitas iniquitasq; declarat. uerum ut ex uno, de cæteris coniecturam facere poßitis: id quod priore actione cognostis audite. C. Sulpitius Olympius fuit. is mortuus est C. Sacerdote prætore, nescio an antequam Verres præturam petere cœperit. fecit hæredem M. Octauium Ligurem: Ligur hæreditatem adijt: possedit Sacerdote prætore sine ulla controuersia: postquam Verres magistratum inijt: ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat: Sulpitij patroni filia sextam partem hæreditatis ab Ligure petere cœpit. Ligur non aderat: L. frater eius causam agebat: aderant amici, propinqui. dicebat iste, nisi cum muliere decideretur: in possessionem se ire iussurum. L. Gellius causam Liguris defendebat: docebat edictum eius non oportere ad eas hæreditates ualere: quæ ante

eum prætorem uenissent. si hoc tum fuisset edictum: fortasse Ligurem hæreditatem aditurum non fuisse. æqua postulatio, summa hominum authoritas, precio superabatur. uenit Romam Ligur: non dubitabat, quin si ipse Verrem conuenisset: æquitate causæ, & authoritate sua commouere hominem posset: domum ad eum uenit: rem demonstrat: quàm pridem sibi hæreditas uenisset, docet, quod facile in causa æquißima homini ingenioso fuit: multa, quæ quemuis mouere possent, dixit: ad extremũ petere cœpit: ne usq; eo suam authoritatem despiceret, gratiamq; contemneret: ut se tanta iniuria afficeret. homo Ligurem accusare cœpit: qui in re aduenticia, atq; hæreditaria tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat suam quoq; rationem ducere: multa sibi opus esse: multa canibus suis, quos circa se haberet. non possum illa planius commemorare: quàm ipsum Ligurem pro testimonio dicere audistis. quid enim Verres? utrum ne his quidem testibus credetur? an hæc ad rem non pertinent? non M. Octauio? non L. Liguri? quis nobis crederet? cui nos? quid est Verres quod planum fieri testibus poßit, si hoc non fit? an id, quod dicunt, leue est? nihil leuius: quàm prætorem Vrbis hoc iuris in suo magistratu constituere: omnibus his, quibus hæreditas uenerit: cohæredẽ prætorem esse oportere. an uero dubitamus: quo ore iste cæteros homines inferiore loco, authoritate, ordine: quo ore homines rusticanos ex mancipijs: quo deniq; ore, quos nunquam liberos homines duxerit, solitus sit appellare: qui ob ius dicendum M. Octauium Ligurem hominem ornatißimum loco, ordine, nomine, uirtute, ingenio, copijs, poscere pecuniam non dubitarit? In sartis tectis uero quem-

admodum se se gesserit: quid ego dicam? dixerunt qui sen serunt. sunt alij qui dicant. notæ res, ac manifestæ prola tæ sunt, & proferuntur. dixit C. Fannius Eques Ro. fra ter germanus Q. Titinij iudicis tui, tibi se pecuniam de disse. Recita Testimonium C. Fannij. nolite C. Fannio dicenti credere: noli inquam tu Q. Titini C. Fannio fratri tuo credere. dicit enim rem incredibilem: C. Ver rem insimulat auariciæ, & audaciæ: quæ uicia uiden tur in quemuis potius, quàm in istum conuenire. dixit Q. Tadius homo familiarissimus patris istius, non alie nus à matris eius genere, & nomine: tabulas protu lit: quibus pecuniam se dedisse ostendit. Recita nomina Q. Tadij. Recita testimonium Q. Tadij. Ne tabulis quidem, Q. Tadij, nec testimonio credetur? quid igi tur in iudicijs sequemur? quid est aliud omnibus omnia peccata, & maleficia concedere, nisi hoc: hominum honestissimorum testimonijs, & uirorum bonorum ta bulis non credere? Iam quid ego de quotidiano sermo ne quærimoniaq; populi romani loquar, de istius impu dentissimo furto, seu potius nouo, ac singulari latroci nio? ausum esse in æde Castoris, celeberrimo clarissi moq; monumento, quod templum in oculis, quotidia noq; aspectu populi romani est positum: quo sæpenume ro senatus conuocatur: quo maximarum rerum frequen tissimæ quotidie aduocationes fiũt: in eo loco, in sermo ne hominum, audaciæ suæ monumentum æternum re linquere. Aedem Castoris Iudices P. Iunius habuit tuendam, L. Sylla Q. Metello consulibus. is mortuus est: reliquit pupillum paruum filium. cum L. Octauius, C. Aurelius conss. ædes sacras locauissent: neq; potuissent omnia sarta tecta exigere: neq; ij prætores, quibus erat

negocium datum, C. Sacerdos, & M. Cæsius: factum est S. C. quibus de sartis tectis cognitum, & iudicatum non esset: uti C. Verres, P. Cælius prætores cognoscerent, & iudicarent. qua potestate iste permissa, ut ex C. Fannio, & ex Q. Tadio cognouistis: ueruntamen cum esset om nibus in rebus apertissime, impudentissimeq; prædatus: hoc uoluit clarissimum relinquere iudicium latrocinio rum suorum: de quo non audire aliquando, sed uidere quotidie possemus. Quæsiuit quis ædem Castoris sartam tectam deberet tradere. Iuniũ ipsum mortuum esse scie bat: scire uolebat, ad quem illa res pertineret. audit pu pillum esse filium. homo, qui semper ita palàm dicti tasset: pupillos, & pupillas certissimam prædam esse præ toribus: optatum negocium sibi in sinum delatum esse di cebat. monumentum illa amplitudine, illo opere, quam uis sarctum tectum integrumq; esset: tamen aliquid in uenturum in quo moliri prædariq; posset, arbitraba tur. L. Rabonio ædem Castoris tradi oportebat. is casu pupilli Iunij tutor erat testamento patris. cum eo sine ul lo intertrimento conuenerat iam, quemadmodum tra deretur. Iste ad se Rabonium uocat: quærit, ecquid sit: quod à pupillo traditum non sit, quod exigi debeat. cum ille id quod erat, diceret: facilem pupillo traditionem es se: signa, & dona comparere omnia: ipsum templum omni opere esse integrum: indignum isti uideri cœpit, ex tanta æde, tantoq; opere se non opimum præda, præ sertim à pupillo, discedere. uenit ipse in ædem Castoris: considerat templum: uidet undiq; tectum, pulcherri me laqueatum: præterea cætera noua, atq; integra. uer sat se: quærit quid agat: dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat, esse circa se multos: tu Verres

hic quod moliare, nihil habes: nisi forte uis ad perpendiculum columnas exigere. Homo omnium rerum imperitus, quærit, quid sit ad perpendiculum. dicunt ei, fere nullam esse columnam: quæ ad perpendiculum esse posit. nam me hercule inquit sic agamus: columnæ ad perpendiculum exigantur. Rabonius qui legem nosset: qua in lege numerus tantum columnarum traditur: perpendiculi mentio fit nulla: & qui non putaret sibi expedire, ita accipere: ne eodem modo reddendum esset: negat id sibi deberi: negat oportere exigi. Iste Rabonium quiescere iubet: & simul ei nonnullam spem societatis ostendit. hominem modestum, & minime pertinacem facile coercet: columnas ita se exacturum esse confirmat. nouares, atq; improuisa pupilli calamitas nunciatur statim C. Mustio uitrico pupilli: qui nuper est mortuus: M. Iunio patruo, P. Potitio tutori homini frugalissimo. hi rem ad uirum primarium summo officio, ac uirtute præditum M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt. uenit ad Verrem M. Marcellus: petit ab eo pro sua fide, ac diligentia pluribus uerbis: ne per summam iniuriam pupillum Iunium fortunis patris conetur euertere. Iste qui iam spe, & opinione prædam illam deuorasset: neq; ulla æquitate orationis, neq; authoritate M. Marcelli commotus est. itaq; quemadmodum ostendisset, se id exacturum esse respondit. Cum sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius intercluſos uiderent: apud quem non ius, non æquitas, non misericordia, non propinqui oratio, non amici uoluntas, non cuiusquam authoritas pro precio, non gratia ualeret: statuunt id sibi optimum esse factu: quod cuiuis uenisset in mentem: petere auxilium

à Chelidone: quæ isto prætore, nonmodo in iure ciuili, priuatorumq; omniũ cõtrouersijs populo romano præfuit: uerum etiam in his sartis tectis dominata est. uenit ad Chelidonem C. Mustius eques Ro. publicanus, homo cum primis honestus: uenit M. Iunius patruus pueri, frugalissimus homo, & castissimus: uenit homo summo honore, & pudore, et summo officio, spectatissimus ordinis sui P. Potitius tutor. O' multis acerbam, O' miseram, atq; indignam præturam tuam. ut mittam cætera: quo tandem pudore tales uiros, quo dolore meretricis domũ uenisse arbitrabimini? qui nulla cõditione istã turpitudinẽ subissent: nisi officij, necessitudinisq; ratio coegisset. ueniunt, ut dico, ad Chelidonem. domus erat plena: noua iura, noua decreta, noua iudicia petebantur: mihi det possessionem: mihi ne adimat: in me iudiciũ ne det: mihi bona addicat. alij nummos numerabant: alij tabulas obsignabant: domus erat non meretricio cõuentu, sed prætoria turba referta. simul ac potestas primum data est: adeunt hi quos dixi: loquitur Mustius: rem demonstrat: petit auxilium: pecuniã pollicetur. Respondit illa, ut meretrix, non inhumane: libenter ait se esse facturam: & se cum isto diligenter sermocinaturam: rem uerti iubet. tum discedunt: postridie reuertuntur. negat illa posse hominem exorari: permagnam eum dicere ex illa re pecuniam confici posse. uereor ne quis forte de populo, qui priori actione non affuit: hæc, quia propter insignem turpitudinem sunt incredibilia: fingi à me arbitretur. ea uos antea Iudices cognouistis. dixit iuratus P. Potitius tutor pupilli Iunij: dixit M. Iunius tutor, & patruus. Mustius dixisset, si uiueret: sed pro Mustio, recenti re de Mustio aditum dixit L. Domitius: qui cum sci

ret me ex Mustio uiuo audisse: quod eo sum usus plurimum: etenim iudicium, quod propè omnium fortunarum suarum C. Mustius habuit: me uno defendente uicit. cum hoc, ut dico, sciret L. Domitius me scire, ad eum res omnes Mustium solitum esse deferre: tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit: aliò responsionem suam deriuauit. tantus in adolescente clarissimo, ac principe iuuentutis pudor fuit: ut aliquandiu, cum à me premeretur: omnia potius responderet, quàm Chelidonem nominaret. primo necessarios istius ad eum allegatos esse dicebat: deinde aliquando coactus Chelidonem nominauit. non te pudet Verres, eius mulieris arbitratu gessisse praturam. quam L. Domitius ab se nominari uix sibi honestum esse arbitrabatur? Reiecti à Chelidone capiunt consilium necessarium: ut suscipiant ipsi negocium. cum Rabonio tutore, quod erat uir HS quadraginta millium, transigunt HS ducentis millibus. refert ad istum rem Rabonius: ut sibi uidebatur, satis grandē pecuniam, et satis impudentem esse. iste, qui aliquanto plus cogitasset: male accipit uerbis Rabonii: negat eum sibi illa decisione satisfacere posse. ne multa, locaturū se esse confirmat. tutores hæc nesciunt: quod actum erat cum Rabonio: putant id esse certissimum: nullā maiorem pupillo metuunt calamitatem. iste uero non procrastinat: locare incipit non proscripta, neq; edicta die, alienissimo tempore, ludis ipsis Romanis foro ornato. Itaq; renunciat Rabonius illam decisionem tutoribus: accurrūt tamen ad tempus tutores: digitum tollit Iunius patruus. isti color immutatus est: uultus, oratio, mens deniq; excidit: quid ageret cœpit cogitare. si opus pupillo redimeretur: si res abiret ab eo mancipe: quem ipse apposuisset:

sibi nullam

sibi nullam prædam esse. itaq; excogitat. quid? nihil ingeniose, nihil quod quisquam posit dicere improbe, uerum callide: nihil ab isto tectum, nihil ueteratorium expectaueritis: omnia aperta, omnia perspicua reperientur, impudentia, amentia, audacia. si pupillo opus redimitur: mihi præda de manibus eripitur. quod est igitur remedium? quod? ne liceat pupillo redimere. ubi illa cōsuetudo in bonis, prædibus, prædijsq; uendendis omnium Conss. Censorum. Prr. Quæstorum deniq;? ut optima conditione sit is: cuia res sit, cuium periculum? excludit eum solum: cui propè dicam soli potestatem facta esse oportebat. quid enim quisquam ad meam pecuniam me inuito aspirat? quid accedit? locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur. ego me refecturum esse dico. Probatio futura est tua, qui locas: prædibus & prædijs populo cautum est. & si non putas cautum: scilicet tu Pr. in mea bona quos uoles immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere non sinas? Operæprecium est ipsam legem cognoscere. dicetis eundē conscripsisse qui illud edictum de hæreditate. EX OPERE FACIVNDO QVAE PVPILLI IVNII. dic, dic quæso clarius. C. VERRES PR. VRBIS ADDIDIT. corriguntur leges, censoriæ. quod enim uideo in multis ueteribus legibus: Cn. Domitius, L. Metellus, L. Cassius, Cn. Seruilius Censores addiderunt: uult aliquid eiusmodi C. Verres. dic quid addidit. QVI DE L. MARTIO, M. PERPENNA CENSORIBVS. SOCIVM NE ADMITTITO: NEVE PARTEM DATO: NEVE REDIMITO. Quid ita? ne uicioſum opus fieret? at erat probatio

tua. ne parum locuples esset? at erat: & esset amplius, si uelles, populo cautum prædibus, & prædijs. hic te si res ipsa, si indignitas iniuriæ tuæ non commouebat: pupilli calamitas, propinquorum lachrymæ, D. Bruti, cuius prædia subierunt periculum: M. Marcelli tutoris authoritas, apud te ponderis nihil habebat: ne illud quidem animaduertebas? eiusmodi fore hoc peccatum tuum: quod tu neq; negare posses: in tabulas enim retulisti: neq; cum defensione aliqua cõfiteri. Addicitur id opus. HS DLX millibus: cum tutores HS LXXX millibus id opus, ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effecturos esse clamarent. etenim quid erat operis? id quod uos uidistis, omnes illæ columnæ, quas dealbatas uidetis, machina apposita, nulla impensa deiectæ, eisdemq; lapidibus repositæ sunt. hoc tu HS DLX millibus locauisti. atq; in illis columnis dico esse, quæ à tuo redemptore commotæ non sint: dico esse ex qua tantum tectorium uetus deletum sit, & nouum inductum. quod si tanta pecunia columnas dealbari putassem: certe nunquam ædilitatem petiuissem. At ut uideatur tamen res agi: & non eripi pupillo. SIQVID OPERIS CAVSA RESCIDERIS: REFICITO. quid erat quod rescinderet: cum suo quenq; loco lapidem reponeret? QVI REDEMERIT: SATISDET DAMNI INFECTI EI: QVI A VETERE REDEMPTORE ACCEPERIT. deridet: cum sibi ipsum iubet satisdare Rabonium. PECVNIA PRAESENS SOLVATVR. quibus de bonis? eius, qui quod tu HS DLX millibus locasti: HS LXXX millibus effecturum esse clamauit. quibus de bonis? pupilli. cuius ætatem, & solitudinem, etiam si tutores non essent: defendere prætor debuit: tutoribus defendentibus nonmodo patrias eius fortunas, sed etiam bona tutorum ademisti. HOC OPVS BONVM SVO CVIQVE FACITO. lapis aliquis cædendus & apportandus fuit, machina sua. nam illò non saxum, non materies aducta est. tantum operis, in ista locatione fuit quantum paucæ operæ fabrorum mercedis tulerũt. & maius precium machinæ. Vtrum existimatis minus operis esse: unã columnã efficere ab integro nouam, nullo lapide rediuiuo? an quatuor illas reponere? nemo dubitat: quin multo maius sit nouam facere. Ostendam in ædibus priuatis, longa, difficiliq; uectura, columnas singulas ad impluuium HS quadragenis millibus non minus magnas locatas. Sed ineptum est de tam perspicua istius impudentia pluribus uerbis disputare: præsertim cum iste aperte tota lege omnium sermonem, atq; existimationem contempserit: qui etiam ad extremum conscripserit. REDIVIVA SIBI HABETO. quasi quicquam rediuiui ex opere illo tolleretur: ac non totum opus ex rediuiuis cõstitueretur. At enim si pupillo redimi non licebat: non necesse erat rem ad ipsum peruenire: poterat aliquis ad id negocium de populo accedere. omnes excluſi sunt, non minus aperte, quàm pupillus. diem præstituit operi faciũdo Cal. Decembris. locat circiter Idus Septembris. angustijs temporis excluduntur omnes. quid ergo? Rabonius istam diem quomodo assequitur? nemo Rabonio molestus est neq; Cal. Decembris, neq; nonis, neq; Idibus. deniq; aliquãto in prouincia iste proficiscitur prius, quàm opus effectum est. postea quam reus factus est: primo negabat opus in acce-

ptum referre posse: cum instaret Rabonius: in me causam cõferebat: quod tum codicem obsignassem. petit à me Rabonius: & amicos allegat: facile impetrat. iste qd ageret, nesciebat. si in acceptum non retulisset: putabat se aliquid defensionum habiturum. Rabonium porrò intelligebat rem totam esse patefacturũ: tametsi quid posset esse apertius, q̃ nunc est: ut uno minus teste haberet Rabonio? opus in acceptũ retulit quadriennio post quam diem operi dixerat. Hac conditione, si quis de populo redemptor accessisset: cũ die cæteros redemptores excluſisset: tum in eius arbitrium ac potestatem uenire nolebat: qui sibi ereptam prædam arbitraretur. Nonne argumentamur quo ista pecunia peruenerit? fecit ipse iudicium. Primum cum uehementius cum eo D. Brutus contenderet: qui de sua pecunia HS CCL millia numerauit: quod iam iste ferre nõ poterat opere addicto: prædibus acceptis de HS DLX millibus, remisit D. Bruto HS CX millia. hoc, si aliena res esset: certe facere non potuisset. deinde nummi numerati sunt Cornificio: quem scribam suum fuisse negare non potest. Postremo ipsius Rabonij tabulæ prædam illam istius fuisse clamant. Recita nomina Rabonij. Hic etiam priore actione Q. Hortensius pupillum Iunium uenisse prætextatum in uestrum conspectum, & testes secum, patruo testimonium dicente questus est: & me populariter agere, atq; inuidiam commouere, quod puerũ produceremclamitauit. quid erat Hortensi tandem in illo puero populare? quid inuidiosum? Gracchi credo, aut Saturnini, aut alicuius hominis eiusmodi, produxeram filium: ut nomine ipso, & memoria patris, animos imperitæ multitudinis concitarem. P. Iunij erat, hominis

de plebe Romana filius: quem pater moriens tum tutoribus, & proquinquis, tũ legibus, tũ æquitati magistratuũ, tũ iudicijs uestris commendandũ putauit. hic istius scelerata locatione, nefarioq; latrocinio bonis patrijs, fortunisq; omnibus spoliatus uenit in iudiciũ: si nihil aliud, saltẽ ut eũ, cuius opera ipse multos annos est in foribus: paulo tamen obsoletius uestitũ uideret. Itaq; tibi Hortensi non illius ætas, sed causa: non uestitus, sed fortuna popularis uidebatur: neq; te tam cõmouebat: quod ille cum toga prætexta, quàm quod sine bulla uenerat. uestitus enim neminem commouebat is: quem illi mos, & ius ingenuitatis dabat. quod ornamentum puericiæ pater dederat, indicium, atq; insigne fortunæ: hoc ab isto prædone ereptum esse, grauiter, & acerbe homines ferebãt. neq; erãt hæ lachrymæ populares magis, quàm nostræ, quàm tuæ Q. Hortensi, quàm horum qui sententiam laturi sunt. ideo quod communis est causa: commune periculum: communi præsidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, restinguenda est. habemus enim liberos paruos: incertum est quàm longa nostrum cuiusq; uita futura sit: consulere uiui, ac prospicere debemus, ut illorum solitudo, & pueritia quamfirmissimo præsidio munita sit. quis est enim, qui tueri possit liberum nostrorum puericiam contra improbitatem magistratuũ? mater credo. scilicet magno præsidio fuit Anniæ pupillæ mater fœmina primaria: minus, illa deos hominesq; implorante, iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit. tutores ne defenderent? persacile uero, apud istiusmodi prætorem: à quo M. Marcelli tutoris in causa pupilli Iunij & oratio, & uoluntas, & authoritas repudiata est. quæremus etiam quid iste in ultima

Phrygia, quid in extremis Pamphyliæ partibus fecerit? qualis in bello prædonum prædo ipse fuerit? qui in foro Populi Romani pirata nefarius reperiatur? dubitamus quid iste in hostium præda molitus sit? qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubijs fecerit: qui maiore pecunia quatuor columnas dealbandas, quàm ille omnes ædificandas locauerit? expectemus quid dicant ex Sicilia testes? quis unquam templum illud aspexit? quin auaritiæ tuæ, quin iniuriæ, quin audaciæ testis esset? quis à signo Vertumni in circum maximum uenit, quin is unoquoque gradu de auaricia tua commoueretur? quam tu uiam thensarum, atq; pompæ eiusmodi exegisti: ut tu ipse illa ire non audeas. te putet quisquam, cum ab Italia freto disiũctus esses, socijs temperasse? qui ædẽ Castoris testem furtorum tuorum esse uolueris: quam populus Rom. quotidie, Iudices etiam tum, cum de te sententiam ferrent, uiderent. Atq; etiam iudicium in Prætura publicum exercuit. non enim prætereundum est ne id quidẽ. petita mulcta est apud istum prætorẽ à Q. Opimio: qui adductus in iudiciũ uerbo, quod cum esset Tr. plebis: intercessisset contra legem Corneliam: quod in Tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis uoluntatem. de quo iudicio si uelim dicere omnia: multi appellandi, ledendiq; sunt: quod mihi non est necesse. tantum dicam: paucos homines arrogantes hoc adiutore Q. Opimium per ludum, & iocum fortunis omnibus euertisse. is mihi etiam queritur: quod à nobis VIIII solis diebus prima actio sui iudicij transacta sit: cum apud ipsum tribus horis Q. Opimius Senator populi Ro. bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit. cuius propter indignitatem iudicij, sæpissime est actum

in Senatu: ut genus hoc totum mulctarum, ac iudiciorum eiusmodi tolleretur. Iam uero in bonis Q. Opimij uendendis quas iste prædas, quàm aperte, quàm improbe fecerit, longum est dicere. hoc dico: nisi uobis id hominum honestissimorum tabulis planum fecero: fingi à me hoc totum temporis causa putatote. Iam qui ex calamitate senatoris populi Ro. cum prætor iudicio eius præfuisset: spolia domum suam referre, & manubias detrahere, conatus est: is ullam ab sese calamitatem poterit deprecari? nam de subsortitione illa Iuniana iudicum nihil dico. quid enim? contra tabulas, quas tu protulisti, audes dicere? difficile est. non enim me tua solum, & iudicum authoritas, sed etiam annulus aureus scribæ tui deterret. non dicam id quod probare difficile est: hoc dicam, quod ostendam. multos ex te uiros primarios audisse: cũ diceres, ignosci tibi oportere: quod falsum codicem protuleris. nam qua inuidia C. Iunius conflagrarit: ea, nisi prouidisses: tibi ipsi tum perundum fuisset. hoc modo iste sibi, & saluti suæ prospicere didicit, referendo in tabulas, & priuatas & publicas quod gestum non esset: tollendo quod esset: & semper aliquid demendo, mutando, curando ne litura appareat, interpolando. eo enim usque progreditur: ut ne defensionem quidem maleficiorum suorum sine alijs maleficijs reperire posset. Eiusdem modi sortitionem homo amentissimus suorum quoque Iudicum fore putauit, per sodalem suum Q. Curtium Iudicem quæstionis: cui nisi ego ui populi, & hominum clamore, atque conuitio restitissem: ex hac decuria nostra cuius mihi copiam quàm largissime factam opor-

tebat: erepta esset facultas eorum: quos iste annumerat in suum consilium sine causa subsortiebatur.

Desideratur quippiam.

ACTIONVM IN C. VERREM

LIBER IIII. ORATIO VII.

MVLTA mihi necessario Iudices prætermittenda sunt: ut possim aliquo modo aliquando de his rebus, quæ meæ fidei commissæ sunt, dicere. recepi enim causam Siciliæ: ea me ad hoc negocium prouincia attraxit. ego tamen hoc onere suscepto. & recepta causa Sicilien si, amplexus animo sum aliquãto amplius. suscepi enim causam totius ordinis: suscepi causam populi romani: quod putabam tum deniq; recte iudicari posse: si nõ modo reus improbus adduceretur: sed etiam diligens, & firmus accusator ad iudicium ueniret. quo mihi maturius ad Siciliæ causam ueniendum est, relictis cæteris eius furtis, ac flagitijs: ut & uiribus quàm integerrimis agere: & ad dicendum temporis satis habere possim. Atq; adeo antequam de incommodis Siciliæ dico: pauca mihi uidentur esse de prouinciæ dignitate, uetustate, utilitate, dicenda. Nam cum omnium sociorum prouinciarumq; rationem diligenter habere debetis: tum præcipue Siciliæ iudices, plurimis, iustissimisq; de causis. primum quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemq; populi Ro. applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperij est, prouincia est appellata: prima docuit maiores nostros quàm præclarum esset exteris gentibus imperare: sola fuit ea fide, beneuolentiaq; erga populum Romanum: ut ciuitates eius insulæ, quæ semel in amicitiam nostram

ueniſſent: nunquam poſtea deficerent: pleræq; autem, & maxime illuſtres in amicitia perpetuo manerent. itaq; maioribus in Africam ex hac prouincia gradus imperij factus eſt. neq; enim tã facile opes Carthaginis tantæ concidiſſent: niſi illud, & rei frumentariæ ſubſidium, & receptaculum claſſibus noſtris pateret. quare P. Africanus Carthagine deleta, Siculorum urbes ſignis, monumentisq; pulcherrimis exornauit: ut quos uictoria populi Ro. maxime lætari arbitrabatur: apud eos monumenta uictoriæ plurima collocaret. deniq; ille ipſe M. Marcellus, cuius in Sicilia uirtutem hoſtes, miſericordiam uicti, fidem cæteri Siculi perſpexerunt: non ſolum ſocijs in eo bello conſuluit: uerum etiam ſuperatis hoſtibus temperauit: urbem pulcherrimam Syracuſas, quæ cum manu munitiſſima eſſet: tum loci natura, terra ac mari claudebatur: cum ui conſilioq; cœpiſſet: non ſolum incolumem paſſus eſt eſſe: ſed ita reliquit ornatam: ut eſſet idem monumentum uictoriæ, manſuetudinis, continentiæ: cum homines uiderent, & quid expugnaſſet: & quibus pepercisſet: & quæ reliquiſſet. tantum ille honorem Siciliæ habendum putauit: ut ne hoſtium quidem urbem ex ſociorum inſula tollendam arbitraretur. itaq; ad omnes res Sicilia prouincia ſemper uſi ſumus: ut quic quid ex ſeſe poſſet efferre: id non apud eos naſci, ſed domi noſtræ conditum putaremus. quando illa frumentũ, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus eſſe putaret, non ultro pollicita eſt? quando id, quod imperaretur, recuſauit? itaq; ille M. Cato ſapiens, cellam penariam Reip. noſtræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominauit. nos uero experti ſumus, italico maximo difficillimoq; bello Siciliam nobis non pro penaria cella ſed pro ærario illo maiorum uetere, ac referto fuiſſe. nam ſine ullo ſumptu noſtro corijs, tunicis, frumentoq; ſuppeditato, maximos exercitus noſtros ueſtiuit: aluit: armauit. quid illa? quod forſitan ne ſentimus quidem iudices, quanta ſunt? quod multis locupletioribus ciuibus utimur: quod habent propinquam fidelem, fructuoſamq; prouinciam: quo facile excurrant: ubi libenter negocium gerant. quos illa partim mercibus ſuppeditandis cum quæſtu compendioq; dimittit: partim retinet: ut arare, ut paſcere, ut negociari libeat: ut deniq; ſedes, ac domicilium collocare. quod commodum non mediocre populi Ro. eſt: tantum ciuium Ro. numerum, tam prope ab domo, tam bonis, fructuoſisq; rebus, detineri. Et quoniam quaſi quædam prædia populi Ro. ſunt, uectigalia noſtra, atq; prouinciæ: quemadmodum propinquis uos ueſtris prædijs maxime delectamini: ſic populo Ro. iucunda ſuburbanitas eſt huiuſce prouinciæ. Iam uero hominum ipſorum Iudices ea patientia, uirtus, frugalitasq; eſt: ut proxime ad noſtram diſciplinam illam ueterem, non hanc, quæ nunc increbuit, uideantur accedere. nihil cæterorum ſimile græcorum: nulla deſidia: nulla luxuria: contra ſummus labor in publicis, priuatisq; rebus: ſumma parſimonia: ſumma diligentia. ſic porrò noſtros homines diligunt: ut his ſolis neq; publicanus, neq; negociator odio ſit. magiſtratuum autem noſtrorum iniurias ita multorum tulerunt: ut nunquam ante hoc tempus ad aram legum, præſidiumq; ueſtrum publico conſilio confugerent. tametſi & illum annum pertulerant: qui ſic eos afflixerat: ut ſalui eſſe non poſſent: niſi C. Marcellus quaſi aliquo fato ueniſſet: ut bis ex eadem familia ſalus

Siciliæ constitueretur: postquam M. Antonij infinitum illud imperium senserant. Sic à maioribus suis accepe-rant: tanta populi Ro. in Siculos esse beneficia: ut etiam iniurias nostrorum hominum perferendas putarent. In neminem ciuitates ante hunc testimonium publice di xerunt. hunc deniq; ipsum pertulissent: si humano mo-do, si usitato more, si deniq; uno aliquo in genere peccas set. sed cum perferre non possent luxuriem, crudelita-tem, auariciam, superbiam: cum omnia sua commoda, iura, beneficia S. P. q; Ro. unius scelere ac libidine per-didissent: hoc statuerunt: aut istius iniurias per uos ul-cisci, & persequi: aut si uobis indigni essent uisi, qui-bus opem auxiliumq; ferretis: urbes ac sedes suas re-linquerent: quandoquidem iam ante istius iniurijs exa-gitati reliquissent. Hoc consilio à L. Metello legationes uniuersæ petiuerunt: ut quam primum isti succederet. hoc animo totiens apud patronos de suis miserijs deplo rarunt: hoc commoti dolore postulata consulibus, quæ non postulata, sed in istum crimina uiderentur esse, edi-derunt. fecerunt etiam, ut me, cuius fidē continentiamq; cognouerant: propè de uitæ meæ statu dolore, ac lachry mis suis deducerent: ut ego istum accusarem: à quo mea longissime ratio uoluntasq; abhorrebat. quanquam in hac causa multo pluris partes mihi defensionis, quàm accusationis suscepisse uideor. Postremo homines ex to-ta prouincia nobilissimi, primiq; publice priuatimq; ue nerunt: grauissima, atq; honestissima quæq; ciuitas uehe mentissime suas iniurias persecuta est. At quemadmo-dum Iudices uenerunt? uideor enim mihi liberius apud uos iam pro Siculis loqui debere: quàm forsitan ipsi ue-lint. saluti enim eorum potius consulam, quàm uolun-

tati. Ecquem existimatis unquam ulla in prouincia reum absentem, cõtra inquisitionem accusatoris, tantis opibus, tãta cupiditate esse defensum? quæstores utriusq; prouinciæ, qui isto Pr. fuerant: cum fascibus mihi præ-sto fuerunt. hi porrò, qui successerunt: uehementer istius cupidi liberaliter ex istius cibarijs tractati, non minus acres contra me fuerunt. uidete quid potuerit: qui qua-tuor in prouincia quæstores studiosissimos defensores, propugnatoresq; habuerit: prætorem uero, cohortemq; totam sic studiosam: ut facile appareret, non tam illis Siciliam, quam inanem offenderant: quàm Verrem ip-sum, qui plenus decesserat: prouinciam fuisse. minari Si-culis si decressent legationem, quæ contra istum diceret: minari, si qui essent profecti: alijs si laudarent benignis sime promittere: grauissimos priuatarum rerum testes, q̃bus nos præsentibus denunciauimus: eos ui custodijsq; retinere. quæ cum omnia facta sunt: tamen unam so-lam scitote esse ciuitatem Mamertinam, quæ publice le-gatos, qui istum laudarent, miserit. eius autem legatio-nis principem ciuitatis nobilissimum, C. Heium iuratũ dicere audistis: isti nauem onerariam maximam Mes-sanæ esse publice coactis operis ædificatam. idemq; Ma-mertinorum legatus, istius laudator, non solum istum bona sua, uerum etiam sacra, deosq; penates à maio-ribus traditos ex ædibus suis eripuisse dixit. præclara laudatio: cum duabus in rebus legatorum una opera consumitur: in laudando, atq; repetendo. Atq; ea ipsa ci uitas qua ratiõe illi amica sit: dicetur certo loco. reperie tis enim, quæ causæ beneuolentiæ sint Mamertinis erga istum: eas ipsas causas satis iustas esse damnationis. Alia ciuitas nulla Iudices publico consilio laudat. uis illa sum

mi imperij tantum potuit apud perpaucos homines, nõ ciuitates: ut aut leuissimi quidam ex miserrimis, desertissimisq; oppidis inuenirẽtur: qui iniussu populi, ac senatus proficiscerentur: aut hi qui contra istum legatos decreuerant: & testimonium publicum, mandataq; acceperant: ui ac metu retinerentur. quod ego in paucis tamen usu uenisse non moleste fero: quo reliquæ tot, & tantæ, & tam graues ciuitates, tota deniq; Sicilia plus authoritatis apud uos haberet: cum uideretis nulla ui retineri: nullo periculo prohiberi posse: quo minus experirentur: ecquid apud uos quærimoniæ ualerẽt antiquissimorum, fidelissimorumq; sociorum. nam quod fortasse non nemo uestrum audierit: istum à Syracusanis publice laudari: id tametsi priore actione ex Heraclij Syracusani testimonio cuiusmodi esset cognouistis: tamen uobis alio loco, ut se totas res habeat: quod ad eam ciuitatem attinet, demonstrabitur. intelligetis enim nullis hominibus quenquam tanto odio, quanto istum Syracusanis esse, & fuisse. At enim istum soli Siculi persequuntur: Ciues Ro. qui in Sicilia negociantur, defendunt: diligunt: saluum esse cupiunt. primum si ita esset: tamen uos in quæstione de pecunijs repetundis, quæ socio rum causa constituta est: lege iudicioq; sociali. sociorum quærimonias audire oporteret. sed intelligere potuistis priore actione ciues Ro. ex Sicilia plurimos, honestissimos, maximis de rebus & quas ipsi accepissent iniurias, & quas scirent alijs esse factas, pro testimonio dicere. Ego hoc quod intelligo Iudices, sic confirmo. Videor mihi gratum feciſſe Siculis: quod eorum iniurias meo labore, inimicitias periculo sim persequutus. non minus hoc gratum me nostris ciuibus intelligo feciſſe:

qui hoc existimant: iuris, libertatis, rerum, fortunarũq; suarum salutem, in istius damnatione consistere. Qua propter de istius Prætura Sicilienſi non recuſo, quin ita me audiatis: ut ſi cuiquam generi hominum, ſiue Siculorum, ſiue noſtrorum ciuium, ſiue cuiquam ordini, ſiue aratorum, ſiue pecuariorum, ſiue mercatorum probatus ſit: ſi non horum omnium cõmunis hoſtis prædoq; fuerit: ſi cuiquam deniq; ulla in re unquam temperauit: ut uos quoq; temperetis. qui ſimulatq; ei ſorte prouincia Sicilia obuenit: ſtatim Romæ, & ab urbe antequam proficiſceretur: quærere ipſe ſecum, & cogitare cum ſuis cœpit: quibuſnam rebus in ea prouincia maximam uno anno pecuniam facere poſſet. nolebat in agendo diſcere. tametſi non prouinciæ rudis erat, & tyro. ſed in Siciliam paratus ad prædam, meditatusq; uenire cupiebat. O præclare coniectum à uulgo in illam prouinciam omen communis famæ, atq; ſermonis: cum ex nomine iſtius, quid in prouincia facturus eſſet, perridiculi homines augurabantur. etenim quis dubitare poſſet: cum iſtius in quæſtura fugam, & furtum recognoſceret: cum in legatione oppidorum, fanorumq; ſpoliationes cogitaret: cum uideret in foro latrocinia Prætura: qualis iſte in quarto actu improbitatis futurus eſſet? Atq; ut intelligatis eum Romæ quæſiſſe nonmodo genera furandi, ſed etiam nomina: certiſſimum accipite argumẽtũ: quo facilius de ſingulari eius impudentia exiſtimare poſſitis. Quo die Siciliam tetigit: uidete ſatis ne paratus ex illo omine urbano ad euertendam prouinciam uenerit: ſtatim Meſſana literas Haleſam mittit: quas ego iſtum in Italia ſcripſiſſe arbitror. nam ſimulatq; è naui egreſſus eſt: dedit

operam ut Halesinus ad se Dio continuo ueniret: se de hæreditate uelle cognoscere: quæ eius filio à propinquo homine Apollodoro Laphirone uenisset. ea erat Iudices pergrandis pecunia. hic est Dio Iudices nunc beneficio Q. Metelli ciuis Ro. factus: de quo multis uiris primarijs testibus, multorũq; tabulis uobis priore actione satisfactum est, HS undecies numeratum esse: ut eam causam, in qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse, isto cognoscente obtineret. præterea greges nobilissimarum equarum abactos: argenti, uestisq; stragulæ, domi quod fuerit, esse direptum. ita HS undecies Q. Dionem, quod hæreditas ei obuenisset: nullam aliam ob causam, perdidisse. quid? hæc hæreditas quo prætore Dionis filio uenerat? eodem, quo P. Annij Senatoris filiæ: eodem, quo M. Liguri senatori: C. Sacerdote Prætore. quid? tum nemo molestus Dioni fuerat? non plus, quàm Liguri Sacerdote prætore. quid? ad Verrem quis detulit? nemo: nisi forte existimatis ei quadruplatores ad fretum præsto fuisse. ad urbem cum esset. audiuit Dioni cuidam Siculo permagnam uenisse hæreditatem: hæredem statuas iussum esse in foro ponere: nisi posuisset: Veneri Erycinæ esse mulctatum. tametsi positæ essent ex testamento: putabat tamen, quoniam Veneris nomen esset: causam pecuniæ se reperturum. itaq; apponit qui petat Veneri Erycinæ illam hæreditatem. nõ enim quæstor petit, ut est cõsuetudo is, qui Erycũ montem obtinebat. petit Neuius Turpio quidam istius excursor & emissarius, homo omnium exillo conuentu quadruplatorum deterrimus, C. Sacerdote Prætore condemnatus iniuriarum. etenim erat eiusmodi causa: ut ipse prætor cum quæreret calumniatorem: paulo tamen consideratiorem

men consideratiorem reperire non posset. hunc hominem Veneri absoluit: sibi condemnat: maluit uidelicet homines peccare, q̃ deos: se potius à Dione, quod non licebat: quàm Venerem, quod non debebatur. auferre. Quid ego nunc hic Sex. Pompeij Chlori testimonium recitem? qui causam egit Dionis: qui omnibus rebus interfuit: hominis honestißimi: tametsi ciuis Ro. uirtutis causa iã diu est: tamen omnium Siculorum primi, ac nobilißimi. quid ipsius Q. Cecilij Dionis hominis probatißimi, ac prudentißimi? quid L. Vetecilij Liguris, T. Manlij, L. Caleni? quorum omnium testimonijs de hac Dionis pecunia confirmatum est. dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incõmodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset: iam ante cognosse. quid? Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius hæc cognouit: quàm tu Hortensi, qui Romæ fuisti? ad quem Dio confugit: qui de Dionis iniurijs grauißime per literas cum Verre questus es? noua tibi hæc sunt, & inopinata? nunc primum hoc aures tuæ crimen accipiunt? nihil de Dione? nihil de socru tua fœmina primaria Seruilia uetere Dionis hospita audisti? nonne multa mei testes, quæ tu scis, nesciunt? nonne te mihi testem in hoc crimine eripuit, non istius innocentia, sed legis exceptio? TESTIMONIA M. LVCVLLI CHLORI, DIONIS. Satis ne uobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonis sinu in prouinciam profectus esset: Veneris nomine quæsisse uidetur? Accipite aliam in minore pecunia non minus impudentem calumniam. Sosippus, & Epicrates fratres sunt Agyrinenses. horũ pater ab hinc duo & XX annos est mortuus. in cuius testamento quodam loco si commissum quid esset; mulcta erat Veneri.

ipse XX annos, cum tot interea Prætores, tot quæstores, tot calumniatores in prouincia fuissent: hæreditas ab his Veneris nomine petita non est. causam Verres cognoscit: per Volcatium pecuniam accepit, ferè ad HS CCCC millia ab duobus fratribus. multorum testimonium audistis antea. uicerunt Agyrinenses fratres, ita, ut egentes inanesq; discederent. At enim ad Verrem pecunia ista non peruenit. quæ est ista defensio? utrum asseueratur in hoc, an tentatur? mihi enim res noua est. Verres calũniatores apponebat: Verres adesse iubebat: Verres cognoscebat: Verres iudicabat: pecuniæ maximæ dabantur: qui dabant, causas obtinebant: tu mihi ita defendas? non est ista Verri numerata pecunia. adiuuo te: mei quoq; testes idem dicunt: Volcatio dicunt sese dedisse. quæ uis erat Volcatio tanta? ut HS CCCC millia, à duobus hominibus auferret? & qs Volcatio, si sua sponte uenisset: unam libellam dedisset? ueniat nunc: experiatur: tecto recipiet nemo. at ego amplius dico. HS quadringenties accepisse te arguo cõtra leges: nego tibi ipsi ullum nummum esse numeratum. sed cum ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata, pecuniæ dabantur. non erat quærendum cuius manu numerarentur: sed cuius iniuria cogerentur. comites illi tui delecti, manus erant tuæ: Præfecti, Scribæ, Medici, Accensi, Aruspices, Præcones, manus erãt tuæ: quo quisq; te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat: ita maxime manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit: quàm si centum cohortes fugitiuorũ fuissent: tua manus sine controuersia fuit. quid ab horum quopiam captum est: id nonmodo tibi datum, sed tua manu numeratum iudicari necesse est. nam si hanc

defensionem probabitis: non accepit ipse: licet omnia de pecunijs repetundis iudicia tollatis: nemo unquam tam reus, tam nocens adducetur: qui ista defensione nõ possit uti. etenim cum Verres utatur: quis erit unquam post hac reus tam perditus: qui non ad Q. Mutij innocentiam referatur: si cum isto conferatur? neq; nunc tam mihi isti Verrem defendere uidentur: quàm in Verre defensionis tentare rationem. Qua de re Iudices uobis magnopere prouidendũ est. pertinet hoc ad summam Reipublicæ, & ad existimationem ordinis, salutemq; sociorum. si enim innocentes existimari uolumus: non solum nos abstinentes, sed etiã nostros comites præstare debemus. Primum omnium opera tanta danda est: ut eos nobiscum ducamus, qui nostræ famæ capitiq; cõsulant. deinde si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefellerit: ut uindicemus, missos faciamus: semp ita uiuamus, ut rationem reddendam nobis arbitretur. Africani est hoc hominis liberalissimi, ueruntamen ea liberalitas est probanda: quæ sine periculo existimationis est: ut in illo fuit. Cum ab eo quidã uetus assectator ex numero amicorum non impetraret: ut se præfectum in Africam duceret: & id ferret molestè: noli inquit mirari, si tu à me hoc non impetras: ego iampridem ab eo, cui meam existimationem caram fore arbitror: peto, ut mecum præfectus proficiscatur: & adhuc impetrare non possum. etenim re uera multo maius est petendum ab hominibus, si salui esse uolumus: ut eant nobiscum in prouinciam: quàm hoc illis in beneficij loco deferendum. Sed tu, cum & tuos amicos in prouinciam quasi in prædam inuitabas, ac cum illis, ac per eos prædabare: & eos in concione annulis aureis donabas: non statuebas tibi non sc-

lum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam? Cum hos sibi quæstus cõstituisset magnos atq; uberes, ex his causis, quas ipse instituerat in cõsilio, hoc est cum sua cohorte cognoscere: tum infinitum genus iuenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendã. Dubium nemini est: quin omnes omniũ pecuniæ positæ sint in eorum potestate, qui iudicia dant: & eorum qui iudicant: quin nemo nostrum possit ædes suas, nemo fundũ, nemo bona patria obtinere: si cum hæc à quopiam uestrum petita sunt: prætor improbus, cui nemo intercedere possit: det quem uelit iudicem: iudex nequam & leuis, quod prætor iusserit, iudicet: si uero illud quoq; accidet: ut prætor in ea uerba iudicium det: ut uel Octauius Balbus iudex, homo & iuris, & officij peritissimus non possit aliter iudicare: sit eiusmodi L. Octauius iudex. esto, si apparet fundum Capenatem quo de agitur ex iure æquum P. Seruilij esse: neq; is fundus Q. Catulo restituetur: non necesse erit L. Octauio iudici cogere P. Seruilium Q. Catulo fundum restituere? aut condemnare eum: quem non oporteat? eiusdemmodi totum ius prætorium, eiusdemmodi omnis res iudiciaria fuit in Sicilia per triennium Verre Prætore. decreta eiusmodi. SI NON ACCIPIT QVOD TE DEBERE DICIS, ACCVSES. SI PETITVR, DVCAS. C. Fusicium duci iussit petitorem: L. Suetium, L. Racilium. iudicia huiusmodi. QVI CIVES RO. ERANT. SI SICVLI ESSENT, TVM SI EORVM LEGIBVS DARI OPORTERET. QVI SICVLI SI CIVES RO. ESSENT. Verum ut totum genus amplectamini iudiciorum: prius iura Siculorum, dein

de istius instituta cognoscite. Siculi hoc iure sunt: ut qđ ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus. quod Siculus cum Siculo non eiusdem ciuitatis, ut de eo prætor iudices ex P. Rupilij decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem Siculi Rupiliam uocant, sortiatur. quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato: senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur: cĩ alternæ ciuitates reiectæ sunt. quod ciuis Romanus à Siculo petit: Siculus iudex datur. quod Siculus à ciue Romano, ciuis Ro. datur. cæterarum rerum selecti Iudices ex ciuium Romanorum conuentu proponi solent. Inaratores & decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant: iudicia fiunt. Hæc omnia isto prætore nonmodo perturbata, sed planè & Siculis, & ciuibus Ro. erepta sunt. Primum suæ leges, quod ciuis cum ciue ageret: aut eum iudicem, quem commodũ erat: præconem, Aruspicem, Medicum suum dabat: aut si legibus erat iudicium constitutum: & ad ciuem suum iudicem uenerant: libere ciui iudicare non licebat. Edictum enim hominis cognoscite: quo edicto omnia iudicia redegerat in suam potestatem. siquis perperam iudicasset, se cogniturum: cum cognosset, animaduersurum. idq; cum faciebat: nemo dubitabat, quin cum iudex alium de suo iudicio putet iudicaturum: seq; in eo capitis periculum aditurum: uoluntatem spectet eius, quem statim de capite suo putet iudicaturum. Selecti è cõuentu, aut propositi ex negociatoribus iudices, nulli. hæc copia, quã dico iudicum, cohors non Q. Scæuolæ, qui tamen de cohorte sua dare nõ solebat: sed C. Verris. cuiusmodi cohortẽ putatis hoc principe fuisse? sicuti uidetis edictũ. SIQVID PERPERAM IVDICARIT SENATVS.

eum quoq; ostendã, si quàdo sit datus: coactu istius quod nõ senserit, iudicasse. Ex lege Rupilia sortitio nulla: nisi cũ nihil intererat istius. lege Hieronica iudicia plurimarũ cõtrouersiarũ sublata uno nomine oĩa. de cõuentu, ac negociatoribus nulli Iudices. quantã potestatẽ habuerit uidetis: quas res gesserit cognoscite. Heraclius est Hieronis filius Syracusanus, homo imprimis domi suæ nobilis, & ante hũc Pr. uel pecuniosissimus Syracusanorum: nunc nulla alia calamitate, nisi istius auaritia, atq; iniuria pauperrimus. huic hæreditas facile ad HS tricies uenit testamento propinqui sui Heraclij: plena domus cælati argenti optimi, multæq; stragulæ uestis, pretiosissimorũq; mancipiorum. quibus in rebus istius cupiditates, & insaniam quis ignorat? erat in sermone res: magnam Heraclio pecuniam uenisse: non solum Heraclium diuitem, sed etiam ornatum supellectili, argento, ueste, mancipijs futurum. audit hæc etiam Verres: & primo, illo suo leuiore artificio Heraclium aggredi conatur: ut eum roget inspicienda, quæ non reddat. deinde à quibusdam Syracusanis admonetur. hi autem quidam erant affines istius, quorum uxores iste nunquam alienas existimauit, Cleomenes, et Aeschrio: qui quantũ apud istum, & quàm turpi de causa potuerint: ex reliquis criminibus intelligetis. hi ut dico hominem admonent: rem esse præclarã, refertam omnibus rebus: ipsum autem Heraclium hominem esse maiorem natu, non promptissimum: & eum præter Marcellos, patronum, quem iure suo adire, aut appellare posset, habere neminem: esse in eo testamento, quo ille hæres esset, scriptum: ut statuas in palæstra deberet ponere. faciemus ut palæstritæ negent ex testamento esse positas: petant hæredita

tem: quod eam palæstræ commisisse dicãt. placuit ratio Verri. nam hoc animo prouidebat: cum tanta hæreditas in controuersiam uenisset, iudicioq; peteretur: fieri non posse, ut sine præda ipse discederet. approbat cõsilium: author est ut quamprimũ agere incipiãt: hominẽq; id ætatis minime litigiosum quamtumultuosissime adoriantur. scribitur Heraclio dica. primo mirãtur omnes improbitatem calumniæ. deinde, qui istum nossent, partim suspicabantur: partim planè uidebant adiectũ esse oculum hæreditati. interea dies aduenit: quo die sese ex instituto, ac lege Rupilia dicas sortiturum Syracusis iste edixerat: paratus ad hanc dicam sortiendam uenerat. tum eum docet Heraclius non posse eo die sortiri: quod lex Rupilia uetaret diebus XXX sortiri dicam, quibus scripta esset. dies XXX nondum fuerant. sperabat Heraclius. si illum diem effugisset: ante alteram sortitionem Q. Arrium, quem prouincia tum maxime expectabat, successurum. iste omnibus iudicijs diem distulit: & eam diem constituit: ut hanc Heraclij dicam sortiri post dies XXX ex lege posset. postea quam ea dies uenit: iste incipit simulare se uelle sortiri: Heraclius cum aduocatis adit, & postulat: ut sibi cum palæstritis, hoc est cũ populo Syracusano æquo iure disceptare liceat. aduersarij postulant: ut in eam rem iudices dentur ex his ciuitatibus, quæ in id forum conuenirent, electi qui Verri uiderentur. Heraclius contra ut iudices è lege Rupilia dentur: ut ab institutis superiorum, ab authoritate Senatus, ab iure omnium Siculorum ne recedatur. Quid ego istius in iure dicendo libidinem demonstrem? quis uestrũ non ex urbana iurisdictione cognouit? quis unquam isto Prætore Chelidone inuita lege agere po-

tuit? non iſtum ut non neminem prouincia corrupit: idem fuit qui Romæ. cum id, quod omnes intelligebant, diceret Heraclius: ius eſſe certum Siculis, inter ſe quo iure certarent: legem eſſe Rupiliam, quã prætor Rupilius ex S. C. de decem legatorum ſententia dediſſet: hoc omnes ſemper in Sicilia Conſules Prætoresq; ſeruaſſe: negauit ſe Iudices è lege Rupilia ſortiturũ: quinq; Iudices, quos commodũ ipſi fuit, dedit. quid huic homini facias? quod ſupplicium dignum libidini eius inuenies? præſcriptũ tibi cum eſſet homo deterrime, & impudentiſſime quemadmodum inter Siculos Iudices dares: cum imperatoris Po. Ro. authoritas, legatorum decem ſummorum hominum dignitas, Senatus C. intercederet: cuius conſulto P. Rupilius Prætor ex legatorum ſententia leges in Sicilia cõſtituerat: cum omnes ante te prætores Rupilias leges in cæteris rebus, et in iudicijs maxime obſeruaſſent: tu auſus es pro nihilo præ tua præda tot res ſanctiſſimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus exiſtimationis pudor? nullus iudicij metus? nullus apud te grauis authoritas? nullum exemplum, quod ſequi uelles? Verum ut inſtitui dicere, quinque iudicibus nulla lege, nullo inſtituto, nulla religione, nulla ſorte, ex libidine iſtius datis, non qui cauſam cognoſcerent: ſed qui, quod imperatum eſſet, iudicarent: eo die nihil actũ eſt: adeſſe iubentur poſtridie. Heraclius interea cum omnes inſidias à prætore fortunis ſuis fieri uideret: cæpit conſilium de amicorum, & propinquorum ſententia, non adeſſe ad iudicium. itaque Syracuſis illa nocte profugit. iſte poſtero die mane, cum multo maturius, q̃ unquam antea, ſurrexiſſet: Iudices citari iubet. ubi comperit Heraclium non adeſſe: cogere incipit eos: ut abſentem Heraclium condemnarent. illi eum commoneſaciunt: ut, ſi ei uideatur, utatur inſtituto ſuo: nec cogat ante horam decimam de abſente, ſecundum præſentem iudicare. impetrant. interea ſanè perturbatus & ipſe, & eius amici, & conſiliarij, moleſte ferre cœperunt, Heraclium profugiſſe: putabãt abſentis damnationem, præſertim tantæ pecuniæ, multo inuidioſiorem fore: quam ſi præſens damnatus eſſet. eò accedebat, quod iudices è lege Rupilia dati non erant: multo etiam rem turpiorem & iniquiorem uiſum iri intelligebant. itaq; hoc dum corrigere uult: apertior eius cupiditas, improbitasq; facta eſt. nam illis quinque iudicibus uti ſeſe negat: iubet id, quod initio è lege Rupilia fieri oportuerat: citari Heraclium, & eos qui dicam ſcripſerant: aitq; ſe iudices è lege Rupilia uelle ſortiri. quod ab eo pridie, cum multis lachrymis eum oraret, atq; obſecraret Heraclius: impetrare non potuerat: id ei poſtera die uenit in mentem: è lege Rupilia ſortiri dicas oportere. educit ex urna tres. ijs ut abſentem Heraclium cõdemnent, imperat. itaq; condemnant. Quæ malum iſta fuit amentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putaſti? ecquando de his rebus tales uiros audituros exiſtimaſti? petatur hæreditas ea, quæ nulla debetur, in prædam prætoris? interponatur nomen ciuitatis? imponatur honeſtæ ciuitati turpiſſima perſona calumniæ? neq; hoc ſolum: ſed ita res agitur: ut ne ſimulatio quidem æquitatis ulla adhibeatur. nam per deos immortales, quid intereſt: utrum prætor imperet, uiq; cogat aliquem de ſuis bonis omnibus decedere? an huiuſmodi iudicium det: quo iudicio indicta cauſa fortunis omnibus euerti neceſſe ſit? profecto enim ne-

gare non potes: te ex lege Rupilia sortiri iudicium debuisse: cum præsertim Heraclius id postularet. sin illud dices, te Heraclij uoluntate ab lege receßisse: ipse te impedies: ipse tu tua defensione implicabere. quare enim primum ille ipse adesse noluit: cum ex eo numero iudices haberet: quos postularat? deinde tu cur post illius fugam iudices alios sortitus es: si eos, qui erant antea dati, utriusq; dederas uoluntate? deinde cæteras dicas omnes illo foro M. Postumius quæstor sortitus est: hanc solam tu illo conuentu reperiere sortitus. ergo inquiet aliquis donauit populo Syracusano illam hæreditatem. primum si id cõfiteri uelim, tamen istum condemnetis necesse est. neq; enim permissum est: ut impune nobis liceat: quod alicui eripuerimus, id alteri tradere. uerum ex ista reperietis hæreditate ita istum prædatum: ut perpauca occulte fecerit: populum quidem Syracusanum in maximam inuidiam sua infamia alieno præmio peruenisse: paucos Syracusanos, eos qui se nunc publice laudationis causa uenisse dicunt: & tunc participes prædæ fuisse: & nunc non ad istius laudationem, sed ad communem litium æstimationem uenisse. Postquam damnatus est absens: non solum illius hæreditatis, de qua ambigebatur: quæ erat HS tricies: sed omnium bonorum paternorum ipsius Heraclij, quæ non minor erat pecunia: palæstræ Syracusanorum hoc est Syracusanis possessio traditur. quæ est ista Prætura? eripis hæreditatem: quæ uenerat à propinquo: uenerat testamẽto: uenerat legibus: quæ bona, is qui testamentum fecit, huic Heraclio, antequam est mortuus, omnia utenda ac possidenda tradiderat: cuius hæreditatis, cum ille aliquanto ante te prætorem esset mortuus: cõtrouer

sia fuerat nulla: mentionem fecerat nemo. uerum esto, eripe hæreditatẽ propinquis: da palæstritis: prædare in bonis alienis nomine ciuitatis: euerte leges, testamenta, uoluntates mortuorum, iura uiuorum: num etiam patrijs Heraclium bonis exturbare oportuit? qui simul ac profugit: quàm impudenter, quàm palàm, quàm acerbe dij immortales illa bona direpta sunt: quàm illa res calamitosa Heraclio, quæstuosa Verri, turpis Syracusanis, miseranda omnibus uidebatur. nam illud quidem statim curatur: ut quicquid cælati argenti fuit in illis bonis, ad istum deferatur: quicquid Corinthiorum uasorum, stragulæ uestis. hæc nemo dubitabat, quin nonmodo ex illa domo capta, & oppressa: uerum ex tota prouincia ad istum comportari necesse esset. mancipia quæ uoluit abduxit: alia diuisit: auctio facta est: in qua cohors istius inuicta dominata est. uerum illud est præclarum. Syracusani qui præfuerant his Heraclij bonis uerbo redigendis, re dispertiendis: reddebant eorum negociorum rationem in Senatu: dicebant scyphorum paria complura, hydrias argenteas, preciosam uestem stragulam, multa mancipia preciosa Verri data esse: dicebant quantum cuiq; eius iussu nummorum esset datum. gemebant Syracusani: sed tamen patiebantur. repente recitatur, uno nomine HS CCL millia iussu prætoris data. fit maximus clamor omnium, nonmodo optimi cuiusq;, neq; eorum, quibus indignum semper uisum erat bona priuati, populi nomine per summam iniuriam erepta: uerum etiam ipsi illi authores iniuriæ, & ex aliqua particula socij prædæ, ac rapinarum, clamare cœperunt: sibi ut haberet hæreditatem. tantus in curia clamor factus est: ut populus concurre-

ret. res ab omni conuentu cognita celeriter domum nunciatur. homo inimicus ijs, q recitassent: hostis omnibus, qui acclamassent: exarsit iracundia, ac stomacho. uerum tamen fuit tum sui dissimilis: nostis os hominis: nostis audaciam: tamen tum rumore populi, & clamore, & furto manifesto grandis pecuniæ perturbatus est. ubi se collegit: uocat ad se Syracusanos. quia non posset negare ab illis pecuniam datam: non quæsiuit procul alicunde: neq; enim probaret, sed proximum penè alterum filium, quem illam pecuniam diceret abstulisse: ostendit se reddere coacturum. qui posteaquam id audiuit: habuit dignitatis, & ætatis, & nobilitatis suæ rationem: uerba apud Senatum fecit: docuit ad se nihil pertinere: de isto, id quod omnes uidebant, neq; ille quidem obscure, locutus est. itaq; illi Syracusani statuam poste a statuerunt: & is ubi primum potuit: istum reliquit, de prouinciáq; decessit. & tamen aiunt eum queri solere nonnunquam, se miserum: quod non suis, sed suorum comitum peccatis, & criminibus prematur. triennium prouinciam obtinuisti: gener electus adolescens unum annum tecum fuit: sodales uiri fortes legati tui primo anno te reliquerunt: unus legatus P. Tadius, qui erat reliquus: non ita multum tecum fuit: qui si semper una fuisset: tamen summa curatum tuæ, tum multo etiam magis suæ famæ pepercisset. Quid est quod tu alios accuses? qd est quamobrem putes, te tuam culpam nonmodo deriuare in aliquem: sed communicare cum aliquo posse? numerãtur illa HS ducenta quinquaginta Syracusanis. ea quemadmodum ad istum postea per pseudotyrum reuertantur: tabulis, uobis & testibus Iudices planum faciam. Ex hac iniquitate istius, & improbitate Iudices,

quod præda ex illis bonis ad multos Syracusanos inuito populo Senatuq; Syracusano uenerat: & illa scelera, quoq; per Theomnastum & Aeschrionem & Dionysodorũ & Cleomenem inuitissima ciuitate facta sunt: primum ut urbs tota spoliaretur: qua de re alius mihi locus ad dicendum est constitutus: ut omnia signa iste per eos homines, quos nominaui: omne ebur ex ædibus sacris, omnes undiq; tabulas pictas, deorum deniq; simulacra quæ uellet auferret: deinde ut in curia Syracusis, quem locum illi Buleuteriũ uocãt: honestissimo loco & apud illos clarissimo, sub illius ipsius M. Marcelli, qui cum Syracusanis locum eum eripere belli ac uictoriæ lege posset, conseruauit, & reddidit, statua ex ære facta: ibi inauratam isti, & alteram filio statuam posuerunt. ut dum istius hominis memoria maneret: Senatus Syracusanus sine lachrymis & gemitu in curia esse non posset. per eosdem istius iniuriarum furtorum uxorumq; socios istius imperio Syracusis Marcellea tolluntur maximo gemitu, luctuq; ciuitatis: quem illi diem festum cum recentibus beneficijs M. Marcelli debitum reddebant: tum generi, nomini, familiæ Marcellorum maxima uoluntate tribuebant. Mitridates in Asia, cum eam prouinciam totam occupasset: Mutia non sustulit. hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus, & immanis, tamen honorem hominis deorum religione consecratum uiolare noluit, tu Syracusanis unum diem festum Marcellis impertiri uetuisti: per quos illi adepti sunt: ut cæteros dies festos agere posint. At uero præclarum diem reposuisti: Verrea ut agerent: & ut ad eum diem quæ sacris, epulisq; opus essent, in complures annos locarentur. Iam in tanta istius impuden-

tia remittendum aliquid uidetur: ne omnia contenda-
mus: ne omnia cum dolore agere uideamur. nam me di-
es, uox, latera deficiant: si hoc nunc uociferari uelim: q̃
miserum indignumq; sit: istius nomine apud eos diem
festum esse: qui sese istius opera funditus extinctos esse ar
bitrentur. O Verrea præclara: quoquam si acceßisti:
quo non attuleris tecum istum diem. etenim quam tu
domum, quam urbem adisti? quod fanum deniq;? quod
nõ euersum, atq; extersum reliqueris? quare appellẽtur
sanè ista Verrea: quæ nõ ex nomine, sed ex manibus, na-
turaq; tua constituta esse uideantur. Quam facile serpat
iniuria: & peccandi consuetudo quàm non facile repri
matur, uidete Iudices. Bidis oppidum est tenue sanè, non
longe à Syracusis. huius longe primus ciuitatis est Epi-
crates quidam. huic hæreditas HS quingentorum mil-
lium uenerat à muliere quadam propinqua, atq; ita
propinqua, ut ea etiam si intestata esset mortua: Epicra
tem Bidinorum legibus hæredem esse oporteret. recens
Syracusana erat illa res, quam ante demonstraui: de He-
raclio Syracusano: qui bona non perdidisset: nisi ei ue-
nisset hæreditas. huic quoq; Epicrati uenerat, ut dixi,
hæreditas. cogitare cœperunt eius inimici nihilo minus
eodem prætore hunc euerti bonis posse: quo Heraclius
esset euersus. rem occulte instituunt: ad Verrem per
eius interpretes deferunt: ita causa componitur: ut item
palæstritæ Bidenses peterent ab Epicrate hæreditatem:
quemadmodum palæstritæ Syracusani ab Heraclio pe-
tissent. nunquam uos prætorem tam Palæstricum uidi-
stis. uerum ita palæstritas defendebat: ut ab illis ipse
unctior discederet. q̃ statim cum præsensisset iubet cui-
dam suorum amicorũ numerari HS LXXX. res occul-

tari satis non posse. per quendam eorum, qui interfue-
rat, fit Epicrates certior. primo negligere, & contemne
re cœpit: quod causa prorsus, quod dubitari posset, nihil
habebat. deinde cum de Heraclio cogitaret: & istius li-
bidinem nosset: commodißimum putauit esse, de prouin
cia clàm abire. itaq; fecit: profectus est Rhegium. quod
ubi auditum est: æstuare illi qui dederant pecuniam: pu-
tare nihil agi posse absente Epicrate. nam Heraclius tũ
affuerat: cum primum dati sunt iudices. de hoc, qui
antequam in ius aditum esset: antequam deniq; mentio
controuersiæ facta esset, discesßisset: putabant nihil agi-
posse. homines Rhegium proficiscuntur. Epicratem con
ueniunt: demonstrant id, q̃d ille sciebat: se HS LXXX
dedisse: rogant eum ut id, quod ab ipsis abisset pecuniæ,
curet: ab sese caueat quemadmodum uelit, de illa hære-
ditate cum Epicrate neminem esse acturum. Epicra-
tes homines multis uerbis male à se acceptos dimisit. re-
deunt illi Rhegio Syracusas: queri cum multis, ita ut
fit, incipiunt: sese HS LXXX nummum frustra de-
disse. res percrebuit: in ore, atq; sermone omnium cœ-
pit esse: Verres refert illam suam Syracusanam: ait sese
uelle de illis HS LXXX cognoscere: aduocat multos:
dicunt Bidini Volcatio se dedisse: illud non addunt, ius-
su istius. Volcatium uocat: pecuniam referri imperat.
Volcatius animo æquißimo nummos affert: qui nihil
amitteret: reddit inspectantibus multis: Bidini nummos
auferunt. dicet aliquis: quid ergo in hoc Verrem repræ
hendis? qui non modo ipse fur non est: sed ne alium qui-
dem passus est esse. attendite, iam intelligetis hanc pecu
niam qua uia modo uisa est exire ab isto: eadem se-
mita reuertisse. quid enim debuit prætor? cum con-

filio re cognita cum comperisset, suum comitem iuris, decreti, iudicij corrumpendi causa, qua in re ipsius prætoris caput, existimatioq; ageretur: pecuniam accepisse? Bidinos autem contra prætoris famam, ac fortunas dedisse? non & in eum, qui accepisset, animaduertisse? et in eos, qui dedissent? tu qui instituer as in eos animaduertere, qui perperam iudicassent? quod sæpe per imprudentiam fit: hos pateris impune discedere? qui ob tuum decretum, ob tuum iudicium, pecuniam aut dandam, aut accipiendam putarant? Volcatius idem apud te postea fuit, eques romanus tanta accepta ignominia. nam quid est turpius ingenuo? quid minus libero dignum? quàm in cõuentu maximo cogi à magistratu furtum reddere? qui si eo animo esset: quo nonmodo eques Romanus, sed quiuis liber debet esse: aspicere te postea non potuisset: inimicus, hostis esset, tanta cõtumelia accepta: nisi tecũ collusisset: & tuæ potius existimationi seruisset: quàm suæ. qui quàm tibi amicus nõmodo tum fuerit: quamdiu tecum in prouincia fuit: uerum etiam nunc sit: cum iam à cæteris amicis sis relictus: & tu intelligis, & nos existimare possumus. An hoc solum argumentum est, nihil isto imprudente factum? quod Volcatius ei non succensuit: quod iste nec in Volcatium, nec in Bidinos animaduertit? est magnum argumentum: uerum illud maximum: quod illis ipsis Bidinis, quibus iratus esse debuit: à quibus comperit, quod iure agere cum Epicrate nihil possent, etiam si adesset: iccirco suum decretum pecunia esse tentatum: his inquam ipsis nonmodo illam hæreditatem, quæ Epicrati uenerat: sed ut in Heraclio Syracusano, item in hoc, paulo etiam atrocius, quod Epicrates appellatus omnino non erat: bona patria, fortunasq; eius

nasq; eius, Bidinis tradidit. ostendit enim nouo modo, si quis quid absente peteret, se auditurum. adeunt Bidini: petunt hæreditatem: procuratores postulant, ut se ad leges suas reijciat: aut ex lege Rupilia dicam scribi iubeat. aduersarij non audebant contradicere: exitus nullus reperiebatur. insimulant hominem fraudandi causa discessisse: postulant ut bona possidere liceat. debebat Epicrates ullum nummum nemini. amici, si quis quid peteret iudicio: se passuros, iudicatũ solui satisdaturos esse dicebant. cum omnia iudicia frigerent: admonitu istius insimulare cœperunt, Epicratem literas publicas corrupisse: à qua suspicione ille aberat plurimum. actionem eius rei postulant. amici recusare, ne quod nouum iudicium, ne quæ ipsius cognitio, illo absente de existimatione eius constitueretur: et simul idem illud postulare non desistebant: ut se ad leges suas reijceret. Iste amplam occasionem calumniæ nactus, ubi uidet esse aliquid quod amici absentem Epicratem nollent defendere: asseuerat se eius rei in primis actionem esse daturum. cum omnes perspicerent ad istum nonmodo illos nummos, qui per simulationẽ ab isto exierant, reuertisse: sed multo etiam plures eum postea nummos abstulisse: amici Epicratem defendere destiterũt. Iste Epicratis bona Bidinos omnia possidere, & sibi habere iussit. ad illa HS D millia hæreditaria, accessit ipsius antiqua HS quindecies pecunia. Vtrum res ab initio ita ducta est? an ad extremũ ita perducta est? an ita parua est pecunia? an is homo Veres? ut hæc, quæ dixi, gratis facta esse uideantur? Hic nunc de miseria Siculorum Iudic. audite. & Heraclius ille Syracusanus, & hic Bidinus Epicrates expulsi bonis omnibus Romam uenerunt: sordidati maxima bar-

ba, & capillo Romæ biennium propè fuerunt. Cum L. Metellus in prouinciam profectus est: tum isti bene commendati cum Metello una proficiscuntur. Metellus simulac uenit Syracusas: utrunq; rescindit & de Epicrate, & de Heraclio. in utriusq; bonis nihil erat: quod restitui posset: nisi quod moueri loco non poterat. fecerat hæc egregie primo aduentu Metellus: ut omnes istius iniurias, quas modo posset, rescinderet, & irritas faceret. Heraclium restitui iusserat: non restituebatur: quisquis erat ductus Senator Syracusanus ab Heraclio, duci iubebat. itaq; permulti ducti sunt. Epicrates quidem continuo restitutus est. alia iudicia Lilybei, alia Agrigenti, alia Panormi restituta sunt: census qui isto prætore sunt habiti, nõ seruaturũ se Metellus ostẽderat: decumas quas iste contra legẽ Hieronicam uendiderat: sese uenditurum Hieronica lege dixerat. Omnia erant Metelli eiusmodi: ut totam suam Prætu ram retexere uideretur. Simulatq; ego in Siciliam ueni, mutatus est. uenerat ad eum illo biduo Letilius quidam, homo non alienus à literis. itaq; eo iste tabellario semper usus est: is epistolas complures attulerat. in his unam domo: quæ totum immutarat hominem. repente cœpit dicere: se omnia Verris causa uelle: sibi cum eo amicitiam, cognationemq; esse. mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem uenisse: postea quam tam multis eum factis, decretisq; iugulasset. Erant qui putarent Letilium legatum à Verre uenisse: qui gratiam amicitiam, cognationemq; commemoraret. Ex illo tempore à ciuitatibus laudationem petere: testes non solum deterrere uerbis: sed etiam ui retinere cœpit. Quod ego nisi meo aduentu illius conatus aliquantulum repressissem: & apud Sicu-

los non Metelli, sed Glabrionis literis, ac lege pugnassem: tam multos huc euocare nõ potuissem. Verũ, quod instituì dicere: miserias cognoscite Siculorũ. Heraclius ille, & Epicrates longe mihi obuiam cum suis omnibus processerunt: uenienti Syracusas egerunt gratias flentes: Romam decedere mecum cupierunt. quod erant mihi oppida complura etiam reliqua, quæ adire uellem: constitui cum hominibus, quo die mihi Messanæ præsto essent. eò mihi nuncium miserunt: se à prætore retineri. quibus ego testimonium denunciaui: quorum nomina edidi Metello: cupidissimi ueniendi, maximis iniurijs affecti, adhuc non uenerunt. hoc iure sunt socij: ut his ne deplorare quidem de suis incommodis liceat. Iam Heraclij Centuripini optimi, nobilissimiq; adolescentis testimoniũ audistis. à quo HS C millia per calumniam, malitiamq; petita sunt. iste pœnis compromissisq; interpositis HS CCC extorquenda curauit: quodq; iudicium secundum Heraclium de compromissis factum erat: quod ciuis Centuripinus inter duos ciues iudicasset id irritum iussit esse: eumq; iudicẽ falsum iudicasse iudicauit: in Senatu ne esset: locis, cõmodisq; publicis uti uetuit: si quis eũ pulsasset, edixit sese iudicium iniuriarum non daturum: quicquid ab eo peteretur iudicem de sua cohorte daturum: ipsi autem nullius actionem rei sese daturũ. quæ istius authoritas tantũ ualuit: ut neq; illum pulsaret quisquam cum prætor in prouincia sua uerbo permitteret, re hortaretur: neq; quisquã ab eo quicquã peteret: cum iste calumniæ licentiam sua authoritate dedisset. ignominia autem illa grauis tam diu in illo homine fuit: quamdiu iste in prouincia mansit. hoc iniecto metu iudicibus, nouo more, nullo exemplo, ecquam rem

putatis esse in Sicilia nisi ad nutum istius iudicatam? utrum id solum uidetur esse actum, quod est tecũ actum: ut Heraclio pecunia eriperetur? an etiam illud in quo præda erat maxima: ut nomine iudiciorum, omnium bona, atq; fortunæ in istius unius essent potestate? Iã uero in rerum capitalium quæstionibus quid ego unamquanq; rem colligã, & causam? ex multis similibus ea sumam: quæ maxime improbitate excellere uidebuntur. Sopater quidam fuit Halicien sis, homo domi suæ cum primis locuples, atq; honestus. is ab inimicis suis apud C. Sacerdotẽ prætorem rei capitalis cum accusatus esset: facile eo iudicio est liberatus. huic eidẽ Sopatro ijdem inimici ad C. Verrẽ, cũ is sacerdoti succeßisset: eiusdem rei nomen detulerunt. res Sopatro facilis uidebatur: & quod erat innocens: & quod Sacerdotis iudiciũ improbare istum ausurum non arbitrabatur. citatur reus: causa agitur Syracusis: crimina tractantur ab accusatore ea, quæ erant antea non solum defensione, uerum etiã iudicio dissoluta. causam Sopatri defendebat Q. Minutius eques Rom. in primis splendidus, atq; honestus, uobisq; Iudices non ignotus. nihil erat in causa: quod metuendum, aut omnino quod dubitandum uideretur. interea istius libertus, et accensus idem Timarchides, qui est, id quod ex plurimis testibus priore actione didicistis: rerum huiusmodi omnium transactor, & administer: ad Sopatrum uenit: monet hominem ne nimis iudicio Sacerdotis, & causæ cõfidat: accusatores, inimicos q; eius habere in animo pecuniam prætori dare: Prætorem tamen ob salutem malle accipere: & simul malle, si fieri posset: rem iudicatam nõ rescindere. Sopater, cum hoc illi improuisum, atq; inopinatũ accidisset: com-

motus est sanè: neq; in præsentia Timarchidi quidresponderet habuit: nisi se consideraturum, quid sibi de ea re esset faciendum: & simul ostendit, se in summa difficultate esse nummaria. post ad amicos retulit. qui cum ei fuissent authores redimendæ salutis: ad Timarchidem uenit: expositis suis difficultatibus, hominẽ ad HS LXXX perducit: eamq; ei pecuniam numerat. postea quã ad causam dicendam uentum est: tum uero sine metu, sine cura omnes erant: qui Sopatrum defendebãt: crimen nullum erat: res iudicata: Verres nummos acceperat. quis posset dubitare quidnam esset futurum? res illo die non peroratur: dimittitur iudicium: iterum ad Sopatrũ Timarchides uenit: ait accusatores eius multo maiorẽ pecuniam prætori polliceri: q̃ quantum hic dedisset: proinde, si saperet: uideret qd sibi esset faciendũ. homo, quanquam erat & Siculus, & reus: hoc est & iure iniquo, & tempore aduerso: ferre tamen, atq; audire diutius Timarchidem non potuit. facite inquit quod uobis libet: daturus non sum amplius. idemq; hoc amicis eius, & defensoribus uidebatur. atq; eo etiam magis: quod iste, quoquo modo se in ea quæstione præbebat: tamen in cõsilio habebat homines honestos è cõuentu Syracusano: qui Sacerdotis quoq; in consilio fuerant: tum cum esset idem hic Sopater absolutus. hoc rationis habebant: facere eos nullo modo posse: ut eodẽ crimine, ijsdem testibus Sopatrum condemnarent ijdem homines: qui antea absoluissent. itaq; hac una spe ad iudicium uenitur. quo posteaq̃ uentum est: cum in consiliũ frequentes conuenissent ijdem qui solebant: & hac una spe tota defensio Sopatri niteretur, consilij frequentia, & dignitate: et quod erãt, ut dixi, ijdẽ qui antea Sopatrũ eodem

illo crimine liberarant: cognoscite hominis apertam, ac nonmodo nõ rationem, sed ne dissimulationem quidẽ tectã improbitatem, & audaciam. M. Petilium equitem R. o. quem habet in consilio: iubet operam dare, quod rei priuatæ iudex esset. Petilius recusabat: quod suos amicos, quos sibi in consilio esse uellet: ipse Verres retineret. iste homo liberalis, negat se quenquam retinere eorum: qui Petilio uellent adesse. itaq; discedunt omnes. nam cæteri quoq; impetrant, ne retineantur: qui se uelle dicebant alterutri eorum, qui tum illud iudicium habebant, adesse. itaq; iste solus cum sua cohorte nequissima relinquitur. Non dubitabat Minutius, qui Sopatrum defendebat: quin iste, quoniam consilium dimisisset: illo die rem illam quæsiturus non esset: cum repente iubetur dicere. respondet, ad quos? ad me inquit: si tibi idoneus uideor: qui de homine Siculo, ac græculo iudicem. idoneus es inquit: sed peruellem adessent hi: qui affuerant antea: causamq; cognorant. dic inquit, illi adesse non possunt. nam hercule inquit Q. Minutius me quoque Petilius, ut sibi in consilio adessem, rogauit: & simul à subsellis abire cœpit. iste iratus hominem uerbis uehementioribus prosequitur: atque ei grauius etiam minari cœpit: quod in se tantum crimen, inuidiamq; conflarit. Minutius qui Syracusis sic negociaretur: ut sui iuris, dignitatisq; meminisset: & qui sciret, ita se in prouincia rem augere oportere: ut ne quid de libertate deperderet: homini quæ uisa sunt, & quæ tempus illud tulit, & causa, respondit. causam sese dimisso, atq; ablegato consilio defensurũ negauit. itaq; à subsellijs discessit: idemq; hoc præter Siculos cæteri Sopatri amici aduocatiq; fecerunt. iste quanquam est incredibili importunitate, et audacia: tamen subito solus destitutus pertimuit, & cõturbatus est. quid ageret: quo se uerteret, nesciebat. si dimisisset eo tempore quæstionem, post illis adhibitis, quos ablegarat: absolutum iri Sopatrum uidebat. sin autem hominem miserum, atq; innocentem condemnasset: cum ipse prætor sine cõsilio, reus autem sine patrono, atq; aduocatis fuisset, iudiciumq; C. Sacerdotis rescidisset: inuidiam se sustinere non posse tantam arbitrabatur. itaq; æstuabat dubitatione: uersabat se in utranq; partem non solum mente, uerum etiam corpore: ut omnes, qui aderant, intelligere possent, in animo eius metum, cupiditatẽq; pugnare. erat hominum conuentus maximus, summum silentium, summa expectatio: quonam esset eius cupiditas eruptura. crebro dimittebat se accensus ad aurem Timarchides. tum iste aliquando, age dic inquit. Sopatrus implorare hominum atq; deum fidem: ut cum consilio cognosceret. tum repente iste testes citari iubet. dicit unus, & alter breuiter: nihil interrogatur. præco, dixisse pronunciat. iste, quasi metueret, ne Petilius priuato illo iudicio transacto, aut dilato, cum cæteris in consilium reuerteretur: ita properans de sella exiluit: hominem innocentem, à Sacerdote absolutũ, indicta causa de sententia Scribæ, Medici, Aruspicisq; condemnauit. Retinete, retinete hominem in ciuitate iudices: parcite: & cõseruate: ut sit qui uobiscum res iudicet: qui in Senatu sine ulla cupiditate de bello, & pace sententiam ferat. tametsi minus id quidẽ nobis, minus populo R. laborandũ est: qualis istius in Senatu sententia futura sit. quæ enim eius authoritas erit? quãdo iste sententiã dicere audebit, aut poterit? quando autem homo tanta luxuria, atq; de

sidia, nisi februario mense aspirabit in curiam? uerum ueniat sanè: decernat bellum Cretensibus: liberet Byzantios: regem appellet Ptolomæum: quæ uult Hortensius, omnia dicat, & sentiat. minus hæc ad nos, minus ad uitæ nostræ discrimen, minus ad fortunarum nostrarum periculum pertinent. illud, illud est capitale: illud est formidolosum: illud optimo cuiq; metuendũ: quod iste ex hoc iudicio si aliqua ui se eripuerit: in iudicibus sit necesse est: sententiam de capite ciuis Ro. ferat: sit in eius exercitu signifer: qui imperium iudiciorum teuere uult. hoc populus Ro. recusat: hoc ferre non potest: clamat: permittitq; uobis: ut si istis hominibus delectemini: si ex hoc genere splendorem ordini, atq; ornamentum curiæ constituere uelitis: habeatis sanè uobiscũ istum senatorem: istum de uobis iudicem, si uultis, habeatis. de se homines, si qui extra istum ordinẽ sunt: quibus ne reijciundi quidem amplius quàm trium iudicum præclaræ leges Corneliæ faciunt potestatem: hũc hominem tam crudelem, tam sceleratum, tam nefariũ nolunt iudicare. etenim si illud est tam flagitiosum, quod mihi omnium rerũ turpissimum, maximeq; nefariũ uidetur, ob rem iudicandam pecuniã accipere, precio habere ad dictam fidem, & religionem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius? eum à quo pecuniam ob absoluendum acceperis, condemnare: ut ne prædonum quidem prætor in fide retinenda consuetudinem cõseruaret. Scelus est accipere ab reo: quãto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab utroq;? fidem cum proposuisses uenalem in prouincia: ualuit apud te plus is: qui pecuniam maiorem dedit. concedo, forsitan aliquis aliquando eiusmodi quippiam fecerit. cum uero fidem ac religionem tuam alteri addictam pecunia accepta habueris: post eandem aduersarijs tradideris maiore pecunia: utrunq; falles? & trades cui uoles? & ei, quem fefellerис: ne pecuniam quidem reddes? quem mihi tu Bulbum? quem Stalenum? quod unquam huiusmodi monstrum, aut prodigium audiuimus, aut uidimus? qui cum reo transigat: post cum accusatore decidat: honestos homines, qui causam norint, ableget, consilioq; dimittat: ipse solus reũ absolutũ, à quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniamq; non reddat. hunc hominem iudicũ numero habebimus? hic alteram decuriam senatoriã iudex obtinebit? hic de capite libero iudicabit? huic iudici alis tabella cõmittetur? quam iste nonmodo cera, uerum etiam sanguine, si uisum erit, notabit. quid enim horum se negat fecisse? illud uidelicet unum, quod necesse est, pecuniã accepisse. quid ni iste neget? at eques Ro. qui Sopatrum defendit: qui omnibus eius consilijs, rebusq; interfuit. Q. Minutius iuratus dicit pecuniam datam: iuratus dicit Timarchidem dixisse maiorem ab accusatoribus pecuniam dari. dicent hoc Siculi omnes: dicent omnes Halicienses: dicet etiã, prætextatus Sopatri filius: qui ab isto homine crudelissimo, patre innocentissimo, pecuniaq; patria priuatus est. uerum si de pecunia testibus planum facere non possem: illud negare posses? aut nunc negabis? te consilio tuo dimisso, uiris primarijs, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant: tibiq; esse solebant, remotis, de re iudicata iudicasse? teq; eum, quem C. Sacerdos adhibito cõsilio, causa cognita, absoluisset: eundẽ remoto consilio, causa incognita cõdemnasse? cũ hæc cõfessus eris: quæ in foro palã Syracusis, in ore, atq; oculis prouinciæ gesta sunt: negato sanè si uoles: pecu-

niam accepisse. reperies credo aliquem: qui cum haec quae palam gesta sunt, uideat: quaerat quid tu occulte egeris: aut qui dubitet, utrum malit meis testibus, an tuis defensoribus credere. Dixi iam antea, me non omnia istius, quae in hoc genere essent, enumeraturum: sed electurum ea, quae maxime excellerent. Accipite nunc aliud eius facinus nobile, & multis locis saepe commemoratum, & eiusmodi: ut in uno omnia maleficia inesse uideantur. attendite enim diligenter: inuenietis id facinus natum à cupiditate: auctum per stuprum: crudelitate perfectum, atq; conclusum. Sthenius est, is qui nobis assidet: Thermitanus, antea multis propter summã uirtutem, summamq; nobilitatem, nunc propter suam calamitatem, atq; istius insignem iniuriam omnibus notus. huius hospitio Verres cum esset usus: & cum apud eum nonmodo Thermis saepenumero fuisset, sed etiam habitasset: domo eius omnia abstulit: quae paulo magis animũ cuiuspiam, aut oculos possent cõmouere. etenim Sthenius ab adolescentia paulo studiosius haec comparabat, suppellectilem ex ære elegantiorem, & deliacam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti benefacti, put Thermitani hominis facultates ferebãt, satis. quae, cum esset in Asia adolescens: studiose, ut dixi, comparabat, non tam suae delectationis causa, quàm ad inuitationes, aduentusq; nostrorum hominum, suorum amicorum, atq; hospitum. quae posteaquam iste omnia abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo, ferebat Sthenius ut poterat. tangebatur tamen animi dolore necessario: quod domũ eius exornatam, atq; instructam fere iam iste reddiderat nudam, atq; inanem. uerunt amen dolorem suum nemini impartiebat: praeto-

ris iniurias tacite, hospitis placide, ferendas arbitrabatur. interea cupiditate iste illa sua nota, atq; apud omnes peruulgata, cum signa quaedam pulcherrima, atq; antiquissima Thermis in publico posita uidisset, adamauit: a Sthenio petere coepit: ut ad ea tollenda operam suam profiteretur, seq; adiuuaret. Sthenius uero non solum negauit: sed etiam ostendit id fieri nullo modo posse: ut signa antiquissima, monumenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum incolumi illa ciuitate, imperioq; populi Ro. tollerentur. etenim, ut simul P. Africani quoq; humanitatem cognoscatis: oppidum Himeram Carthaginenses quondam coeperant: quod fuerat in primis Siciliae clarum & ornatum. Scipio qui hoc dignum populo Ro. arbitraretur: bello confecto socios sua per nostrã uictoriam recuperare: Siculis omnibus Carthagine capta quae potuit, restituẽda curauit: Himera deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat: ij sese Thermis collocarant in eiusdem agri finibus, neq; longe ab oppido antiquo. hi se patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur: cum illa maiorũ ornamenta in eorum oppido collocabantur. erant signa ex ære complura: in his mira pulchritudine ipsa Himera in muliebrem figuram, habitumq; formata, ex oppidi nomine & fluminis. erat etiam Stesichori poetae statua, senilis, incurua, cum libro, summo ut putãt artificio facta, ab eo, qui fuit Himeraeus, sed est & fuit tota in Graecia summo propter ingenium honore & nomine. Haec iste ad insaniam concupierat. etiam, quod penè praeterij, Capella quaedã: ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possumus, scite facta, & uenuste. haec et alia Scipio non negligenter abiecerat: ut homo intel-

ligẽs Verres auferre posset: sed Thermitanis restituerat: non quo ipse hortos, aut suburbanum, aut locum omnino, ubi ea poneret, nullum haberet: sed si domum abstulisset, non diu Scipionis appellarentur: sed eorum, ad quoscunq; ipsius morte uenissent. nunc his locis posita sunt: ut mihi semper Scipionis fore uideantur: itaq; dicantur. Hæc cum iste posceret: ageretur q; ea res in Senatu: Sthenius uehemẽtißime restitit: multaq;, ut in primis Siculorum in dicendo copiosus est, cõmemorauit: urbẽ relinquere Thermitanos esse honestius: quàm pati tolli ex urbe monumenta maiorum, spolia hostiũ, beneficia clarißimi uiri, indicia societatis populi Ro. atque amicitiæ. commoti animi sunt omniũ: repertus est nemo: qui non mori diceret satius esse. itaq; hoc adhuc oppidum Verres inuenit propè solum in orbe terrarum: unde nihil eiusmodi rerum de publico per uim, nihil occulte, nihil imperio, nihil gratia, nihil precio posset auferre. uerùntamen hasce eius cupiditates exponam alio loco: nũc ad Sthenium reuertar. itaq; iste uehementer Sthenio incensus, hospitiũ ei renunciat: domo eius emigrat: atq; adeo exit: nam iam ante migrarat. eum autem inimicißimi Sthenij domum suam statim inuitant: ut animum eius in Sthenium inflammarent, ementiendo aliquid, & criminando. Hi autem erant inimici, Agathinus homo nobilis, & Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam Agathini eius filiam: de qua iste audierat. itaq; ad generum Agathini migrare maluit. una nox intercesserat. cum iste Dorotheum sic diligebat: ut diceres omnia inter eos esse communia: Agathinum ita obseruabat: ut aliquẽ affinem ac propinquum. contemnere etiã signum illud Himeræ iam uidebatur: quod eum multo magis figura, & lineamenta hospitæ delectabãt. itaq; hortari homines cœpit: ut aliquid Sthenio periculi crearent, criminisq; confingerent. dicebant se illi nihil habere, quod dicerent. tum iste his aperte ostendit, & confirmauit: eos, in Sthenium quicquid uellent dicerent: simul atq; ad se detulissent probaturos. ita illi non procrastinant: Sthenium statim educunt: aiunt ab eo literas esse corruptas. Sthenius postulat ut secum sui ciues agant de literis publicis corruptis: eiusq; rei legibus Thermitanorum actio sit: cum S. Po. q; Romanus Thermitanis, quod semper in amicitia, fideq; mansissent: urbes, agros, legesq; suas reddidisset. P. q; Rutilius postea leges ita Siculis ex S. C. de decem legatorum sententia dedisset: ut ciues inter se legibus suis agerent: idemq; hoc habuerit Verres ipse in edicto: ut de his omnibus causis se ad leges reijceret. Iste homo omnium æquißimus, atq; à cupiditate omnium remotißimus, se cogniturum esse confirmat: paratum ad causam dicendam uenire hora octaua iubet. non erat obscurum quid homo improbus, ac nefarius cogitaret. neq; enim ipse satis occultarat: nec mulier tacere poterat. intellectum est id istum agere: ut cum Sthenium sine ullo argumento, ac sine teste damnasset: tum homo nefarius de homine nobili, atq; id ætatis, suoq; hospite, uirgis supplicium crudelißime sumeret. quod cum esset perspicuum: de amicorum hospitumq; suorum sententia, Thermis Sthenius Romam profugit: hyemi fluctibusq; se committere ualuit: quàm non istã communem Siculorum tempestatem, calamitatemq; uitare. Iste homo certus, & diligens ad horam octauam præsto est: Sthenium citari iubet. quem postea quam uidet non adesse, dolore ardere, atq; iracundia furere cœ-

pit: uenerios in domum Sthenij mittere: equites circum agros eius, uillasq; dimittere. itaq; cum expectat quidnã sibi certi afferatur: ante horam tertiam noctis de foro non discessit. postridie mane descendit: Agathinum ad se uocat: iubet eum de literis publicis in absentem Sthenium dicere. erat eiusmodi causa: ut ille ne sine aduersario quidem apud inimicum iudicem reperire posset, quid diceret. itaq; tantum uerbo posuit: Sacerdote prætore, Sthenium literas publicas corrupisse. uix ille hoc dixerat: cum iste pronunciat Sthenium literas publicas corrupisse uideri. & hæc præterea addidit homo Venerius nouo modo, nullo exemplo: ob eam rem HS quingẽties Veneri Erycinæ de Sthenij bonis exacturum: bonaq; eius statim cœpit uendere. & uendidisset: si tantulum moræ fuisset: quo minus ei pecunia illa numeraretur. ea postea quam numerata est: cõtentus hac iniquitate non fuit: palàm de sella, ac tribunali pronunciat: si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere uellet: se eius nomen recepturum. & simul ut ad causam accederet, nomenq; deferret, Agathinum nouum affinem, atq; hospitem cœpit hortari. tum ille clare, omnibus audientibus, se id non esse facturum: neq; se usque eo Sthenio esse inimicum: ut eum rei capitalis affinem esse diceret. hic tum repente Pacilius quidam homo egens, & leuis accedit: ait, si liceret: nomen absentis deferre se uelle. iste uero & licere: & fieri solere: & se recepturum. itaq; defertur. edicit statim ut Cal. decembr. adsit Sthenius Syracusis. hic, qui Romam uenisset: satisq; feliciter anni iam aduerso tempore nauigasset: omniaq; habuisset æquiora, & placabiliora: quàm animum prætoris, atq; hospitis: rem ad

amicos suos detulit. quæ ut erant acerba, atque indigna: sic uidebantur omnibus. itaq; in Senatu continuo Cn. Lentulus, & Lucullus conss. faciunt mentionem placere statui, si Patribus C. uideretur: ne absentes homines in prouincijs rei fierent rerum capitalium: causam Sthenij totam, & istius crudelitatem, & iniquitatem Senatum docent. aderat in Senatu Verres pater istius: & flens unumquemq; senatorem rogabat: ut filio suo parceret. neq; tamen multum proficiebat. erat enim summa uoluntas Senatus. itaq; sententiæ dicebantur: cũ Sthenius absens reus factus esset: de absente iudicium nullum fieri placere: & si quod esset factum: id ratum esse non placere. Eo die transigi nihil potuit: quod & id temporis erat: & ille pater istius inuenerat homines, qui dicendo tempus consumerent. postea senex Verres defensores, atque hospites omnes Sthenij conuenit: rogat eos atq; orat, ne oppugnent filium suum: de Sthenio ne laborent: confirmat his, curaturum se esse, nequid ei per filium suum noceretur: se homines certos eius rei causa in Siciliam, & terra, & mari missurum. & erat spacium dierum ferè triginta ante Cal. decembris: quo iste, ut Syracusis Sthenius adesset, ediderat. commouentur amici Sthenij: sperant fore, ut patris literis, nuncijsq;, filius ab incepto furore reuocetur. in Senatu postea causa non agitur. ueniunt ad istum domestici nuncij: literasq; à patre afferunt ante Cal. decembris: cum isti etiam tum de Sthenio integra tota res esset: eodemq; ei tempore, de eadẽ re literæ complures à multis eius amicis, ac necessarijs afferuntur. hic iste, qui præcupiditate neq; officij sui, neq; periculi, neq; pietatis, neq; humanitatis rationẽ habuisset unq;: neq; in eo quod

monebatur, authoritatẽ patris, nec in eo, quod rogaba-
tur, uoluntatem anteponendã putauit libidini suæ. ma-
ne Cal. decembris, ut edixerat: Sthenium citari iubet.
Si abs te istam rem parens tuus alicuius amici rogatu,
benignitate, aut ambitione inductus petisset: grauissima
tamen apud te uoluntas patris esse debuisset. cum uero
abs te cui capitis causa peteret: homines q̃; certos domo
misisset: hiq̃; eo tempore ad te uenissent: cum tibi in inte-
gro tota res esset: ne tum quidem te potuit si nõ pietatis,
at salutis tuæ ratio ad officium sanitatemq̃; reducere? Ci
tat reum: non respondet. citat accusatorem, attendite
quæso: uidete quanto opere istius amentiæ fortuna ipsa ad
uersata sit: & simul uidete quis Sthenij causam casus ad
iuuerit, citatus accusator M. Pacilius nescio quo casu nõ
respondit, non affuit. si præsens Sthenius reus esset fa-
ctus: si manifesto in maleficio teneretur: tamen cum accu
sator non adesset: Sthenium condemnari non oporteret.
etenim si posset reus absente accusatore damnari: nõ ego
à Vibone Veliam paruulo nauigio inter fugitiuorum,
ac prædonum, ac tua tela uenissem: quo tempore omnis
illa mea festinatio fuit cum periculo capitis, ob eam cau
sam: ne tu ex reis eximerere: si ego nõ affuissem ad diem:
quod igitur erat in tuo iudicio optatissimũ: me, cum ci-
tatus essem, non adesse: cur Sthenio non putasti prodesse
oportere: cum eius accusator non affuisset? Itaq; fecit ut
exitus principio simillimus reperiretur. quem absentem
reum fecerat: eum absente accusatore condemnat. Nun-
ciabatur illi primis illis tẽporibus id, quod pater quoq;
ad eum pluribus uerbis scripserat: agitatam rem esse
in Senatu: etiam in concione Tribunum pl. de causa Ste
nij M. Palicanũ esse questum: postremo me ipsum apud

collegium

collegium hoc Tribunorum plebis, cum eorũ omnium
edicto non liceret quenquam Romæ esse, qui rei capi-
talis condemnatus esset: egisse causam Sthenij: cum rem
ita exposuissem, quemadmodum nunc apud uos: docuis-
semq̃; hanc damnationem duci non oportere: Tribunos
pl. hoc statuisse: idq̃; omniũ sententia pronunciatũ esse:
non uideri Sthenium impediri edicto: quo minus ei li-
ceret Romæ esse. cum hæc ad istum afferrentur: timuit
aliquando, et commotus est. uertit stilum in tabulis suis:
quo facto causam omnem euertit suam. nihil enim sibi
reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione posset. nam si
ita defenderet: recipi nomen absentis licet: hoc fieri in
prouincia nulla lex uetat: mala, et improba defensione,
uerũ aliqua tamen uti uideretur. postremo illo despera-
tissimo perfugio uti posset: se imprudentem fecisse: existi
masse id licere. quanquam hæc perditissima defensio est:
tamen aliquid dici uideretur. tollit ex tabulis id quod
erat: & facit coràm delatum esse. Hic uidete in quot la-
queos se induerit: quorum ex nullo se unquam expedi-
ret. primum ipse in Sicilia sæpe, & palàm de loco su-
periore dixerat: & in sermone multis demonstrarat: li
cere nomen recipere absentis: se exemplo fecisse id, quod
fecisset. hæc eum dictitasse priore actione & Sex. Pom-
peius Chlorus dixit: de cuius uirtute antea commemora
ui: & Cn. Pompeius Theodorus, homo Cn. Pompeij cla
rissimi uiri iudicio plurimis maximisq̃; in rebus proba-
tissimus, & omniũ existimatione ornatissimus: & Pos-
sides Matro Solentinus, homo summa nobilitate, existi-
matione, uirtute: & hac actione quam uoletis multi di-
cent: & qui ex isto ipso audierint, uiri primarij nostri
ordinis: & alij qui interfuerint: cum absentis nomen re

ciperetur. deinde Romæ cum res esset acta in Senatu: omnes istius amici, in his etiam pater eius, hoc defendebat, licere fieri: sæpe esse factum: istum, quod fecisset, aliorum exemplo, instituto q; fecisse. dicit præterea testimonium tota Sicilia: quæ in communibus postulatis ciuitatum omnium Consulibus edidit, rogare, atq; orare patres conscriptos, ut statuerent, ne absentium nomina reciperentur. qua de re Cn. Lentulum patronum Siciliæ, clarissimum adolescentẽ dicere audistis: Siculos, cum se causam, quæ pro his sibi in Senatu agenda esset, docerent: de Sthenij calamitate questos esse: propterq; hanc iniuriã, quæ Sthenio facta esset, eos statuisse, ut quod dico postularetur. Quæ cum ita essent, tanta ne amentia præditus, atq; audacia fuisti: ut in re tam clara, tam testata, tã abs te ipso peruulgata, tabulas publicas corrũpere auderes? At quemadmodum corrupisti? nonne ita, ut omnibus nobis tacentibus ipsæ te tuæ tabulæ condemnare possent? quæso codicem circunfer, ostende. uidetis ne totum hoc nomen, coràm ubi facit delatum, esse in litura? quid fuit istic antea scriptum? quod mendum ista litura correxit? quid à nobis Iudices expectatis argumenta huius criminis? nihil dicimus: tabulæ sunt in medio: quæ se corruptas atque interlitas esse clamant. Ex istis etiam tu rebus effugere te posse cõfidis? cum te nos, non opinione dubia, sed tuis uestigijs persequamur: quæ tu in tabulis publicis expressa ac recentia reliquisti. Is mihi etiam, Sthenij literas publicas corrupisse causa incognita iudicauit: qui defendere non potuerit se non ex ipsius Sthenij nomine literas publicas corrupisse. Videte porro aliam dementiam: uidete, ut dum expedire sese uult, induat. cognitorem ascribit Sthenio: quem? cogna-

tum aliquem, aut propinquum? non: Thermitanum aliquem honestum hominem, ac nobilem? ne id quidem. at Siculum, in quo aliquis splendor, dignitas q; esset? minime. quid igitur? ciuem Romanum. cui hoc probari potest? cũ esset Sthenius ciuitatis suæ nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitijs: cum præterea tota Sicilia multũ authoritate, & gratia posset: inuenire neminẽ Siculũ potuit: qui pro se cognitor fieret? hoc probabitis? an ipse ciuem Rom. maluit? cedo cui Siculo, cũ is reus fieret, ciuis Romanus cognitor factus unquam sit. omnium prætorum literas, qui ante fuerunt, profer, explica: si unum inueneris, ego hoc tibi quemadmodum in tabulis scriptũ habes, ita gestum esse cõcedam. At credo Sthenius hoc sibi amplum esse putauit: eligere è ciuium Ro. numero, ex amicorum, atq; hospitum suorum copia, quem cognitorem daret. quem delegit? quis in tabulis scriptus est? C. Claudius C. Filius Palatina. non quæro quis hic sit Claudius, quàm splendidus, quàm honestus, quàm idoneus, propter cuius authoritatẽ, & dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum consuetudine discederet, & ciuem Romanum cognitorẽ daret. nihil horum quæro. fortasse enim Sthenius non splendorem hominis, sed familiaritatem secutus est? quid? si omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quàm hic C. Claudius, tum semper, tum in his ipsis rebus, & temporibus fuit: si de literis corruptis contrauenit: si contrà omnia ratione pugnauit: utrũ potius pro Sthenio inimicum cognitorem esse factum, an te in Sthenij periculum inimici eius nomine abusum esse credemus? Ac ne quis forte dubitet, cuiusmodi totum sit negociũ: tametsi iam dudum omnibus istius improbitatem perspicuam esse,

confido: tamen paululum etiam attendite. Videtis illum subcrispo capillo, nigrum? qui eo uultu nos intuetur, ut sibi ipse peracutus esse uideatur? qui tabulas tenet? qui scribit? qui monet? qui proximus est? is est C. Clodius, qui in Sicilia sequester istius, interpres, confector negociorũ, propè collega Timarchidi numerabatur: nunc obtinet eum locum, ut uix Apronio illi de familiaritate concedere uideatur: & qui se non Timarchidis sed ipsius Verris collegam & socium esse dicebat. dubitate etiam si potestis, quin eum iste potissimum ex omni numero delegerit, cui improbam personam imponeret: quem & huic inimicissimum, & sibi amicum esse arbitraretur. Hic uos dubitatis Iudices tantam istius audaciam, tantam crudelitatem, tantam iniuriam uindicare? dubitatis exemplum iudicum illorum sequi? qui damnato Cn. Dolobella damnationem Philodami Opuntij rescinderunt. quod is, non absens reus factus esset: quæ res iniquissima, & acerbissima est: sed cum ei legatio Romam à suis ciuibus esset data. quod illi iudices multo in leuiore causa statuerunt æquitatem secuti: uos id statuere in grauissima causa præsertim aliorum authoritate iam cõfirmatum dubitabitis? At quem hominem C. Verres tanta, tam insigni iniuria, affecisti? cuius absentis nomen recepisti? quem absentẽ nonmodo sine crimine, & sine teste, uerum etiam sine accusatore damnasti? quem hominem dij immortales? non dicam amicum tuũ, quod apud homines carissimum est: non hospitem, quod sanctissimum est: nihil enim minus libenter de Sthenio commemoro: nihil aliud in eo quod reprehendi possit inuenio: nisi quod homo frugalissimus, atq; integerrimus te hominem plenum stupri, flagitij,

sceleris domum suam inuitauit: nisi quod qui C. Marij, & Cn. Pompeij, C. Marcelli, L. Sisennæ, tui defensoris, cæterorumq; fortissimorum hospes fuisset, atq; esset: ad eum numerum clarissimorum hominum tuum quoque nomen ascripserit. quare de hospitio uiolato, & de isto tuo nefario scelere nihil queror. hoc dico, non his qui Sthenium norunt, hoc est nemini eorũ qui in Sicilia fuerunt, nemo enim ignorat, quo hic in ciuitate sua splendore, qua apud omnes Siculos dignitate, atq; existimatione sit: sed ut illi quoq;, qui in ea prouincia nõ fuerũt, intelligere possint, in quo homine tu statueris exemplũ eiusmodi: quod tum propter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis dignitatem, acerbũ omnibus, atq; intolerandum uideretur: est ne Sthenius is, qui omnes honores domi suæ facillime cum adeptus esset, amplissime, ac magnificentissime gessit? qui oppidum non maximum, maximis ex pecunia sua locis communibus, monumentisq; decorauit? cuius de meritis in Rẽp. Thermitanorũ, Siculosq; uniuersos fuit ænea tabula fixa Thermis in curia? in qua publice erat de huius beneficijs scriptum & incisum? quæ tabula tum imperio tuo reuulsa, nunc à me tamen reportata est: ut omnes, huius honores inter suos, & amplitudinem possent cognoscere. est ne hic? qui apud Cn. Pompeiũ clarissimum uirum cum accusatus esset, quod propter C. Marij familiaritatem, & hospitium contra Remp. sensisse eum inimici, & accusatores eius dicerent: quod tum magis inuidioso crimine, quàm uero accerseretur: ita à Cn. Pompeio absolutus est: ut in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statuerit? ita porrò laudatus defensusq; ab omnibus Siculis: ut idem Pompeius non ab

homine solum, sed etiam à prouincia tota se huius absolutione inire gratiam arbitraretur? postremo est ne hic? qui & animum in Remp. habuit eiusmodi, & tantum authoritate apud suos ciues potuit: ut perficeret in Sicilia solus te prætore quod nonmodo Siculus nemo, sed ne Sicilia quidem tota potuisset: ut ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico attingeres? cum præsertim essent multa præclara: & tu omnia concupisses. Deniq; nunc uide quid inter te cuius nomine apud Siculos dies festi agitãtur, & præclara illa Verrea celebrãtur: cui statuæ Romæ stant inauratæ à cõmuni Sicilia quemadmodum inscriptũ uidemus datæ: uide inquam quid inter te et hunc Siculum qui abs te est patrono Siciliæ condemnatus, intersit. hunc ciuitates ex Sicilia permultæ testimonio suo, legationibusq; ad eam rem missis publice laudant: te omnium Siculorum patronum una Mamertina ciuitas socia furtorum ac flagitiorum tuorum, publice laudat: ita tamen nouo more, ut legati lædant, legatio laudet: cæteræ quidẽ ciuitates publice literis, legationibus, testimonijs accusant, queruntur, arguunt, si tu absolutus sis, funditus euersas se esse arbitrãtur. Hoc de homine, ac de huius bonis etiã in Eryco monte monumentum tuorum flagitiorum crudelitatisq; posuisti: in quo Sthenij Thermitani nomen ascriptum est. uidi argenteũ Cupidinẽ cum lampade. quid tandem habuit argumenti, aut rationis res: quamobrem in eo potissimũ Sthenianum præmium poneretur? utrum hoc signũ cupiditatis tuæ, an trophæum necessitudinis, atq; hospitij, an amoris indicium esse uoluisti? faciunt hoc homines: quos in summa nequitia non solum libido, & uoluptas, uerum etiam ipsius ne-

quitiæ fama delectat: ut multis in locis notas ac uestigia scelerum suorum relinqui uelint. ardebat amore illius hospitæ: propter quam hospitij iura uiolarat. hoc nõ solum scirĩ tum, uerum etiam commemorari semper uolebat. itaq; ex illa ipsa re, quam accusante Agathino gesserat: Veneri potissimum deberi præmium statuit: quæ illam totam accusationẽ iudiciumq; cõflarat. putaremte gratum in deos: si hoc donum Veneri non de Sthenij bonis dedisses, sed de tuis: quod facere debuisti: præsertim cum tibi illo ipso anno à Chelidone uenisset hæreditas. Hic ego si hanc causam non omniũ Siculorum rogatu recepissem: si hoc à me muneris non uniuersa prouincia popposcisset: si me animus atq; amor in Republica, existimatioq; offensa nostri ordinis, ac iudiciorũ nõ hoc facere coegisset: atq; hæc una causa fuisset: quod amicum atq; hospitem meum Sthenium, quem ego in quæstura mea singulariter dilexissẽ: de quo optime existimassem: quem in prouincia existimationis meæ studiosissimũ, cupidissimũq; cognossem: tam crudeliter, scelerate, nefarieq; tractasses: tamẽ digna causa: cur inimicitias hominis improbissimi susciperem: ut hospitis salutem fortunasq; defenderem. fecerunt hoc multi apud maiores nostros: fecit etiam nuper homo clarissimus Cn. Domitius: qui M. Syllanum Consularem uirum accusauit propter Egritomari transalpini hospitis iniurias. putarẽ me idoneum qui exemplum sequerer humanitatis, atq; officij: proponeremq; spem meis hospitibus, ac necessarijs: quo tutiorẽ uitã sese meo præsidio uicturos esse arbitrarentur. cum uero in communibus iniurijs totius prouinciæ Sthenij quoq; causa cõtineatur: multiq; uno tempore à me hospites, atq; amici publice, priuatimq; defendãtur:

profecto uereri nõ debeo: ne quis hoc quod facio, nõ existimet summi officij ratione impulsum coactumq; fuscepisse. Atq; ut aliquando de rebus ab isto cognitis, iudicatisq;, & de iudicijs datis dicere desistamus: & quoniam facta istius in his generibus infinita sunt: nos modum aliquem, & finem orationi nostræ, criminibusq; faciamus: pauca ex alijs generibus sumemus. Audistis ob ius dicundum Q. Varium dicere procuratores suos isti centum & triginta millia nummũm dedisse: meministis Q. Varij testimonium: remq; hanc totam C. Sacerdotis hominis ornatißimi testimonio cõprobari: scitis Cn. Sertium, M. Modium equites Romanos, sexcentos præterea ciues Ro. multosq; Siculos dixisse, isti pecuniã ob ius dicundũ dedisse. de quo crimine quid ego disputem: cum totum positum sit in testibus? quid porrò argumenter, qua de re dubitare nemo posit? an hoc dubitabit qsquam omniũm? quin is uenalẽ in Sicilia iurisdictionem habuerit: qui Romæ totum edictum, atq; omnia decreta uendiderit? & quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit: qui M. Octauium Ligurem ob ius dicundum popoſcerit. quod enim præterea genus pecuniæ cogendæ præterijt? quod non ab omnibus alijs præteritum, excogitauit? ecquæ res apud ciuitates Siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas, aut procuratio, quin eam rem tu ad tuum quæstum, nũdinationemq; hominum traduxeris? dicta sunt priore actione & priuatim, & publice testimonia: legati Centuripini, Halesini, Catinenses, Panormitaniq; dixerunt: multarum præterea ciuitatum. iam uero priuatim plurimi: quorũ ex testimonijs cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem ulla in ciuitate Senatorem

factum esse gratis: neminem, ut leges eorum sunt, suffragijs: neminem nisi istius imperio, aut literis: atq; in his omnibus Senatoribus cooptandis, non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret, neq; census, neque ætatis: neq; cætera Siculorum iura ualuisse. quicunq; Senator uoluerit fieri, quamuis puer, quamuis indignus, quamuis ex eo loco, ex quo non liceret, si is precio apud istum fieret idoneus, ut uinceret, factum esse semper: non modo Siculorum nihil in hac re ualuisse leges: sed ne ab Senatu quidem populoq; Ro. datas. quas enim leges socijs amicisq; dat is, qui habet imperium à populo romano, authoritatem legum dandarum à Senatu: hæ debent, & populi Ro. & Senatus existimari. Halesini pro multis, & magnis suis, maiorumq; suorum in Remp. nostram meritis, atq; beneficijs suo iure, nuper L. Licinio Q. Mutio Conſ. cum haberent inter se controuersias de Senatu cooptando: leges ab Senatu nostro petiuerunt. decreuit Senatus honorifico S. C. ut his C. Claudius Appij filius Pulcher Prætor de Senatu cooptando leges conscriberet. C. Claudius adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit. in quibus multa sanxit de ætate hominum: ne quis minor triginta annis natus: de quæstu, quem qui fecisset, ne legeretur: de censu, de cæteris rebus. quæ omnia ante istum Prætorem, & nostrorum magistratuum authoritate, & Halesinorũ summa uoluntate ualuerunt. ab isto & præco, qui uoluit, istum ordinem precio mercatus est: & pueri annorum senum septenumq; denum Senatorium nomen nũdinati sunt: & quod Halesini antiquißimi, & fidelißimi so-

eij, atq; amici Romæ impetrarant, ut apud se ne suffragijs quidem fieri liceret: id precio ut fieri posset, effecit. Agrigentini de Senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent. in quibus & eadem illa sancta sunt: & hoc amplius. cum Agrigentinorum duo genera sint: unũ ueterum, alterũ colonorũ: quos T. Manlius Prætor ex S. C. de oppidis Siculorũ deduxit Agrigentum: cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent ex colonorum numero, quàm ex uetere Agrigentinorum. Iste qui omnia iura precio exæquasset: omniũq; rerũ delectum, atq; discrimen pecunia sustulisset: nonmodo illa, quæ erant ætatis, ordinis, quæstusq; permiscuit: sed etiam in his duobus generibus ciuium nouorum, ueterumq; delectum ordinemq; turbauit. nam cum esset ex ueterum numero quidam Senator demortuus: & cum ex utroq; genere par numerus reliquus esset: ueterem cooptari necesse erat legibus: ut his amplius numerus esset. quæ cum ita se res haberet: tamen ad istum uenerunt emptũ locum illum Senatorium non solum ueteres, sed etiam noui. fit, ut precio nouus uincat: literasq; à Prætore afferat. Agrigentini ad istum legatos mittunt: qui eum leges doceant: consuetudinemq; omnium annorum demonstrent: ut iste intelligeret: ei se illum locum uendidisse: cui ne commertium quidem esse oporteret. quorũ oratione iste, cum precium iam accepisset: ne tantulum quidem commotus est. idem fecit Heracleæ. nam eò quoq; colonos P. Rupilius deduxit: legesq; similes de cooptando Senatu, ac de numero ueterum, ac nouorum dedit. ibi non solum iste, ut apud cæteros, pecuniam accepit: sed etiam genera ueterum, ac nouorum, numerumq; permiscuit. Nolite expectare dum omnes obeam

orationẽ mea ciuitates: hoc uno complector crimine omnia. neminem isto Prætore Senatorem fieri potuisse: nisi qui isti pecuniam dedisset. hoc idem transfero in magistratus, curationes, sacerdotia: quibus in rebus non solum hominum iura, sed etiam deorum religiones immortalium omnes repudiauit. Syracusis lex est de religione: quæ in annos singulos Iouis sacerdotem sortito capi iubeat: quod apud illos amplissimum saterdotium putatur. cum suffragijs tres ex tribus generibus creati sunt, res reuocatur ad sortem. perfecerat iste imperio: ut pro suffragio Theomnastus familiaris suus in tribus illis renunciaretur. in sorte, cui imperare non poterat: expectabant homines quidnam, acturus esset. homo id quod erat facillimum: primo uetat sortiri: iubet extra sortem Theomnastum renunciari. negant id Syracusani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse: fasq; negant esse. iubet ille sibi legem legi. recitatur. in qua scriptum erat: ut quot essent renunciati, tot in hydriam sortes conijcerentur: cuius nomen exisset, ut is haberet sacerdotiũ. homo ingeniosus, & peracutus optime inquit. nempe scriptũ ita est, quot renunciati erũt: quot ergo sunt renunciati? respondsum, tres. nunquid igitur oportet, nisi tres sortes conijci? unam educi? nihil. cõ ijci iubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti. fit clamor maximus, cum id uniuersis indignum, atq; nefarium uideretur. Ita Iouis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur. Cephaledi mensis est certus: quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. erat eius honoris cupidus Arthenio quidam, Climachias cognomine, homo sanè locuples, & domi nobilis: sed is fieri nullo modo pote-

rat. si Herodotus quidam adesset: ei locus ille, atq; honos in illum annum ita deberi putabatur: ut ne Climachias quidem contradiceret. res ad istum defertur, & istius more deciditur. toreumata sanè nota, ac preciosa auferuntur. Herodotus Romæ erat: satis putabat se ad comitia tempore uenturum, si pridie uenisset. Iste ne aut alio mense ac fas erat, comitia haberētur: aut Herodoto præsenti honos adimeretur, id, quod iste non laborabat, Climachias minime uolebat, excogitat. dixi iam dudū, nō est homo acutior quisquam, nec fuit. excogitat inquam, quemadmodum mense illo legitimo, comitia haberētur: nec tamen Herodotus adesse posset. est consuetudo Siculorū, cæterorumq; græcorum, quod suos dies mensesq; congruere uolunt cum solis lunæq; ratione: ut nonnunquam si quid discrepet, eximant unum aliquē diem, aut summum biduum ex mense: quos illi exhæresimos dies nominant. item nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt, aut biduo. quæ iste cum cognouisset, nouus astrologus, qui non tam cœli rationem, quàm cælati argenti duceret: eximi iubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumq; mensem hoc modo: ut quo die uerbi causa esse oporteret Idus Ianuarias: eo die Cal. Martias proscriberet. itaq; fit omnibus recusantibus, et implorantibus. dies is erat legitimus comitijs habendis. eo modo sacerdos Climachias renunciatus est. Herodotus cum Roma reuertitur dies ut ipse putabat, quindecim ante comitia: offendit eum mensem comitialē comitijs iam ab hinc triginta diebus habitis. Tunc Cephaleditani decreuerunt intercalarium XLV dies longum: ut reliqui menses in suam rationem reuerterentur. hoc si Romæ fieri posset: certe aliqua ratiōe expugnasset iste:

ut dies XLV inter binos ludos tollerentur: per quos solos iudicium fieri posset. Iam uero Censores quemadmodum in Sicilia isto Prætore creati sunt, operæpreciū est cognoscere. ille enim est magistratus apud Siculos, q̄ diligentißime mandatur à populo propter hāc causam: quod omnes Siculi ex cēsu quotannis tributa conferūt: in censu habendo potestas omnis æstimatiōis habendæ, summæq; faciundæ censori permittitur. itaq; eum populus, cui maximam fidem suarum rerum habeat, maxima cura deligit: & propter magnitudinē potestatis hic magistratus à populo summa ambitione contenditur. In ea re nihil obscure facere uoluit: non in sortitione fallere: neq; dies de fastis eximere: nihil sanè uafre nec malicioſe facere conatus est: sed ut studia, cupiditatesq; honorum, atq; ambitiones ex omnibus ciuitatibus tolleret: quæ res euertendæ Reipublicæ causa solent esse: ostendit sese in omnibus ciuitatibus Censores esse facturum. Tanto mercatu Prætoris indicto, concurritur undiq; ad istum Syracusas: flagrabat domus tota prætoria studio hominum, & cupiditate: nec mirum, omnibus comitijs tot ciuitatum unam in domū reuocatis, tantaq; ambitione prouinciæ totius in uno cubiculo inclusa. exquisitis palàm precijs, & licitationibus factis describebat Censores binos in singulas ciuitates Timarchides. is suo labore, suisq; accessionibus huius negocij, atq; operis molestiam consequebatur: ut ad istum sine ulla sollicitudine summa pecunia referretur. Iam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, planè adhuc cognoscere non potuistis: ueruntamen priore actione quàm uarie, quàm improbe prædatus esset, multorum ex testimonijs cognouistis. Sed ne miremini qua ratione hic tan-

tum apud istum libertus potuerit: exponam uobis breuiter, quid hominis sit: ut & istius nequitiam, qui illum secum habuerit, eo præsertim numero ac loco, & calamitatem prouinciæ cognoscatis. in mulierum corruptelis, & in omni eiusmodi luxuria, atq; nequitia mirandũ in modum reperiebam hunc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines, singularemq; nequitiam natum, atq; aptum fuisse: inuestigare, adire, appellare, corrumpere, quidquis facere in eiusmodi rebus, quamuis callide, quamuis audacter, quamuis impudenter. eundem mira quædam excogitare genera furandi. nam ipsum Verrem tantum semper auaricia hiante atq; imminenti fuisse, ingenio, & cogitatione nulla: ut quicquid sua sponte faciebat, item ut uos Romæ cognouistis, eripere potius, q̃ fallere uideretur. hæc uero eius erat ars, & malicia miranda: quod acutissime tota prouincia quid cuiq; esset necesse, indagare, & odorari solebat: omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attentare: ex utraq; parte causas, uoluntates perspicere, facultates, & copias: quibus opus esset, metũ afferre: quibus expediret, spem ostendere: accusatorum, & quadruplatorum quicquid erat, habebat in potestate: quod cuiq; negocij cõflari uolebat, nullo labore faciebat: istius oĩa decreta, imperia, literas peritissime, & callidissime uenditabat: ac non solum erat administer istius cupiditatum: uerum etiam ipse sui meminerat æque: non solum nummos, si qui isti exciderant, tollere solebat, ex quibus pecuniam maximam fecit: sed etiam uoluptatum, flagitiorumq; istius ipse reliquias colligebat. itaq; in Sicilia non Athenionem, qui nullum oppidum cœpit: sed Timarchidem fugitiuum omnibus oppidis per triennium scitote re-

gnasse: in Timarchidis potestate sociorum populi Rõ. antiquissimorum, atq; amicissimorum liberos, matres familias, bona, fortunasq; omnes fuisse. Is igitur, ut dico, Timarchides in omnes ciuitates accepto precio Censores dimisit. comitia isto prætore Censorum ne simulandi quidem causa fuerunt. Iam hoc impudentissime. palàm, licebat enim uidelicet legibus, singulis Censoribus denarij trecenti ad statuam prætoris imperati sunt. Censores CXXX facti sunt. pecuniam illam ob censuram contra leges, clàm dederunt: hæc denaria XXXVIIII millia palàm saluis legibus contulerunt in statuam. primum quo tantam pecuniam? deinde quamobrem Censores ad statuam tibi conferebant? ordo aliquis Censorum est collegium? genus aliquod hominum? nam aut publice ciuitates istos honores habent: aut si generatim homines, ut aratores, ut mercatores, ut nauicularij. Censores quidem qui magis, quàm Aediles? ob beneficium? ergo hoc fatebere, abs te hæc petita esse? nam erepta non audebis dicere. te eos magistratus hominibus beneficij nõ Reip. causa permisisse? hoc autẽ tute fatebere? quis q̃ dubitabit? quin tu istam apud populos prouinciæ istius inuidiam atq; offensionem nõ ambitionis, neq; beneficiorum collocandorum sed pecuniæ conciliandæ causa susceperis? Itaq; Censores fecerunt idem, quod in nostra Rep. solent ij: qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, ut ita potestatem gererent: ut illam lacunam rei familiaris explerent. sic census habitus est te prætore: ut eo censu nullius ciuitatis Resp. posset administrari. nam locupletissimi cuiusq; census extenuerant: tenuissimi auxerant. Itaq; in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur: ut etiam

si homines tacerent: res ipsa illum censum repudiaret. id quod intelligi facillime re ipsa potest. nam L. Metellus, qui postea quam ego inquirendi causa in Siciliam ueni: repente Letilij aduentu istius non modo amicus, uerum etiam cognatus factus est: is, quod uidebat istius censum stare nullo modo posse: eum censum obseruari iussit: qui uiro fortissimo, atq; innocentissimo Sex. Peduceo prætore habitus esset. erant enim tum Censores legibus facti, delecti à suis ciuitatibus: quibus, si quid cõmi sissent, pœnæ legibus erant cõstitutæ. te autem prætore, qui Censor aut legem metuerit, qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat? aut animaduersionem tuã? cum id quod abs te emerat, uẽdidisset? Teneat iam sanè meos testes Metellus: cogat alios laudare: sicut in multis conatus est: modo hæc faciat, quæ fecit. quis enim unquã tanta à quoquam contumelia, quis tanta ignominia affectus est? Quinto quoq; anno Sicilia tota censetur: erat censa prætore Peduceo: quintus annus cũ te prætore incidisset, censa denuo est. postero anno L. Metellus mentionem tui census fieri uetat: censores dicit de integro sibi creari placere: interea Peduceanum censum obseruari iubet. hoc si tuus inimicus tibi fecisset: tametsi animo æquo prouinciam tulisset: inimici iudicium graue uideretur. fecit amicus recens, & cognatus uoluntarius. aliter enim, si prouinciam retinere, si saluus ipse in prouincia uellet esse: facere non potuit. expectas etiam quid hi iudicent? si tibi magistratum abrogasset: minore ignominia te affecisset: quàm cum ea, quæ in magistratu gessisti, sustulit, atq; irrita iussit esse. Neq; in hac re sola fuit eiusmodi. sed antequam ego in Siciliam ueni: in maximis rebus, ac plurimis. nam & Heraclio Syracusano tuos

eusano tuos illos palæstritas bona restituere iussit: & Epicrate Bidinos, & pupillo Drepanitano A. Claudiũ: & nisi mature Letilius in Siciliam uenisset cum literis: minus XXX diebus Metellus totã triennij præturam rescidisset. Et quoniam de ea pecunia quam tibi ad statuam Censores contulerunt, dixi: non mihi prætermittendum uidetur, ne illud quidem genus pecuniæ conciliatæ: quam tu à ciuitatibus statuarum nomine coegisti. Video enim eius pecuniæ summam esse pergrandem, ad HS CXX millia. tantum conficitur ex testimonijs, ac literis ciuitatum: & iste hoc concedit, nec potest aliter dicere. quare cuiusmodi putamus esse illa, quæ negat? cum hæc tam improba sunt, quæ fatetur? quid enim uis constitui? consumptam esse omnem istam pecuniam in statuis? fac ita te esse: tamen hoc ferendum nullo modo est: tantam ab socijs pecuniam auferri: ut omnibus in angiportis prædonis improbissimi statuæ ponantur: qua uix tuto transire posse uideamur. uerum ubi tandem, aut in quibus statuis ista tanta pecunia consumpta est? cõsumetur inquies. scilicet expectemus legitimũ illud quinquennium. si hoc interuallo non consumpserit: tum deniq; nomen eius de repetundis pecunijs statuarum nomine deferemus. reus est maximis plurimisq; criminibus in iudicium uocatus: HS CXX millia ex hoc uno genere capta uidemus. si cõdemnatus eris: non opinor id ages, ut ista pecunia in quinquennio consumatur in statuis. sin absolutus eris: quis erit tam amens, qui te ex tot, tãtisq; criminibus elapsum, post quinquennium statuarum nomine accersat? itaq; neq; adhuc consumpta ista pecunia est: & est perspicuum, non consumptum iri: licet iam intelligamus inuentã esse rationem:

quare & iste HS CXX millia uno genere concilia-
rit: & cœperit: & cæteri, si à uobis hoc erit comproba-
tum: quam uolent magnas hoc nomine pecunias capere
posſint: ut iam uideamur non à pecunijs capiendis ho-
mines abſterrere: ſed cum genera quædam pecuniarum
capiendarum comprobaremus: honeſta nomina turpiſsi
mis rebus imponere. Etenim ſi C. Verres HS CXX
millia populum uerbi gratia Centuripinum popoſciſ-
ſet, eamq; ab his pecuniam abſtuliſſet: non opinor eſſet
dubium, quin eum, ſi tum id planum fieret, condemna-
ri neceſſe eſſet. quid ſi eundem populum HS CCC mil
lia popoſcit? eaq; coegit, atq; abſtulit? nũ iccirco abſol
uetur, quod aſcriptũ eſt, eam pecuniã datam ſtatuarum
nomine? non opinor. niſi forte id agimus: non ut magi-
ſtratibus noſtris moram accipiendi, ſed ut ſocijs cauſam
dandi auferre uideamur. Quod ſi quẽ ſtatuæ magnope-
re delectant: & ſi quis earum honore, & gloria duci-
tur: is hæc tamen conſtituat neceſſe eſt: primum auerti
pecuniam domum non placere: deinde ipſarum ſtatua-
rum modum quendam eſſe oportere: deinde illud certe,
ab inuitis exigi non oportere. Ac de auertenda pecu-
nia, quæro abs te, utrum ipſæ ciuitates ſolitæ ſint ſta-
tuas tibi faciundas locare ei, cui poſſent optima cõditio
ne locare? an aliquem curatorem præficere, qui ſtatuis
faciundis præeſſet? an tibi, an cui tu imperaſſes adnu-
merare pecuniam? nam ſi per eos ſtatuæ fiebant: à qui-
bus tibi iſte honos habebatur, audio. ſin Timarchidi pe-
cunia numerabatur: deſine quæſo ſimulare te, cum in
manifeſto furto teneare: gloriæ ſtudioſum, ac monumen
torum fuiſſe. quid uero modum ſtatuarum haberi nul-
lum placet? atqui habeatur neceſſe eſt, etenim ſic conſi-

derate. Syracuſana ciuitas, ut eam potiſsimũ nominem,
dedit ipſi ſtatuam. eſt honos. & patri: bella hæc pieta-
tis, & quæſtuoſa ſimulatio. et filio: ferri hoc poteſt. hũc
enim puerum non oderant. uerum quotiens, & quot
nominibus à Syracuſanis ſtatuas auferes? ut in foro ſta-
tuerent, abſtuliſti: ut in curia, coegiſti: ut pecuniam con-
ferrent in eas ſtatuas, quæ Romæ ponerentur, impera-
ſti: ut ijdem darent homines aratorum nomine: dede-
runt: ut ijdem pro parte in commune Siciliæ cõferrent:
etiam id contulerunt. una ciuitas cum tot nominibus pe
cuniã contulerit, idemq; hoc ciuitates cæteræ fecerint:
non res ipſa uos admonet: ut putetis modũ aliquẽ huic
cupiditati conſtitui oportere? quod ſi hoc uoluntate ſua
nulla ciuitas fecit: ſi omnes imperio, metu, ui, malo ad-
ductæ tibi pecuniã ſtatuarum nomine contulerunt: per
deos immortales num cui dũbium eſſe poterit? quin,
etiam ſi quis ſtatuerit accipere ad ſtatuas licere, idem ta
men ſtatuat, eripere certe non licere? Primum igitur in
hanc rem teſtem totam Siciliã citabo: quæ mihi una uo-
ce ſtatuarum nomine magnam pecuniam per uim co-
actam eſſe demonſtrat. nam legationes omnium ciuita-
tum in poſtulatis communibus, quæ ferè omnia ex tuis
iniurijs nata ſunt: etiam hoc ediderunt: ut ſtatuas ne
cui, niſi cum is de prouincia deceſsiſſet, pollicerentur:
Tot prætores in Sicilia fuerunt: totiens apud maiores
noſtros Siculi Senatum adierunt: totiens hac memoria:
tamẽ huiuſce noui poſtulati genus, atq; principium tua
prætura attulit. quid enim tam nouum, non ſolum re,
ſed genere ipſo poſtulandi? nam cætera quæ ſunt in
ijſdem poſtulatis de iniurijs tuis, ſunt noua: ſed tamen
non nouo modo poſtulantur. rogant, et orant Siculi pa

tres conscriptos: ut nostri magistratus post hac decumas lege Hieronica uendant. tu primus contrà uendideras. audio. ne in cellam quod imperatur, æstiment. hoc quoq; propter tuos ternos denarios nunc primum postulatur. sed genus istud postulandi non est nouum. ne absentis nomen recipiatur. ex Sthenij calamitate, & tua natum est iniuria. cætera non colligam. sunt omnia Siculorum postulata eiusmodi: ut crimina collecta in unum te reum esse uideantur. quæ tamen omnia nouas iniurias habẽt: sed postulationum formulas usitatas. hoc postulatum de statuis ridiculum esse uideatur ei: quirem sententiamq; non perspiciat: postulant enim non ut ne cogantur statuere. quid igitur? ut ipsis ne liceat. quid est hoc? petis à me, quod in tua potestate est: ut id tibi facere ne liceat. pete potius ne quis te inuitũ polliceri, aut facere cogat. nihil ergo inquit. negabũt enim omnes se coegisse. si me saluum esse uis: mihi impone istam uim: ut omnino mihi ne liceat polliceri. ex tua prætura primum nata est hæc postulatio: qua cum utuntur: hoc significant, atque adeo aperte ostendunt: sese ad statuas pecuniam metu, ac malo coactos inuitissimos contulisse. Quid? si hoc nõ dicant: tibi non necesse sit id ipsi confiteri? uide & perspice qua defensione sis usurus: iam intelliges hoc tibi de statuis confitendum esse. mihi enim renunciatur, ita constitui à tuis patronis hominibus ingeniosis causam tuã: & ita eos abs te institui, & doceri: ut quisq; ex prouincia Sicilia grauior homo, atq; honestior testimonium uehementius dixerit: sicuti Siculi multi primarij uiri multa dixerũt: te statim hoc istis tuis defensoribus dicere: inimicus est: ppterea quod arator est. itaq; uno genere opinor circunscribere habetis in animo genus hoc aratorum: quod eos infenso animo, atq; inimico uenisse dicatis, quia fuerit in decumis iste uehementior. Ergo aratores inimici: omnes aduersarij: nemo eorum est quin perisse te cupiat. omnino præclare te habes: cum is ordo, atq; id genus hominum, quod optimum, atq; honestissimum est: à quo uno & summa Reipub. & illa prouincia maxime cõtinetur: tibi est inimicissimum. uerũ esto: alio loco de aratorum animo, & iniurijs uidero: nunc quod mihi abs te datur, id accipio: eos tibi esse inimicissimos. nempe ita dicis, propter decumas. concedo. non quæro iure an iniuria sint inimici. quid ergo illæ sibi statuæ equestres inauratæ uolunt? quæ populi Ro. oculos, animosq; maxime offendũt: propter ædẽ Vulcani? nam scriptum esse uideo, quandam ex his statuam aratores dedisse. si honoris causa statuam dederunt, inimici non sunt: credamus testibus: tum enim honori tuo: nunc iam religioni suæ consulunt. sin autem metu coacti dederunt: confiteare necesse est, te in prouincia pecuniã statuarum nomine per uim ac metum coegisse. utrum tibi commodum est elige. equidem libenter hoc iam crimen de statuis relinquam: ut mihi tu illud concedas: quod tibi honestissimum est: aratores tibi ad statuam honoris tui causa uoluntate sua contulisse. da mihi hoc. iam tibi maximam partem defensionis præcideris. nõ enim poteris aratores tibi iratos esse, atq; inimicos dicere. O' causam singularem: O' defensionem miseram, ac perditam: nolle hoc accipere reum ab accusatore: et eum reum qui prætor in Sicilia fuerit: aratores ei statuam sua uoluntate statuisse: aratores de eo bene existimare: amicos esse: saluum esse cupere. metuit, ne hoc uos existimetis. obruitur enim aratorũ testimonijs. utar eo qd' datur. certe ita

uobis hoc iudicandum est: eos, qui isti inimicissimi sunt: ut ipse existimari uult: ad istius honores, atq; monumenta pecuniam non uoluntate sua contulisse. atq; ut hoc tamen facillime intelligi possit: quem uoles eorum testium, quos produxero: qui in Sicilia testes sint: siue ciuem Romanum, siue Siculum, rogato: & eum qui tibi inimicissimus esse uidebitur: qui se spoliatum à te dicet: ecquid suo nomine in tuam statuam contulerit? neminem reperies, qui neget. & enim omnes dederunt. quenquam igitur putas dubitaturum? quin is, quem inimicissimum tibi esse oporteat: qui abs te grauissimas iniurias acceperit: pecuniam statuæ nomine dederit ui, atq; imperio adductus, non officio, ac uoluntate. Et huius ego pecuniæ Iudices, quæ permagna est, impudentissimeq; coacta ab inuitis: non habui rationem: neque habere potui: quantum ab aratoribus, quantum ab negociatoribus, qui Syracusis, qui Agrigenti, qui Panormi, qui Lilybei negociantur, esset coactum: quoniam intelligitis ipsius quoq; cõfessione ab inuitissimis coactam esse. Venio nunc ad ciuitates Siciliæ: de quibus facillime iudicium fieri uoluntatis potest. an etiam Siculi inuiti contulerunt? non est probabile. etenim sic C. Verrem præturam in Sicilia gessisse constat: ut cum utriscq; satisfacere non posset, & Siculis, & togatis: officij potius in socios, quàm ambitionis in ciues rationem duxerit. Itaq; cum non solum patronum istius insulæ, sed etiam Sotera inscriptum uidi Syracusis. hoc quantum est? ita magnum: ut latino uno uerbo exprimi non possit. is est nimirum Soter: qui salutem dedit. huius nomine etiam dies festi agitantur pulchra illa Verrea, non quasi Marcellea, sed pro Marcelleis, quæ illi istius iussu sustulerunt. huius fornix in foro Syracu-

sis est: in quo nudus filius stat: ipse autem ex equo nudatam ab se prouinciã prospicit. huius statuæ omnibus locis erectæ sunt, quæ hoc demonstrare uideantur: propemodum non minus multas statuas istum posuisse Syracusis, quàm abstulisse. huic etiam Romæ uidemus in basi statuarum maximis literis incisum, à communi Sicilia datas. quamobrem qui hoc probari potest cuiquam? tantos honores habitos esse ab inuitis? Hic tibi etiam multo magis, quàm ante in aratoribus uidendũ & considerandum est, quid uelis. magna res est. utrum tibi Siculos publice priuatimq; amicos, an inimicos existimari uis? si inimicos: quid te futurum est? quo confugies? ubi nitere? modo aratorum honestissimorum hominum, & locupletissimorum maximum numerum abs te abalienasti. nunc de Siculis ciuitatibus quid ages? dices tibi Siculos esse amicos? quî poteris? qui, quod nullo in homine antea fecerunt: ut in eum publice testimonium dicerent: cum præsertim ex ea prouincia condemnati sint cõplures, qui ibi prætores fuerunt, duo soli absoluti: huc conueniũt cum literis: ueniunt cum mandatis: ueniunt cum testimonijs publicis: qui si te publice laudarent: tamen id more potius suo, quàm merito tuo facere uiderentur: hi cum de tuis factis publice conqueruntur: nonne hoc indicant? tantas esse iniurias: ut multo maluerint de suo more decedere: quàm de tuis moribus non dicere? confitendum est igitur tibi necessario: Siculos inimicos esse: qui quidem & in te grauissima postulata Consulibus ediderunt: & me ut hanc causam, salutisq; suæ defensionem susciperem, obsecrarunt: qui cum à prætore prohiberentur: à quatuor quæstoribus impedirentur: omnium minas, atq; omnia pericula præ

salute sua leuia duxerunt: qui priore actione ita testimonia grauiter, uehementérque dixerunt: ut Artemonem Centuripinum legatum, & publice testem, Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret. etenim cum propter uirtutem, & fidem cum Androne homine honestißimo, & certißimo, tum etiam propter eloquentiam legatus à suis ciuibus electus est: ut posset multas istius, & uarias iniurias quàmapertißime uobis, planißimeq; explicare. Dixerunt Halesini, Catinenses, Tyndaritani, Ennenses, Herbitenses, Agyrinenses, Netinenses, Segestani. numerare omnes non est necesse. scitis quam multi, & quam multa priore actione dixerunt. nunc & illi, & reliqui dicent. omnes deniq; hoc in hac causa intelligent: hoc animo esse Siculos: ut si in istum animaduersum non sit: sibi relinquendas domos, ac sedes suas, & ex Sicilia decedendum, atq; adeo fugiendum esse arbitrentur. Hos homines tu persuadebis, ad honores, atq; amplitudinem tuam pecunias maximas uoluntate sua cõtulisse? credo. qui te in tua ciuitate incolumem esse nollent: ij monumenta tuæ formæ, ac nominis in suis ciuitatibus esse cupiebant. res declarauit, ut cupierint. iamdudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te uoluntatis argumenta colligere uideor: utrum statuas uoluerint tibi statuere, an coacti sint. de quo homine auditum est unquam, quod tibi accidit? ut eius in puincia statuæ in locis publicis positæ, partim etiam in ædibus sacris, per uim per uniuersam multitudinem deijcerentur? tot homines in Asia nocentes, tot in Africa, tot in Hispania, Gallia, Sardinia, tot in ipsa Sicilia fuerunt: ecquo de homine hoc unquam audiuimus? nouum est Iudices, in Siculis qui-

dem, & in omnibus græcis monstri simile. non crederem hoc de statuis: nisi iacentes, reuulsasq; uidissem: propterea quod apud omnes græcos hic mos est: ut honorẽ hominibus habitum in monumentis huiusmodi, nonnulla religione deorum consecrari arbitrentur. itaq; cum Rhodij bellum illud propè soli superius cum Mithridate rege gesserint: omnesq; eius copias, acerrimũq; eius impetum, à mœnibus, litoribus, classibusq; suis exceperint: cum & regis inimici præter cæteros essent: statuam eius, quæ erat apud ipsos in celeberrimo urbis loco: ne tum quidem in ipsis urbis periculis attigerunt. forsitan uix conuenire uideretur: quem ipsum hominem cuperent euertere: eius effigiem simulacrumq; seruare. sed tamen uidebam, apud eos cum essem, & religionem esse quandam in his rebus à maioribus traditam: & hoc disputare, cum statua se eius habuisse temporis rationem, quo posita esset: cum homine uero, quo gerceret bellum, atq; hostis esset. uidetis igitur consuetudinem, religionemq; græcorum, quæ monumenta hostiũ in bello ipso soleat defendere: eam summa in pace prætoris populi ro. statuis præsidio non fuisse. Tauromenitani, quorum est ciuitas fœderata: homines quietißimi, qui maxime ab iniurijs nostrorum magistratuum remotißimi consuecuerant esse præsidio fœderis: hi tamen istius euertere statuam non dubitarunt. qua ablata, basin tamen in foro manere uoluerunt: quod grauius in istum fore putabant: si scirent homines statuam eius à Tauromenitanis esse deiectam: quàm si nullam unquã positam arbitrarentur. Tyndaritani deiecerunt in foro: & eadem de causa equum inanem reliquerunt. Leontini misera in ciuitate, atq; inani, tamen istius in

gymnasio statua deiecta est. Nam quid ego de Syracusanis loquar, quod non est proprium Syracusanorum: sed & illorum commune, & conuentus illius, ac propè totius prouinciæ? quanta illuc multitudo, quanta uis hominum conuenisse dicebatur, tum cum statuæ sunt illius deiectæ, atq; euersæ. at quo loco? celeberrimo, acreligiosissimo, ante ipsum Sepim, in primo aditu, uestibuloq; templi. quod nisi Metellus hoc tam grauiter egisset: atq; illam imperio, edictoq; prohibuisset: uestigium statuarum istius in tota Sicilia nullum esset relictum. Atq; ego hoc non uereor: ne quid horum nonmodo impulsu, uerum omnino aduentu meo factum esse uideatur. omnia ista ante facta sunt, nonmodo quàm ego Siciliam, uerum etiam quàm iste Italiam attigit. dum ego in Sicilia sum: nulla statua deiecta est. postea quam illinc discessi: quæ sunt gesta, cognoscite. Centuripinorum Senatus decreuit, populusq; iussit: ut quæ statuæ C. Verris ipsius, & patris, & filij essent: eas quæstores demoliendas locarent: dumq; ea demolitio fieret: Senatores XXX non minus adessent. Videte grauitatem ciuitatis, & dignitatem. neq; eas in urbe sua statuas esse uoluerunt: quas inuiti per uim, atq; imperium dedissent: neq; eius hominis: in quem ipsi cum grauissimo testimonio, quod nunquam antea, Romam mandata, legatosq; misissent. & id grauius esse putauerunt: si publico consilio, quam si per uim multitudinis factum uideretur. cum hoc consilio statuas Centuripini publice sustulissent: audit Metellus: grauiter fert: euocat ad se Centuripinum magistratum, & decem primos: nisi restituissent statuas: uehementer ijs minatur. illi ad Senatum renunciant: statuæ, quæ istius causæ nihil pro

dessent: reponuntur. Hic ego aliud alij concedo: Metello homini sapienti prorsus non possum ignoscere: si quid stulte facit. quid? ille hoc putabat Verri criminosum fore, si eius statuæ essent deiectæ? quod sæpe uento, aut aliquo casu fieri solet. non erat in hoc neq; crimen ullum, neq; reprehensio. ex quo igitur crimen, atq; accusatio nascitur? ex hominum iudicio, & uoluntate. ego, si Metellus statuas reponere Centuripinos non coegisset, hæc dicerem. uidete Iudices quantum, & quàm acerbum dolorem sociorum, atq; amicorum animis inusserint istius iniuriæ: cum Centuripinorum amicissima, & fidelissima ciuitas, quæ tantis officijs cum populo Ro. coniuncta est: ut non solum Remp. nostram, sed etiã in quouis homine priuato nomen ipsum Romanorum semper dilexerit: ea publico consilio, atq; authoritate iudicarit: C. Verris statuas esse in urbe sua non oportere. recitarem decreta Centuripinorum: laudarem illam ciuitatem: id quod uerissime possem: cõmemorarem X millia ciuium Centuripinorum fortissimorum, fidelissimorumq; sociorum: eos omnes statuisse monumentum istius in sua ciuitate nullum esse oportere. Hæc tum dicerem: si statuas Metellus non reposuisset. uelim quærere nunc ex ipso Metello, quidnam sua ui, & authoritate mihi ex hac oratione præciderit. eadem opinor omnia conuenire. neq; enim si maxime statuæ deiectæ essent: eas ego uobis possem iacentes ostendere: hoc uno uterer: ciuitatem tam grauem statuas iudicasse C. Verris demoliendas. hoc mihi Metellus non eripuit. hoc etiam addidit: ut quererer, si mihi uideretur, tã iniquo iure sociijs, atq; amicis imperari: ut ijs, ne in suis quidem beneficijs, libero iudicio uti liceret: ut uos rogarem: ut cõiectu

ram faceretis, qualem in ijs rebus in me L. Metellum fuisse putaretis: in quibus rebus obesse mihi posset: cum in hac re tam aperta cupiditate fuerit: in qua nihil obfuit. sed ego Metello non irascor: neq; ei suam purgationem eripio: qua ille apud omnes utitur: ut nihil maliciose, neq; consulto fecisse uideatur. Iam igitur est ita perspicuum, ut negare non possis: nullam tibi statuam uoluntate cuiusquam datam: nullam pecuniam statuarum nomine nisi ui expressam, & coactam. quo quidem in crimine non illud solum intelligi uolo: te ad statuas HS CXX millia coegisse: sed multo etiam illud magis, quod simul demonstrandum est: quantum odium in te aratorum, quantum omnium Siculorum sit: & fuerit: in quo quæ uestra defensio futura sit: coniectura assequi non queo. oderunt Siculi. togatorum enim causa multa feci. at hi quidem acerrimi, inimicissimiq; sunt. inimicos habeo ciues romanos: quod sociorum commoda, ac iura defendi. at socij in hostium numero abs te habitos quæruntur. aratores inimici sunt propter decumas. quid? qui agros immunes, liberosq; arant: cur oderunt? cur Halesini? cur Centuripini? cur Segestani? cur Halicyenses? quod genus hominum? quem numerum? quem ordinem proferre possis? qui te non oderit? siue ciuium romanorum, siue Siculorum? ut etiam si causam, cur te oderint, non possim dicere: tamen illud dicendum putem: quem omnes mortales oderint: eũ quoq; uobis odio esse oportere. An hoc dicere audebis? utrum de te aratores, utrum deniq; Siculi uniuersi, bene existiment, ad rem id non pertinere? neq; tu hoc dicere audebis: neq;, si cupies, licebit. eripiunt tibi istam orationem cõtemnendorum Siculorum, atq; aratorum, statuæ illæ

equestres: quas tu paulo ante, quàm ad urbem uenires, poni inscribiq; iußisti: ut omnium inimicorum animos accusatorumq; tardares. quis enim tibi molestus esset? aut quis appellare auderet? cum uideret statuas abnegociatoribus, ab aratoribus, à communi Sicilia? quod est aliud in illa prouincia genus humanum? nullum. ergo ab uniuersa prouincia, generatimq; à singulis eius partibus, non solum diligitur: sed etiam ornatur. quis hunc attingere audeat? potes igitur dicere, nihil tibi obesse oportere aratorum, negociatorum, Siculorumq; omnium testimonia? cum eorum nominibus in statuarum inscriptione positis, omnem te sperabas inuidiam, atq; infamiam tuam extinguere posse. An quorum authoritate tu statuas cohonestare tuas conatus es: eorum ego dignitate accusationem meam comprobare non potero? nisi forte, quod apud publicanos gratiosus fuisti: in ea re spes te aliqua cõsolatur. quæ gratia nequid tibi prodesse posset: ego mea diligentia perfeci. ut etiam obesse deberet: tu tua sapientia curasti. Etenim rem totam Iudices breuiter cognoscite. In scriptura Siciliæ pro magistro est quidam L. Carpinatius: qui & sui quæstus causa, & fortasse quod sociorum interesse arbitrabatur, bene penitus in istius familiaritatem sese dedit. is cum prætorem circum omnia fora sectaretur: neq; ab eo unquam discederet: in eam iam uenerat familiaritatem, consuetudinemq; in uendendis istius decretis, & iudicijs, transigendisq; negocijs: ut propè alter Timarchides numeraretur. hoc erat etiam capitalior: quod idem pecuniam ijs, qui ab isto aliquid mercabantur: fœnori dabat. ea autẽ fœneratio erat huiusmodi Iudices: ut etiã hic quæstus huic cederet. nam quas pecunias ferebat ijs

expensas, quibus cum contrahebat: aut scribæ istius, aut Timarchidi, aut etiam ipsi isti referebat acceptas. idem præterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fœnerabatur. Hic primo Carpinatius antequã in istius tantam familiaritatem peruenisset. aliquotiens ad socios literas de istius iniurijs miserat. Canuleius uero, qui in portu Syracusis operas dabat: furta quoq; istius permulta nominatim ad socios perscripserat ea, quæ sine portorio Syracusis erant exportata: portum autẽ, & scripturas eadem societas habebat. Ita factum est: ut essent permulta: quæ ex societatis literis dicere in istum, ac proferre possemus. uerum accidit: ut Carpinatius, qui iam cum isto summa consuetudine, præterea ratione cõiunctus esset: crebras postea literas ad socios de istius summis officijs in rem communem, beneficijsq; mitteret. & enim tum iste omnia quæcunq; Carpinatius postulabat, facere, ac decernere solebat: tum ille etiam plura scribebat ad socios: ut, si posset, quæ antea scripserat: ea plane extingueret. ad extremum uero, cum iste iam decedebat: eiusmodi literas ad eos misit: ut huic frequẽtes obuiam prodirent: gratiasq; agerent: facturos esse, si quid imperasset, studiose pollicerentur. Itaq; socij fecerũt, uetere instituto publicanorum, non quo istum ullo honore dignũ arbitrarentur: sed quod sua interesse putabant, se memores gratosq; existimari: gratias isti egerunt: Carpinatium sæpe ad se de eius officijs literas misisse dixerunt. iste cum respondisset: ea se libenter fecisse: operasq; Carpinatij magnopere laudasset: dat amico suo cuidam negocium, qui tum magister erat eius societatis: ut diligenter caueret, atq; prospiceret: ne quid esset in literis sociorũ: quod contra suum caput; atq; existimationem ualere posset. Itaq; ille multitudine sociorum remota, decumanos conuocat, rem defert. statuunt illi, atq; decernunt: ut hæ literæ quibus existimatio C. Verris læderetur, remouerẽtur, operaq; daretur, ne ea res C. Verri fraudi esse posset. Si ostendo hoc decreuisse decumanos: si planum facio hoc decreto remotas esse literas: quid expectatis amplius? possum ne rem magis iudicatam afferre? magis reum condemnatum in iudicium adducere? at quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos hi, qui seueriora iudicia desiderant: arbitrentur reos iudicari oportere, publicanorũ iudicio. quos uidelicet nunc populus iudices poscit: de quibus, ut eos iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, nõ ex equestri loco profecto, sed nobilissimo promulgatã uidemus: Decumani, hoc est principes, & quasi Senatores publicanorum, remouendas de medio literas censuerunt. Habeo ex his qui affuerunt: quos producam homines honestissimos, ac locupletissimos, istos principes, Equestris ordinis: quorũ splendore uel maxime istius, qui legẽ promulgauit: oratio, & causa nitatur. uenient in medium: dicent, quid statuerint: profecto si recte homines noui, nõ mentiẽtur. literas enim cõmunes de medio remouere potuerunt: fidem suam, & religionem remouere non possunt. Ergo Equites Ro. te suo iudicio condemnari nolue runt. Vos nunc utrum illorum iudicium, an uoluntatem sequi malitis, considerate. At uide, quid te amicorum tuorum studium, quid tuum consilium, quid sociorum uoluntas adiuuet. dicam paulo amplius. neq; enim iam uereor, nequis hoc me magis accusatorie, quàm libere dixisse arbitretur. Si istas literas non decreto Decumanorum magistri remouissent: tantum possem in te dicere:

quantum in literis inuenissem. nunc decreto isto facto, literisq; remotis, tantum mihi licet dicere, quantum possum: tantum iudici suspicari, quantum uelit. Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam uestem melitensem, plurimam stragulam, multam deliacam suppellectilem, plurima uasa corinthia, magnum numerum frumenti, uim mellis maximam, Syracusis exportasse. his pro rebus, quod portorium non esset datum: literas ad socios misisse L. Canuleium: qui in portu operas daret. satis ne magnum hoc crimen uidetur? nullum opinor maius. quid defendet Hortensius? Postulabit ut literas Canuleij proferã? crimen huiusmodi nisi literis confirmetur, inane esse dicet? clamabo literas remotas esse de medio: decreto sociorum erepta mihi esse istius indicia, ac monumenta furtorum. aut hoc contendat nunquam esse factum: aut omnia tela excipiat necesse est. negas esse factum? placet mihi ista defensio. descendo. æqua enim conditio, æquumq; certamen proponitur. producam testes: & producam plures eodem tempore. quoniam tum, cum actum est, una fuerunt: nunc quoq; una sunt. cũ interrogabũtur: obligentur non solũ iurisurãdi, atq; existimationis periculo, sed etiam communi inter se conscientia: si planum fit, hoc ita, quemadmodum dico, esse factum: non poteris dicere Hortensi, nihil in istis fuisse literis quod Verrem læderet. nonmodo id non dices: sed ne illud quidem tibi dicere licebit: tantum, quantum ego dicam, non fuisse. Ergo hoc uestro consilio, & gratia perfeciſtis: ut, quemadmodum paulo ante dixi, & mihi summa facultas ad accusandum daretur: & iudicibus libera potestas, ad credendum. quod cum ita sit: nihil fingam tamen: meminero me non sumpsisse, quem

psisse, quem accusarem: sed recepisse, quod defenderem: uos ex me causam non à me prolatam, sed ad me delatam audire oportere: me Siculis satis esse facturũ: si quæ cognoui in Sicilia, quæ accepi ãb ipsis, diligenter exposuero, populo Romano: si nullius uim, nullius potentiã pertimuero, uobis: si facultatem uere, atq; honeste iudicandi, fide, & diligentia mea fecero, mihi in eo: si ne minimum quidem de meo curriculo uitæ, quod mihi semper propositũ fuit, decessero. quapropter nihil est, quod metuas, ne quid mecum fingam: etiam quod lætere habes. multa enim quæ scio abs te esse cõmissa, quod aut nimium turpia, aut parum credibilia sunt, prætermittam: tantũ agam de hoc toto nomine societatis, ut eam scire positis. quæram decretum ne sit? cum id inuenero: quæram remotæ ne sint literæ? cum id quoq; constabit: uos iã me tacito intelligetis: si illi, qui hoc istius causã decreuerunt, equites Romani: nunc ijdem in eum iudices essent: istum sine dubio condemnarent: de quo literas eas, quæ istius furta indicarent, & ad se missas, & suo decreto remotas scirent esse. quẽ igitur ab ijs equitibus Romanis, q istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissime tractati sunt, condemnari necesse esset: is à uobis Iudices nulla ui, aut ratione absolui potest. Ac ne forte ea quæ remota de medio, atq; erepta uobis sunt: omnia ita condita fuisse, atq; ita abdite latuisse uideantur: ut hac diligentia, quam ego à me expectari maxime puto: nihil horũ inuestigari, nihil assequi potuerit: quæ consilio aliquo aut ratione inueniri potuerunt: inuenta sunt iudices. manifestis in rebus hominem iam teneri uidebitis. nam quod in publicanorũ causis uel plurimum ætatis meæ uersor: uehementerq; illum ordinem

obſeruo: ſatis commode mihi uideor eorum conſuetudinem uſu, tractandoq; cognouiſſe. itaque ut hoc comperi remotas eſſe literas ſocietatis: habui rationē annorum: per quos iſte in Sicilia fuiſſet. deinde quæſiui, quod erat inuentu facillimum, qui per eoſdem annos magiſtri iſtius ſocietatis fuiſſent. ſciebam enim hanc magiſtrorum, qui tabulas haberent, conſuetudinem eſſe: ut cum tabulas nouo magiſtro traderent: exempla literarum ipſi habere non nollent. itaq; ad L. Vibium Equitem Romanum primarium, quem reperiebam magiſtrum fuiſſe eo ipſo anno, qui mihi maxime quærendus erat, primum ueni. ſanè homini præter opinionem improuiſo incidi: ſcrutatus ſum, quæ potui, & quæſiui omnia: inueni duos ſolos libellos ab L. Canuleio miſſos ſocijs ex portu Syracuſis: in quibus erat ratio ſcripta menſiū cōplurium, rerum exportatarum iſtius nomine ſine portorio. itaq; obſignaui ſtatim. erant hæc ex eo genere, quod ego maxime genus ex ſociorum literis reperire cupiebam. uerum tantum inueni iudices: quod apud uos quaſi exempli cauſa proferre poſſem. ſed tamen quicquid erit in his libellis, quantulūcunq; uidebitur eſſe: hoc quidem certe manifeſtum erit. de cæteris ex hoc coniecturā facere debebitis. recita mihi quæſo hunc primum libellum. deinde illum alterum Libellum, Canuleij. Iam non quæro unde CCCC amphoras mellis habueris: unde tantam Melitenſem ueſtem: unde quinquaginta triclinio rum lectos: unde tot candelabra: non inquam iam quæro unde hæc habueris: ſed quo tibi tantum opus fuerit, id quæro. mitto de melle. ſed tantū ne Melitenſium? quaſi etiam amicorum uxores, tantum lectorum? quaſi etiam omnium iſtorum uillas ornaturus eſſes. Cum hæc

paucorum menſium ratio in his libellis ſit: facite ut uobis triennij totius ueniat in mentem. ſic contendo: ex his paruis libellis apud unum magiſtrum ſocietatis reperti, uos iam coniectura aſſequi poſſe, cuiuſmodi prædo iſte in illa prouincia fuerit: quàm multas cupiditates, quàm uarias, quàm infinitas habuerit: quantam pecuniam non ſolum numeratam, uerum etiā in huiuſcemodi rebus poſitam confecerit. quæ nobis alio loco planius explicabuntur. nūc hoc attendite. his exportationibus, quæ recitatæ ſunt: ſcribit HS LX ſocios perdidiſſe ex uiceſima portorij Syracuſis. pauculis igitur mēſibus, ut hi puſilli, & contempti libelli indicant: furta prætoris, quæ eſſent HS duodecies exuno oppido ſolo exportata ſunt. Cogitate nunc, cum illa ſit hæc inſula: quæ undiq; exitus maritimos habeat: quid ex cæteris locis exportatum putetis? quid Agrigento? quid Lilybeo? quid Panormo? quid Thermis? quid Haleſa? quid Catina? quid ex cæteris oppidis? quid uero Meſſana? quem iſte ſibi locum maxime tutum arbitrabatur: ubi animo ſemper ſoluto liberoq; erat: quod ſibi iſte Mamertinos delegerat: ad quos omnia quæ aut diligentius ſeruanda, aut occultius exportanda erant, deportaret. His inuentis libellis, cæteri remoti, & diligentius ſunt reconditi. nos tamen, ut omnes intelligant, hoc nos ſine cupiditate agere, his ipſis libellis contenti ſumus. Nunc ad ſociorum tabulas accepti, & expenſi, quas remouere honeſte nullo modo potuerunt: & ad amicum tuum Carpinatium reuertemur. Inſpiciebamus Syracuſis à Carpinatio confectas tabulas ſocietatis: quæ ſignificabant multis nominibus eos homines uerſuram à Carpinatio feciſſe: qui pecuniam Verri dediſſent. Erit uobis luce clari-

us Iudices: cum eos ipsos produxero: qui dederunt. intelligetis enim illa tempora, per quæ, cum essent in periculo: precio sese redemerunt: cum societatis tabulis non solum Consulibus, uerum etiam mensibus conuenire. cum hæc maxime cognoscemus: & iam in manibus tabulas haberemus: repente aspicimus lituras eiusmodi, quasi quædam uulnera tabularum recentia. statim suspicione offensi, ad ea ipsa nomina oculos animũq; transtulimus. erant acceptæ pecuniæ à C. Verrutio, sic tamen, ut usq; alterum, r, literæ constarent integræ: reliquæ omnes essent in litura. alterum, tertium, quartum, permulta erant eiusmodi nomina. Cum manifesta res, cum flagitiosa tabularum, atq; insignis turpitudo teneretur: quærere incepimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius: qui tum tantæ pecuniæ rationem haberet? hærere homo, auersari, rubere. quod lege excipiuntur tabulæ publicanorũ: quo minus Romam deportentur: ut res quammaxime clara, ac testata esse posset: ius ad Metellum Carpinatium uoco: tabulasq; societatis in forum defero. fit maximus concursus hominum: & quod erat Carpinatij nota cum isto prætore societas, ac fœneratio: summe expectabant omnes, quid in tabulis contineretur. rem ad Metellum defero: me tabulas perspexisse sociorum: in his tabulis magnam rationem C. Verrutij permultis nominibus esse. meq; hoc perspicere ex Consulum mensiumq; ratione: hunc Verrutium neq; ante aduentũ C. Verris, neq; post deceßionem, quicquã cum Carpinatio rationis habuisse. postulo mihi respondeat, qui sit iste Verrutius: mercator, an arator, an pecuarius? in Sicilia sit, an decesserit? clamare omnes ex conuentu: neminem unquã ex Sicilia fuisse Verrutium:

ego instare, ut mihi responderet: ubi esset, quis esset, unde esset, cur seruus societatis, qui tabulas cõfecerit: semper in Verrutij nomine certo ex loco mendosus esset? Atq; hæc postulabã: non quo illũ cogi putarẽ oportere: ut ea mihi responderet inuitus: sed ut omnibus, istius furta, illius flagitium, utriusq; audacia perspicua esse posset. Itaq; illum iniuriæ metu, conscientiaq; peccati mutum, atq; exanimatum, ac uix uiuum relinquo: tabulas in foro summa hominum frequentia exscribo: adhibentur in exscribendo de conuentu uiri primarij: literæ lituræq; omnes aßimulatæ, expreßæ, de tabulis in libros transferuntur. Hæc omnia summa cura, & diligentia, recognita, & collata, & ab hominibus honestißimis obsignata sunt. Si Carpinatius tum mihi respondere noluit: responde mihi nunc tu Verres: quem esse hunc, tuũ penè gentilem, Verrutium putes? fieri nõ potest: ut quẽ uideo te prætore in Sicilia fuisse: & quem ex ipsa ratione intelligo locupletẽ fuisse: eum tu in tua prouincia nõ cognoris. Atq; adeo hoc ne lõgius, aut obscurius esse possit: procedite in mediũ: explicate descriptionem, imaginemq; tabularum: ut omnes mortales istius auariciæ nõ iam uestigia, sed ipsa cubilia uidere poßint. uidetis Verrutium? uidetis primas literas integras? uidetis extremã partem nominis, caudam illam Verris tanquam in luto demersam esse in litura? Sic habent se tabulæ Iudices, ut uidetis. quid expectatis? quid quæritis amplius? tu ipse Verres quid sedes? quid moraris? nam aut exhibeas nobis Verrutium necesse est: aut te esse Verrutium fateare. laudantur oratores ueteres Crassi illi, & Antonij: quod crimina diluere dilucide, quod copiose reorũ causas defendere solebant. nimirum illi, non ingenio so-

lum his patronis, sed fortuna etiam præstiterunt. nemō enim tunc ita peccabat: ut defensioni locum nō relinque ret: nemo ita uiuebat: ut nulla eius uitæ pars summæ tur pitudinis esset expers: nemo ita in manifesto peccato te nebatur: ut cum impudens fuisset in facto: tum impuden tior uideretur, si negaret. nunc uero quid faciat Horten sius? auariciæ ne crimina frugalitatis laudibus depre cetur? at hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumq; defendit. an ab hac eius infamia, nequi tia, uestros animos in aliam partem fortitudinis com memoratione traducat? at homo inertior, ignauior, ma gis uir inter mulieres, quàm impura inter uiros muli ercula, proferri non potest. at mores commodi. quis con tumacior? quis inhumanior? quis superbior? ad hæc sine cuiusquā malo, quis acerbior? quis insidiosior? quis cru delior unquā fuit? in hoc homine, atq; in eiusmodi cau sa, quid facerent omnes Crassi, & Antonij? tantum opi nor Hortensi, ad hanc causam non accederent: neq; in alterius impudentia sui pudoris existimationem amit terent. liberi enim ad causas, solutiq; ueniebāt: neq; com mittebant: ut si impudentes in defendendo esse noluis sent: ingrati in deserendo existimarentur.

ACTIONVM IN C. VERREM

LIBER V. ORATIO VIII.

OMNES qui alterum Iudices nullis im pulsi inimicitijs, nulla priuatim læsi iniu ria, nullo præmio adducti, in iudicium Reip. causa uocant: prouidere debēt, non solum quid oneris in præsentia tollant: sed etiam quan tum in omnem uitam negocij suscipere conentur. legem enim sibi ipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, uirtu tumq; omnium, qui ab altero rationem uitæ reposcunt: atq; eo magis, si id, ut ante dixi, faciunt nulla re commo ti alia, nisi ut ilitate communi. nam qui sibi hoc sumpsit: ut corrigat mores aliorum: ac peccata reprehēdat: quis huic ignoscat: si qua in re ipse ab religione officij decli narit? quapropter hoc etiam magis ab omnibus eiusmo di ciuis laudandus, ac diligendus est: qui nō solum Reip. ciuem improbum remouet: uerum etiam seipsum eiusmodi fore profitetur, ac præstat: ut sibi nōmodo commu ni uoluntate uirtutis, atq; officij: sed etiam, ut quadam magis necessaria ratione recte sit, honesteq; uiuendum. Ita hoc Iudices ex homine clarissimo, atq; eloquentissimo L. Crasso sæpe auditum est: cum se nullius rei tam pœnitere diceret: quàm quod C. Carbonem unquam in iudicium uocauisset: minus enim liberas omnium uolun tates rerū habebat: & uitā suam pluribus, quàm uellet, obseruari oculis arbitrabatur. Atq; ille his præsidijs in genij, fortunæq; munitus, tamen hac cura cōtinebatur: quam sibi nondum confirmato consilio, sed ineunte æta

te ſuſceperat. quo minus etiam perſpicitur eorum uir-
tus, & integritas: qui ad hanc rem adoleſcentuli, q̃ qui
iam firmata ætate deſcendũt. illi enim, anteq̃ potuerunt
exiſtimare, quãto liberior uita ſit eorum, qui neminem
accuſarint: gloriæ cauſa, atq; oſtẽtationis accuſant. nos,
qui iam & quid facere, & quantulum iudicare poſſe
mus, oſtendimus: niſi facile cupiditates noſtras tenere-
mus: nunquam ipſimet nobis præcideremus iſtam licen
tiam, libertatemq; uiuendi. atq; hoc ego plus oneris ha-
beo: quàm qui cæteros accuſarunt, ſi onus eſt id appel-
landum, quod cum lætitia feras, ac uoluptate, uerun-
tamen hoc ego amplius ſuſcepi, quàm cæteri: quod ita
poſtulatur ab omnibus: ut ab ijs ſe abſtineant maxime
uicijs, in quibus alterum reprehenderunt. furem ali-
quem, aut rapacem accuſaris: uitanda tibi ſemper erit
omnis auaritiæ ſuſpicio. maleficum quempiam adduxe-
ris, aut crudelem: cauendum erit ſemper, ne qua in re
aſperior, aut inhumanior fuiſſe uideare. corruptorem,
adulterum: prouidendum diligenter, ne quod in uita ue
ſtigium libidinis appareat. omnia poſtremo, quæ uindi-
caris in altero: tibi ipſi uehementer fugienda ſunt. et-
enim nõmodo accuſator, ſed ne obiurgator quidẽ feren
dus eſt is: qui quod in altero uicium reprehendit: in eo
ipſe deprehenditur. ego in uno homine omnia uicia,
quæ poſſunt in homine perdito nefarioq; eſſe, reprehen
do: nullum eſſe indiciũ libidinis, ſceleris, audaciæ, quod
non in unius iſtius uita perſpicere poſſitis. ego in iſto reo
legem hanc Iudices mihi ſtatuo: uiuendum ita eſſe: ut
iſti nonmodo factis, dictisq; omnibus, ſed etiã oris, ocu-
lorumq; illa contumacia, ac ſuperbia, quam uidetis:
diſſimillimus eſſe, ac ſemper fuiſſe uidear. patior non

moleſte Iudices: eam uitam, quæ mihi ſua ſponte an-
tea iucunda fuerit: nunc iam mea lege, & conditione ne
ceſſariam quoque futuram. Et in hoc homine ſæpe à me
quæris Hortenſi: quibus inimicitijs, aut qua iniuria ad
ductus, ad accuſandum deſcenderim? mitto iam ra-
tionem officij mei, neceſſitudinisq; Siculorum: de ipſis ti
bi inimicitijs reſpondeo. an tu maiores ullas inimicitias
putas eſſe, q̃ contrarias hominũ ſententias, ac diſſimili-
tudines ſtudiorum, & uoluntatum? fidem ſanctiſſimam
in uita qui putat: poteſt ei non inimicus eſſe? qui quæ-
ſtor Conſulem ſuum conſilijs commiſſis, pecunia tradi-
ta, rebus omnibus creditis, ſpoliare, relinquere, prode-
re, oppugnare auſus ſit? pudorem, & pudicitiam qui co
lit: poteſt animo æquo iſtius quotidiana adulteria, mere
tricem diſciplinam, domeſticum lenocinium uidere?
qui religiones deorum immortalium retinere uult: ei,
qui fana ſpoliarit omnia: qui ex Thenſarum orbitis præ
dari ſit auſus: inimicus non eſſe qui poteſt? qui iure æquo
omnes putat eſſe oportere: is tibi non infeſtiſſimus ſit?
cum cogitet uarietatem, libidinemq; decretorum tuo-
rum? qui ſociorum iniurijs, prouinciarumq; incommo-
dis doleat: is in te non expilatione Aſiæ, uexatione Pam
philiæ, ſqualore & lachrymis Siciliæ concitetur? qui
ciuium Ro. iura, ac libertatem ſanctam apud omnes ha-
beri uult: is non tibi plus etiam, quàm inimicus eſſe de-
beat? cum tua uerbera, cum ſecures, cum cruces, ad ciui
um Ro. ſupplicia fixas recordetur? an ſi qua in re con-
tra rem meam decreſſet aliquid iniuria: iure me ei ini-
micum eſſe arbitrarer. cum omnia contra omnium bo-
norum rẽ, cauſam, rationem, utilitatem, uoluntatemq;
fecerit: quæris cur ei ſim inimicus? cui P. Ro. infeſtus

sit: qui præsertim plus etiam quàm pars uirilis postu-
lat: pro uoluntate populi Ro. oneris, ac muneris susci-pe
re debeam. Quid illa, quæ leuiora uidentur esse: non cu-
iusuis animum possunt mouere? quod ad tuã ipsius ami-
citiam, cæterorumq; omnium maiorum, atq; nobilium,
faciliorem aditum istius habet nequitia, & audacia, q̃
cuiusquam nostrum uirtus, & integritas. odistis homi-
num nouorum industrias: despicitis eorum frugalita-
tem: pudorem contemnitis: ingenium uero, & uirtu-
tem depressam extinctamq; cupitis: Verrem amatis. ita
credo: si non uirtute, non industria, non innocentia, nõ
pudore, non pudicitia, at sermone, at literis, at humani-
tate eius delectamini. nihil horum est: contraq; sunt
omnia: cum summo dedecore ac turpitudine, tum singu
lari stultitia, atq; inhumanitate oblita. Huic homini si
cuius domus patet: utrum ea patere, an hiare, ac poscere
aliquid uidetur? huic uestri ianitores, huic cubicularij
diligunt: huic liberti uestri, huic serui, an ancillæq; amãt:
hic cum uenit: extra ordinem uocatur: hic solus intro-
ducitur: cæteri sæpe frugalissimi homines excludun-
tur. ex quo intelligi potest, eos uobis esse carissimos: qui
ita uixerunt, ut sine uestro præsidio salui esse non pos-
sint. Quid hoc cuiquam ferendum putas esse? nos ita
uiuere in pecunia tenui: ut prorsus nihil acquirere ue-
lumus? ut dignitatem nostram populiq; Ro. beneficia
non copijs, sed uirtute tueamur? istum rebus omnibus
undiq; ereptis, impune eludentem, circunfluere, atq; ab
undare? huius argento domos uestras, huius signis, & ta
bulis forum, comitiumq; ornari? præsertim cum uos
uestro marte his rebus omnibus abundetis? Verrem esse:
qui uestras uillas suis manubijs ornet: Verrem esse: qui

cum L. Mummio certet: ut plures hic sociorum urbes,
quàm ille hostium spoliasse uideatur: plures hic solius
uillas ornamentis fanorum, quàm ille sana spolijs ho-
stium ornasse. & is erit ob eam rem uobis carior: ut cæ-
teri libentius suo periculo uestris cupiditatibus seruiãt.
uerum hæc dicentur alio loco: & dicta sunt. nunc pro-
ficiscemur ad reliqua: si pauca ante crimus à uobis Iu-
dices deprecati. Superiore omni oratione perattentos
uestros animos habuimus. id fuit nobis gratum admo-
dum: sed multo erit gratius: si reliqua uoletis attendere.
propterea quod in his omnibus, quæ antea dicta sunt:
erat quædam ex ipsa uarietate, ac nouitate rerum, ac cri
minum delectatio. nunc tractare causam instituimus fru
mentariam: quæ magnitudine iniuriæ ferè criminibus
cæteris antecellit: iucunditatis in agendo, & uarietatis
minus habebit: uestra autem authoritate, & prudentia
dignissimum est Iudices: in audiendo diligentiam nõ mi-
nus religioni tribuere, quàm uoluptati. In hac causa
frumẽtaria cognoscenda, hæc uobis proponite Iudices:
uos de rebus, fortunisq; Siculorum omnium, de ciuium
Ro. qui arant in Sicilia, bonis, de uectigalibus à maiori-
bus traditis, de uita uictuq; populi ro. cognituros. quæ
si magna, atq; adeo maxima uobis uidentur: quàm ua-
rie, & quàm copiose dicantur, expectare nolite. Nemi-
nem uestrum præterit Iudices: omnem utilitatem, opor
tunitatemq; prouinciæ Siciliæ, quæ ad commoda popu
li Ro. adiuncta sit: consistere in re frumẽtaria maxime:
in cæteris rebus adiuuamur ex illa prouincia: hac uero
alimur, ac sustinemur. Ea causa tripartita Iudices erit in
accusatione. primũ enim de decumano: deinde de empto
dicemus frumento: postremo de æstimato. Inter Sici-

liam cæterasq; prouincias Iudices in agrorum uectigalium rationibus hoc interest: quod cæteris, aut impositum uectigal est certum: quod stipendiarium dicitur: ut Hispanis, & plerisq; Pœnorum, quasi uictoriæ præmium ac pœna belli. aut censoria locatio constituta est: ut Asia lege Sempronia. Siciliæ ciuitates sic in amicitiã, fidemq; recepimus: ut eodem iure essent, quo fuissent: eadem conditione populo Ro. parerent, qua suis antea paruissent. perpaucæ Siciliæ ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactæ: quarum ager cum esset publicus populi Ro. factus, tamen illis est redditus. is ager à Censoribus locari solet. fœderatæ ciuitates duæ sunt: quarum decumæ uenire non soleant: Marmertina, & Tauromenitana. quinq; præterea sine fœdere immunes ciuitates, ac liberæ: Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyensis, Panormitana. præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus est: itemq; ante imperiũ populi Ro. ipsorum siculorum uoluntate, & institutis fuit. Videte nunc maiorum sapientiam: qui, cum Siciliam tam oportunum subsidiũ belli, atq; pacis ad Remp. adiunxissent: tanta cura Siculos tueri, & retinere uoluerunt: ut non modo eorum agris uectigal nouum nullum imponerent: sed ne legem quidem uenditionis decumarum: neue uendundis, aut tempus, aut locum commutarent: ut certo tempore anni: ut ibidem in Sicilia: deniq; ut lege Hieronica uenderent. uoluerunt eos in suis rebus ipsos interesse: eorum animos, nonmodo lege noua, sed ne nomine quidem legis nouo commoueri. Ita decumas lege Hieronica semper uendendas censuerunt: ut ijs iucundior esset muneris illius functio: si eius regis, qui Siculis carissimus fuit: non solum instituta commu-

tato imperio, uerum etiam nomen maneret. hoc iure ante Verrem prætorem Siculi semper usi sunt. hic primus instituta omnium, cõsuetudinem à maioribus traditam, conditionem amicitiæ, ius societatis, conuellere, & commutare ausus est. Qua in re primum illud reprehendo, & accuso: cur in re tam ueteri, tam usitata quicquam noui feceris. ingenio aliquid assecutus es? tot homines sapientissimos, qui illam prouinciam ante te tenuerunt: prudentia, consilioq; uicisti? est tuum, est ingenij prudentiæq; tuæ: do hoc tibi, & concedo: scio te Romæ cum prætor esses, edicto tuo possessiones hæreditatum ad alienos: à primis hæredibus, ad secundos: à legibus, ad libidinem tuam transtulisse: scio te edicta superiorum omnium correxisse: & possessiones hæreditatum non secundum eos, qui proferrent, sed secundum eos, qui dicerent testamentum factum, dedisse: easq; res nouas abs te prolatas, & inuentas, magno tibi quæstui fuisse scio. eundemq; te memini, Censorias quoq; leges in sartis tectis exigendis, tollere, et commutare: ne is redimeret, cuia res esset: ne pupillo tutores, propinquiq; consulerent: quo minus fortunis omnibus euerteretur: exiguam diem præfiniri operi, qua cæteros ab negocio excluderes: ipse in tuo redemptore nullam certam diem obseruares. quamobrem nouam legem te in decumis statuisse non miror, hominẽ in edictis prætorijs, in Censorijs legibus, tam prudentem, tam exercitatum. non inquam miror, te aliquid excogitasse. sed quod tua sponte, iniussu Populi, sine Senatus authoritate, iura prouinciæ Siciliæ mutaris, id reprehendo, id accuso. L. Octauio et C. Cottæ cõsulibus Senatus permisit: ut uini, et olei decumas, & frugum minutarum, quas ante te quæstores

in Sicilia uendere cõsueſſent, Romæ uenderent: legemq; his rebus, quam ipſis uideretur, edicerent. cum locatio fieret: publicani poſtularũt, quaſdam res ut ad legem adderent: neq; tamẽ à Cenſorijs cæteris legibus recederent. cõtradixit is, qui caſu tum Romæ fuit, tuus hoſpes Verres, hoſpes inquam, & familiaris tuus Sthenius hic Thermitanus. conſules cauſam cognouerunt: cum uiros primarios, atq; ampliſſimos ciuitatis multos in conſilium aduocaſſent: de conſilij ſententia pronunciarunt, ſe lege Hieronica uendituros. Ita ne uero? prudentiſſimi uiri, ſumma authoritate præditi, quibus Senatus legum dicendarum in locandis uectigalibus omnem poteſtatem permiſerat: Populusq; Ro. idem iuſſerat: Siculo uno recuſante, cum amplificatione uectigalium, nomen Hieronicæ legis mutare noluerunt. tu homo minimi conſilij, nullius authoritatis, iniuſſu populi, ac Senatus, tota Sicilia recuſante, cum maximo detrimẽto, atq; adeo exitio uectigalium, totam Hieronicam legem ſuſtuliſti. At quam legem corrigit Iudices? atq; adeo totam tollit? acutiſſime, ac diligentiſſime ſcriptam: quæ omnibus cuſtodijs ſubiectum aratorem decumano tradit: ut neq; in ſegetibus, neq; in areis, neq; in horreis, neq; in amouendo, neq; in aſportando frumento, grano uno poſſet arator ſine maxima pœna fraudare decumanum. ſcripta lex ita diligenter eſt: ut eum ſcripſiſſe appareat, qui alia uectigalia non haberet. ita acute, ut Siculum. ita ſeuere, ut Tyrannum: qua lege Siculis tamen arare expediret. nam ita diligenter conſtituta ſunt iura decumani: ut tamen ab inuito aratore plus decumano non poſſit auferri. Cum hæc eſſent ita conſtituta: Verres tot annis, atq; adeo ſeculis inuentus eſt: qui hæc,

non commutarit, ſed euerterit: eaq; quæ iam diu ad ſalutem ſociorum, utilitatem Reip. compoſita, comparataq; eſſent: ad ſuos improbiſſimos quæſtus conuerterit: qui primum certos inſtituerit, nomine decumanos, re uera miniſtros, ac ſatellites cupiditatum ſuarum: per quos oſtendam ſic prouinciam per triennium uexatam, atq; uaſtatam iudices: ut eam multis annis multorum innocentia, ſapientiaq; recreare nequeamus. Eorum omniũ, qui Decumani uocabantur: princeps erat Q. ille Apronius, quem uidetis: de cuius improbitate ſingulari, grauiſſimarum legationum quærimonias audiſtis. aſpicite Iudices uultum hominis, & aſpectum: & ex eacontumacia, quam hic in perditis rebus retinet: illos eius ſpiritus Sicilienſes quos fuiſſe putetis, cogitate, ac recordamini. hic eſt Apronius, quem, in prouincia tota Verres cum undiq; nequiſſimos homines conquiſiſſet: & cum ipſe ſe cum ſui ſimiles duxiſſet non parum multos: nequitia, luxuria, audacia, ſui ſimillimum iudicauit. itaq; iſtos inter ſe perbreui tempore, non res, non ratio, nõ commendatio aliqua, ſed ſtudiorum turpitudo, ſimilitudoq; coniunxit. Verris mores improbos, impuroſq; noſtis: fingite uobis, ſi poteſtis, aliquem: qui in omnibus iſtis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines eſſe poſſit. is erat Apronius ille; qui, ut ipſe non ſolum uita ſed etiam corpore, atq; ore ſignificat: immenſa aliqua uorago eſt, aut gurges uiciorum, turpitudinumq; omnium. hunc in omnibus ſtupris, in fanorum expilationibus, hunc in impuris conuiuijs principem adhibebat: tantamq; habebat morum ſimilitudo coniunctionem, atq; concordiam: ut Apronius, qui alijs inhumanus, ac barbarus, iſti uni commodus, ac diſertus uideretur: ut, quem

omnes odissent: neq; uidere uellent: sine eo iste esse nõ posset: ut, cum alij ne conuiuijs quidẽ ijsdem, quibus Apronius: hic ijsdem etiã poculis uteretur: postremo ut odor Apronij teterrimus oris, & corporis, quem ut aiunt ne bestiæ quidem ferre possent: uni isti suauis, & iucundus uideretur. ille erat in tribunali proximus: in cubiculo socius: in conuiuio dominus: ac tum maxime: cum accubante prætextato prætoris filio, in conuiuio saltare nudus cœperat. hunc, uti dicere instituit, principem Verres ad euertendas fortunas aratorum, uexandas, diripiendasq; esse uoluit: huius audaciæ, nequitiæ, crudelitati, fidelißimos socios optimosq; ciues scitote hoc Prætoritos Iudices, atq; addictos fuisse, nouis institutis, & edictis, tota Hieronica lege, quemadmodum antea dixi, reiecta et repudiata. Primũ edictum Iudices audite præclarum: quantum Decumanus edidisset aratorẽ sibi decumæ dare oportere: ut tantum arator Decumano dare cogeretur. quomodo? quantũ poposcerit Apronius, dato. quid est hoc? utrum prætoris institutum in socios, an in hostes uictos insani edictum, atq; imperium tyranni? ego tantundem, quantũ ille poposcerit? poscet omne quantum & arauero. quid omne? plus immo etiam inquit, si uolet. quid tum? quid censes? aut dabis: aut contra edictum fecisse damnabere. per deos immortales quid est hoc? uerisimile enim non est. sic mihi persuadeo Iudices: tametsi omnia in istum hominem conuenire putetis: tamen hoc uobis falsum uideri. ego enim, cum hoc tota Sicilia diceret: tamen affirmare non auderem: si hæc edicta nõ ex ipsius tabulis totidem uerbis recitare possem: sicuti faciam. da quæso Scribæ. recitet ex codice. Recita Edictum de professione. Negat me recitare totum: nam

tum: nam id nutu significare uidetur. quid præterea? an illud ubi caues tamen Siculis: & miseros respicis aratores? edicis enim te in Decumanum, si plura sustulerit, quam debitum sit: in octuplum iudicium daturum esse. nihil mihi placet prætermitti. recita hoc quoque, quod postulat, totum. Recita Edictum, de iudicio in octuplum. Iudicio ut arator Decumanum persequatur? miserum, atque iniquum ex agro homines traduci in forum: ab aratro ad subsellia: ab usu rerum rusticarum, ad insolitam litem, atque iudicium. cum omnibus in alijs uectigalibus, Asiæ, Macedoniæ, Hispaniæ, Galliæ, Africæ, Sardiniæ, ipsius Italiæ, quæ uectigalia sunt: cum in his inquam, rebus omnibus publicanus petitor, ac pignerator, nõ ereptor, neq; possessor soleat esse: tu de optimo, de iustißimo, de honestißimo genere hominũ, hoc est de aratoribus, ea iura constituebas: quæ omnibus alijs essent cõtraria. Vtrũ est æquius Decumanum petere: an aratorẽ repetere? iudicium integra re, an perdita fieri? eum, qui manu quæsierit, an eum qui digito licitus sit, poßidere? quid qui in singulis iugis arant: qui ab opere ipsi non recedunt: quo in numero magnus ante te prætorem numerus, magna multitudo Siculorũ fuit: quid facient? cũ dederint Apronio, quod poposcerit, relinquent arationes? relinquent larem familiarem suum? uenient Syracusas? ut te prætore uidelicet, æquo iure Apronium delicias, ac uitam tuam iudicio recuperatorio persequantur? Verum esto: reperietur aliquis fortis, experiens arator: qui cum tantum dederit Decumano, quantum ille deberi dixerit: iudicio repetat: & pœnam octupli persequatur. expecto tum edicti, seueritatem Prætoris: fauco aratori: cupio

octupli damnari Apronium. quid tandem postulat arator? nihil, nisi ex edicto iudicium in octuplũ. quid Apronius? non recusat. quid Prætor? iubet Recuperatores reijcere decurias. scribamus quas decurias. de cohorte mea reijcies inquit. quid? ista cohors quorum hominum est? Volusij aruspicis, & Cornelij medici, & horum canum, quos tribunal meum uides lambere. nam de conuentu nullum unquam iudicem, nec Recuperatorem dedit: iniquos Decumanis omnes dicebat esse: qui unam agri glebam possiderent. ueniendum erat ad eos contra Apronium, qui nondum etiam Aproniani conuiuij crapulam exhalassent. O' præclarũ, & commemorandum iudicium: O' seuerum edictum: O' tutum perfugium aratorum. Atque ut intelligatis cuiusmodi ista iudicia in octuplum: cuiusmodi, istius de cohorte recuperatores existimati sint: sic attendite. Ecquẽ putatis Decumanum hac licentia permissa, ut tantum ab aratore, quantum popposcisset, auferret: plus quàm deberetur poposcisse? cõsiderate cũ uestris animis uosmetipsi: ecquẽ putetis? præsertim cum id non solum sine auaritia, sed etiam imprudentia accidere potuerit. multos necesse est. at ego omnes dico, plus quàm decumas abstulisse. cedo mihi unũ ex triennio Præturæ tuæ, qui octupli damnatus sit. damnatus? immo uero in quem iudicium ex edicto tuo postulatum sit. nemo erat uidelicet aratorum, qui iniuriam sibi factam quæri posset: nemo Decumanorum, qui grano amplius, sibi quàm deberetur, deberi professus esset. immo uero contrà, rapiebat, & asportabat quantum à quoque uolebat, Apronius: omnibus autem locis aratores spoliati, ac uexati querebantur: neq; tamen ullum iudicium reperietur. quid est hoc? uiri fortes, honesti, gratiosi, tot Siculi, tot Eqtes Ro. ab homine nequissimo, ac turpissimo læsi, pœnam octupli sine ulla dubitatione commissam non persequebantur? quæ causa? quæ ratio est? una illa Iudices, quam uidetis: quod ultro etiam illusos se, & irritos ab iudicio discessuros uidebant. etenim quod esset iudicium? cum è Verris turpissimo flagitiosissimoq; comitatu tres recuperatorum nomine assedissent, assectæ istius, non à patre ei traditi, sed à meretricula commendati? ageret uidelicet causam arator: nihil sibi frumenti ab Apronio relictum: bona sua etiam direpta: se pulsatum, uerberatumq;, diceret. conferrẽt uiri boni capita: de comessatione loquerẽtur inter se, ac de mulierculis, si quas, à prætore abeuntes possent deprehẽdere: res agi uideretur. surrexisset Apronius, noua dignitas publicani, non ut Decumanus squaloris plenus, ac pulueris, sed unguentis oblitus, uino, uigilijsq; languidus: omnia primo motu, ac spiritu suo, uini, unguẽti, corporis odore cõplesset: dixisset hæc, quæ uulgo dicere solebat: non se Decumas emisse: sed bona, fortunasq; aratorum: non se Decumanum esse Apronium: sed Verrem alterum, dominum illorum, ac tyrannum, quæ cum dixisset: illi uiri optimi de cohorte istius Recuperatores, non de absoluendo Apronio deliberarent: sed quærerent, quomodo petitorẽ ipsum Apronio permisissent: ut quantum uellet, poscceret: quantũ poposcisset, auferret. hoc tibi defensionis ad iudicium tuum comparabas? habuisse te edictum, Recuperatores datum in octuplum? si mehercule ex omni copia conuentus Syracusani splendidissimorum hominum, honestissimorumq; faceres potestatẽ aratori, non modo reijcendi, sed etiam sumendi recuperatores: tamen hoc nouum

genus iniuriæ ferre nemo posset: te cum tuos omnes fructus publicano tradidisses: & rem de manibus amisisses: tum bona tua repetere, ac persequi liti, atq; iudicio. cũ uero uerbo iudicium sit in edicto: re quidẽ uera tuorum comitum hominum nequissimorum collusio cum Decumanis socijs tuis, atq; adeo procuratoribus: tamen audes illius iudicij mentionem facere? præsertim cum id nõmodo oratione mea, sed etiam re ipsa refellatur: cum in tantis incommodis aratorum, iniurijsq; Decumanorũ, nullum ex isto præclaro edicto nonmodo factum, sed ne postulatum quidem iudicium inueniatur. Erat tamen in aratores lenior, quàm uidetur. nam qui in Decumanos octupli iudicium se daturum edixit: idem habuit in edicto: se in aratorem in quadruplum daturum. quis hunc audet dicere aratoribus infestum, aut inimicum fuisse? quanto lenior est, quàm in publicanũ. edixit ut quod Decumanus edidisset, sibi dari oportere: id ab aratore magistratus Siculus exigeret. quid dereliquit iudicij: quod in aratorem dari posset? non malum est inquit esse istam formidinem: ut cum exactum sit ab aratore: tamen ne se commoueat: reliquus metus iudicij sit. si iudicio à meis exigere: remoue Siculum magistratum. si hanc uim adhibes: quid opus est iudicio? quis porrò erit: qui non malit Decumanis tuis dare quod poscerent: quàm ab aſſeclis tuis quadrupli cõdemnari? Illa uero præclara est clausula edicti: quod omnium controuersiarũ, quæ essent inter aratorem, & Decumanum: si uter uolet: edicit se Recuperatores daturum. primum quæ potest esse controuersia: cum is qui petere debet, aufert? & cum is non quantum debetur: sed quantum commodum est: auferat? ille autẽ unde ablatum est: iudicio suum recupera

re nullo modo potest? deinde in hoc homo lynceus, etiã callidus, ac ueterator esse uult: quod ita scribit: si uter uolet Recuperatores dabo. quam lepide se furari putat? utriq; facit potestatem. sed utrũ ita scripserit: si uter uolet: an si Decumanus uolet, nihil interest. arator enim tuos istos Recuperatores nunquid uolet? quid? illa cuiusmodi sunt? quæ ex tempore ab Apronio admonitus, edixit? Q. Septitio honestissimo homine, equiteq; Ro. resistente Apronio, & affirmante se plus decuma non daturum: exoritur peculiare edictum repentinum: ne quis frumentum de area tolleret: antequam cum Decumano pactus esset. ferebat hanc quoq; iniquitatem Septitius: & imbri frumentum corrumpi in area patiebatur: cum illud edictum repente uberrimum & quæstuosissimum nascitur: ut ante Calen. Sext. omnes decumas ad aquam deportatas haberent. hoc edicto, non siculi, nam eos quidem iam superioribus edictis satis perdiderat, atq; afflixerat, sed isti ipsi Equites romani, qui suum ius retinere se contra Apronium posse erãt arbitrati: splendidi homines, & alijs prætoribus gratiosi, uincti Apronio traditi sunt. attendite enim cuiusmodi edicta sunt. ne tollat inquit ex area, nisi erit pactus. satis hæc magna uis est, ad inique pacisendum. malo enim plus dare, quàm non mature ex area tollere. at ista ui Septitium, & nonnullos Septitij similes non coercet: qui ita dicũt, nõ tollam potius, quàm paciscar. his hoc apponitur. deportatum habeas ante Cal. sextilis. deportabo igitur. nisi pactus eris: non commouebis. sic deportãdi dies præstituta tollere cogebat ex area: cohibitio tollẽdi nisi pactus esset: uim adhibeat pactioni, nõ uoluntatem. Iam uero illud non solum contra legem Hieronicam,

nec ſolum contra conſuetudinem ſuperiorum, ſed etiam contra omnia iura Siculorum, quæ habent à Senatu populoq; Romano: ne extra ſuum forum uadimonium promittere cogantur. ſtatuit iſte ut arator Decumano, quo uellet Decumanus, uadimoniũ promitteret: ut hic quoq; Apronio, cum ex Leontino uſque Lilybeum aliquem uadaretur ex miſeris aratoribus: calumniandi quæſtus accederet. Quanquam illa fuit ad calumniam ſingulari conſilio reperta ratio: quod edixerat: ut aratores iugera ſationum ſuarum profiterentur. quæ res cum ad pactiones iniquiſſimas magnam uim habuit: ſicut oſtendemus, nec ad ullam utilitatẽ Reip. pertinuit: tum uero ad calumnias: in quas omnes inciderent, quos uellet Apronius. ut enim quiſq; contra uoluntatem eius dixerat, ita in eum iudicium de profeſſione iugerũm poſtulabatur. cuius iudicij metu magnus à multis frumenti numerus ablatus, magnæq; pecuniæ coactæ ſunt. non quo iugerum numerum uere profiteri eſſet difficile: aut amplius etiam profiteri, quid enim in eo periculi eſſe poſſet? ſed cauſa erat iudicij poſtulandi: quod ex edicto profeſſus non eſſet. iudicium autẽ quod fuerit iſto prætore: ſi quæ cohors, & qui comitatus fuerit, meminiſtis, ſcire debetis. Quid igitur eſt quod ex hac iniquitate nouorum edictorum intelligi uelim Iudices? iniuriam ne factam ſocijs? at uidetis. authoritatem ſuperiorum repudiatam? non audebit negare. tantum Apronium iſto Prætore potuiſſe? confiteatur neceſſe eſt. ſed uos fortaſſe, quod uos lex cõmonet: id in hoc loco quæretis: nunquas ex hiſce rebus pecunias cœperit. docebo cœpiſſe maximas: omnesq; eas iniquitates, de quibus antea dixi, ſui quæſtus cauſa conſtituiſſe conuincam: ſi prius

illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus uſurum ſe putat: ex defenſione eius deiecero. magno inquit decumas uendidi. quid ais? an tu decumas homo audaciſſime, atq; amẽtiſſime uendidiſti? tu partes eas, quas te S. P. Q. R. uoluit? an fructus integros, atque adeo bona, fortunasq; aratorum omnes uendidiſti? ſi palàm præco iuſſu tuo prædicaſſet: non decumas frumẽti, ſed dimidias uenire partes: & ita emptores acceſſiſſent, ut ad dimidias partes emendas: ſi pluris uendidiſſes tu dimidias, quàm cæteri decumas: cui nam mirum uideretur? quid uero? ſi præco decumas pronunciauit: re uera hoc eſt lege, edicto, conditiõe, plus etiam quàm dimidiæ uenierunt? tamen hoc tibi præclarum putabis: te pluris quod nõ licebat: quàm cæteros quod oportebat, uendidiſſe? pluris uendidi decumas quàm cæteri. quibus rebus id aſſecutus es? innocentia? aſpice ædem Caſtoris: deinde, ſi audes, fac mentionem innocentiæ. diligentia? codicis lituras tui contemplare in Sthenij Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentẽ. ingenio? qui teſtes interrogari priore actione nolueris: & ijs tacitum os tuum præbere malueris: quantumuis & te, et patronos tuos ingenioſos eſſe dicito. quare igitur id, quod ais: aſſecutus es? magna eſt enim laus: ſi ſuperiores cõſilio uiciſti: poſterioribus exemplũ, atq; authoritatẽ reliquiſti. tibi fortaſſe idoneus fuit nemo, quẽ imitarere. at te uidelicet inuentorem rerum optimarum, ac principem imitabuntur omnes. quis aratorum te prætore decumam dedit? quis duas? quis non maximo ſe affectum beneficio putauit: cum tribus decumis pro una defungeretur? præter paucos: qui propter ſocietatem furtorum tuorum nihil omnino dederunt. uide inter importunitatem tuam, ſe-

natusq; bonitatẽ quid interſit. Senatus, cũ temporibus Reip. cogitur: ut decernat: ut alteræ decumæ exigãtur, ita decernit: ut pecunia pro his decumis ſoluatur aratoribus: ut quod plus ſumitur, quàm debetur: idem non auferri putetur. tu cum tot decumas non S.C. ſed nouis edictis tuis, nefarijsq; inſtitutis exigeres, & eriperes: magnum te feciſſe arbitrabere: ſi pluris uendideris, quàm L. Hortenſius pater iſtius Q. Hortenſij, quàm Cn. Pompeius, quàm M. Marcellus: qui ab æquitate, ab lege, ab inſtitutis, non receſſerunt? an tibi unius anni aut biennij ratio habenda fuiſſet? ſalus prouinciæ, commoda rei frumentariæ, ratio Reip. ut ſatis frumẽti ex Sicilia ſuppeditaretur: & aratoribus tamen arare atq; agros colere expediret. qd effeciſti? qd aſſecutus es? ut prætore te neſcio quid ad decumas accederet: deſerendas arationes, relinquendasq; curaſti. ſucceßit tibi L. Metellus. tu innocentior quàm Metellus? tu laudis, & honoris cupidior? tibi enim Conſulatus quærebatur: Metello paternus honor & auitus negligebatur. multo minoris uendidit, non modo quàm tu: ſed etiam quàm qui ante te uendiderunt. quæro ſi ipſe excogitare nõ poterat: quem admodũ quamplurimo uenderet. ne tua quidẽ recentia proximi prætoris ueſtigia perſequi poterat? ut tuis præclaris, abs te principe inuẽtis, et excogitatis edictis, atq; inſtitutis uteretur? ille uero tum ſe Metellum minime fore putaſſet: ſi te ulla in re imitatus eſſet. qui ab urbe Roma, quod nemo unquã poſt hominum memoriam fecit: cũ ſibi in prouinciã proficiſcendũ putaret: literas ad Siciliæ ciuitates miſit: p quas hortatur et rogat, ut arẽt: ut ſerãt: in beneficio populi Ro. hoc petit aliquãto ante aduentum ſuũ: et ſimul oſtendit ſe lege Hieronica uenditurum: hoc eſt in omni ratione decumarum nihil iſti ſimile facturum. atq; hæc non cupiditate aliqua ſcribit adductus: ut in alienam prouinciam mittat literas ante tempus, ſed cõſilio: ne ſi tempus ſationis præterijſſet: granũ in prouincia Sicilia nullum haberemus. Cognoſcite Metelli literas. Recita Epiſtolam L. Metelli. Hæ literæ Iudices L. Metelli, quas audiſtis: hoc quantum eſt, ex Sicilia frumenti hornotini exarauerunt. glebam commoſſet in agro decumano Siciliæ nemo: ſi Metellus hanc epiſtolam non miſiſſet. quid Metello diuinitus hoc uenit in mentem? an ab Siculis, qui Romam frequentißimi cõuenerant, negociatoribusq; Siciliæ doctus eſt? quorum quanti conuentus ad Marcellos antiquißimos Siciliæ patronos, quanti ad Cn. Pompeium Cons. de ſignatum, cæterosq; illius prouinciæ neceſſarios, fieri ſoliti ſunt, quis ignorat? quod quidem iudicium nullo unquam de homine factum eſt: ut abſens accuſaretur ab ijs palàm: quorum in bona, liberosq; ſummum imperium poteſtatemq; haberet. tanta uis erat iniuriarum: ut homines quiduis perpeti, quàm non de iſtius prauitate, & iniurijs deplorare, & conqueri mallent. quas literas cum ad omnes ciuitates propè ſuppliciter miſiſſet Metellus: tamen antiquum modũ ſationis nulla ex parte exequi potuit. diffugerant enim permulti, id quod oſtendam: non ſolum arationes, ſed etiam ſedes ſuas patrias iſtius iniurijs exagitati reliquerant. non mehercule criminis augendi cauſa dicam Iudices: ſed, quem accepi ipſe oculis, animoq; ſenſum: hunc uere apud uos, & ut potero planißime exponam. nam cum quadriennio poſt in Siciliam ueniſſem: ſic mihi affecta uiſa eſt: ut hæ terræ ſolent, in quibus bellum acerbum,

diuturnumq; uersatum est. quos ego campos antea, collesq; nitidissimos, uiridissimosq; uidissem: hos itaua-
statos nunc, ac desertos uidebam: ut ager ipse cultorem
desiderare, ac lugere dominum uideretur. Herbitensis
ager, & Ennensis, Murgentinus, Assorinus, Macharen-
sis, Agyrinensis ita relictus erat ex maxima parte: ut
non solum iugerum, sed etiam dominorum multitudi-
nem quæreremus. Aetnensis uero ager, qui solebat esse
cultissimus: & quod caput est rei frumentariæ campus
Leontinus, cuius antea spes hæc erat: ut cum obsitum ui
disses, annonæ caritatem nõ uererere: sic erat deformis,
atq; horridus: ut in uberrima Siciliæ parte Siciliam
quæreremus. labefactarat enim uehementer aratores iã
superior annus: proximus uero funditus euerterat. tu
mihi etiam audes mentionem facere decumarum? tu in
tanta acerbitate, in tot, & tantis iniurijs, cum in aratio
nibus, & in earum rerum iure prouincia Sicilia cõsistat:
euersis funditus aratoribus, relictis agris, cum in pro-
uincia tam locuplete, ac referta nonmodo rem, sed ne
spem quidem ullam reliquam cuiquam feceris: aliquid
te populare putabis habere: cum dices te pluris, quàm
cæteros decumas uendidisse? quasi uero aut populus Ro.
hoc uoluerit: aut Senatus hoc tibi mandauerit: ut cum
omnes aratorum fortunas decumarũ nomine eriperes:
in posterum fructu illo, commodoq; rei frumentariæ po
pulum Ro. priuares. deinde si quam partem tuæ prædæ
ad summam decumarum addidisses: bene de populo Ro.
meritus uiderere. Atq; hæc pinde loquor: quasi in eo sit
iniquitas eius reprehendenda: quod propter gloriæ cu-
piditatem, ut aliquos summa decumarum uinceret: acer
biorem legem, duriora edicta, interposuerit: omnium su

periorum authoritatem repudiarit. magno tu decumas
uendidisti. quid si doceo te non minus domum tuam auer
tisse: quàm Romam misisse decumarum nomine? quid
habet populare ratio tua? cum ex prouincia populi Ro.
æquam partem tu tibi sumpseris: atq; populo Ro. mise-
ris. quid si duabus partibus doceo te amplius frumen-
ti abstulisse: quàm populo Ro. misisse? tamen ne pu-
tamus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam ia-
ctaturum? & populo se ad coronam daturum? Hæc
uos antea Iudices audistis: uerum fortasse ita audistis: ut
authorem rumorem haberetis, sermonemq; omnium.
cognoscite nunc innumerabilem pecuniam frumenta-
rio nomine ereptam: ut simul illam quoque eius uocem
probrosam agnoscatis: qui se uno quæstu decumarum
omnia sua pericula redempturum esse dicebat. Audiui-
mus hoc iam diu Iudices: nego quenquam esse uestrum,
quin sæpe audierit: socios istius fuisse decumanos. nihil
aliud arbitror in istum falso esse dictum, ab ijs, qui ma-
le de isto existimarint: nisi hoc. nam socij putandi sunt:
quos inter res communicata est. ego rem totam, fortu-
nasq; aratorum omnes, istius fuisse dico: Apronium, Ve-
neriosq; seruos, quod isto Pr. fuit nouum genus Publica-
norum: cæterosq; decumanos, procuratores istius quæ-
stus, & ministros rapinarum dico fuisse. quomodo hoc
doces? quomodo ex locatione illa columnarum docui
istum esse prædatum? opinor ex eo maxime, quod ini-
quam legem, nouamq; dixisset. quis enim unquam co-
natus est iura omnia, & consuetudinem omnium com-
mutare cum uituperatione sine quæstu? pergam atq; in
sequar longius. iniqua lege uendebas, quo pluris uen-
deres. cur, iam addictis, & uenditis decumis, cum iam

ad summam decumarum nihil, ad tuum quæstum multum posset accedere: subito atq; ex tempore noua nascebantur edicta? nam ut uadimonium Decumano quocunq; is uellet, promitteretur: ut ex area, nisi pactus esset, arator ne tolleret: Cal. sextilibus decumas deportatas haberent: hæc omnia uenditis decumis, anno tertio te edixisse dico. quæsi Reip. causa faceres, in uendundo essent pronunciata: quia tua causa faciebas, quod erat imprudentia prætermissum: id quæstu, ac tempore admonitus reprehendisti. Illud uero cui probari potest? te sine tuo quæstu, ac maximo quæstu, tantam tuam infamiam, tantum capitis tui, fortunarumq; periculum neglexisse? cum totius Siciliæ quotidie gemitus, querimoniasq; audires: cum, ut ipse dixisti, reum te fore putares: cum huiusce iudicij discrimen ab opinione tua non abhorreret: paterere tamen aratores indignissimis iniurijs uexari, ac diripi. profecto, quanquam es singulari crudelitate, & audacia: tamen abs te totam alienari prouinciam: tot honestissimos tibi inimicissimos fieri nolles: nisi hanc rationem, & cogitationem salutis tuæ, pecuniæ cupiditas, ac præsens illa præda superaret. Etenim quoniam summam, & numerum iniuriarum Iudices uobis non possum exponere: sigillatim autem de uniuscuiusque incommodo dicere infinitum est: genera ipsa iniuriarum quæso cognoscite. Nympho est Centuripinus homo nauus, & industrius, experientissimus, ac diligentissimus arator. is cum arationes magnas conductas haberet: quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consueuerunt: eaq; magna impensa, magno instrumento tueretur: tanta ab isto iniquitate oppressus est: ut nonmodo arationes relinque-

ret: sed etiam ex Sicilia profugeret: Romamq; cum multis una ab isto eiectis ueniret. fecit ut Decumanus Nymphonem uocaret ex edicto illo præclaro: quod nullam ad aliam rem nisi ad huiusmodi quæstus pertinebat: numerum iugerum professum non esse. Nympho cum se uellet æquo iudicio defendere: iste uiros optimos Recuperatores dat, eundem illum Medicum Cornelium: is est Artemidorus Pergameus: qui in sua patria duxisti quondam, & magister ad despoliandum Dianæ templum fuit: & aruspicem Volusianum, & Valerium præconem. Nympho antequam planè constitit, condemnatur. quanti fortasse quæritis. nulla erat edicti pœna certa. frumenti eius omnis quod in areis esset. sic Apronius Decumanus non decumam debitam, non frumentum remotum, atq; cœlatum, sed tritici septem millia medimnûm ex Nymphonis arationibus edicta pœna, non redemptionis aliquo iure tollit. Xenonis Meneni nobilissimi hominis uxoris fundus erat colono locatus. colonus quod Decumanorum iniurias ferre non poterat: ex agro profugerat. Verres in Xenonem iudicium dabat illud suum damnatorium de iugerum professione. Xenon ad se pertinere negabat: fundum elocatum esse dicebat: dabat iste iudicium, si pateret iugera eiusmodi fundi esse plura, quàm colonus esset professus: tum Xeno damnaretur. dicebat ille, nonmodo non arasse se: id quod satis erat: sed nec dominum eius esse fundi, nec locatorem: uxorem esse, eam ipsam suum negocium gerere, ipsam locauisse. defendebat Xenonē homo summo splendore, & summa authoritate præditus M. Cossetius. Iste nihilominus iudicium HS LXXX dabat. ille tametsi Recuperatores de cohorte latronum sibi pa-

rari uidebat: tamen iudicium accepturum se esse dicebat. tum iste magna uoce Venerijs imperat: ut Xenonem adirent, dum res iudicaretur: hominem ut asseruarent: cum iudicatum sit: ad se adducant. & illud simul dixit: se non putare illum, si propter diuitias pœnas damnationis contemneret, etiam uirgas contemnere. hac ille ui, et hoc metu adductus, tantum Decumanis, quantum iste imperauit, exoluit. Polemarchus est Murgentinus uir bonus, atq; honestus. is cum pro iugeribus quinquaginta, medimna D C C decumæ imperarentur: quod recusabat, domum ad istum in ius deductus est: & cum iste etiam cubaret: in cubiculum introductus est: quod nisi mulieri, & decumano, patebat alij nemini. ibi cum pugnis, & calcibus conscissus esset: qui DCC medimnis decidere noluisset. mille promisit. Eubulides est Grosphus Centuripinus, homo cum uirtute, & nobilitate domi suæ, tum etiam pecunia princeps. huic homini Iudices honestissimæ ciuitatis honestissimo, non modo frumenti scitote, sed uitæ, & sanguinis tantum relictum esse: quantum Apronij libido tulit. nam ui, malo, plagis adductus est: ut frumenti daret, non quantum haberet, sed quantum cogeretur. Sostratus, & Numenius, & Nymphodorus eiusdem ciuitatis, cum ex agris tres fratres cõsortes profugissent: quod ijs plus frumenti imperabatur, quã quantum exararant: hominibus coactis in eorum arationes Apronius uenit: omne instrumentum diripuit: familiam abduxit: pecus abegit. postea, cũ ad eum Nymphodorus uenisset Aetnam, & oraret, ut sibi sua restituerentur: hominem corripi, ac suspendi iussit in oleastro quadam, quæ est arbor Iudices in foro. tam diu pependit in arbore socius, amicusq; populi Romani, in sociorum urbe, ac foro colonus, aratorq; uester: quamdiu uoluntas Apronij tulit. Genera iam dudum innumerabilium iniuriarum Iudices singulis nominibus profero: infinitam multitudinem iniuriarum prætermitto. uos ante oculos animosq; uestros tota Sicilia Decumanorum hos impetus, aratorum direptiones, huius importunitatem, Apronij regnũ proponite. Contempsit Siculos: nõ duxit homines: nec ipsos ad persequendum uehementes fore: & uos eorum iniurias leuiter laturos existimauit. esto: falsam de illis habuit opinionem: malam de uobis. ueruntamen cum de Siculis male mereretur: ciues romanos coluit: his indulsit: eorũ uoluntati, & gratiæ deditus fuit. iste ciues romanos? at nullus inimicior, aut infestior fuit. mitto uincula: mitto carcerem: mitto uerbera: mitto secures: crucẽ deniq; illam prætermitto: quã iste ciuibus Romanis testem humanitatis in eos, ac beneuolentiæ suæ uoluit esse: mitto inquam hæc omnia: atque in aliud dicendi tempus reijcio: de decumis, de ciuium Romanorum conditione in aratoribus disputo. qui quemadmodum essent accepti Iudices audistis ex ipsis: bona sibi erepta esse dixere. hæc, quoniam huiusmodi casus affuit: ferenda sunt: nihil ualuisse æquitatem: nihil consuetudinem: damna deniq; Iudices nulla tanta sunt: quæ non uiri fortes magno, & libero animo affecti, ferenda arbitrentur. quid? si Equitibus Romanis non obscuris, neq; ignotis, sed honestis, & illustribus manus ab Apronio, isto prætore sine ulla dubitatione afferebantur? quid expectatis? quid à me amplius dicendum putatis? an id agendum? ut eò celerius de isto transigamus: quo maturius ad Apronium possimus, id quod ego illi iam in Sicilia pollicitus sum:

uenire? qui C. Matrinium Iudices summa uirtute hominem, summa industria, summa gratia, Leontinis in publico biduum tenuit: atq; ab Apronio Iudices homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato, ad Verris flagitia libidinesq; accommodato, Equitem Ro. scitote biduum cibo tectoq; prohibitum: biduum Leontinis in foro custodijs Apronij retentum, atq; seruatum: neq; ante dimissum: quàm ad conditiones eius depactus est. Nam quid ego de Q. Lollio Iudices dicam equite Ro. spectato atq; honesto? clàrare est, quam dicturus sum: tota Sicilia celeberrima, atq; notißima: qui cũ araret in Aetnensi: cumq; is ager Apronio cum cæteris agris esset traditus: equestri uetere illa & authoritate, & gratia fretus, affirmauit, se Decumanis plusquam deberet non daturum. refertur eius sermo Apronio. enimuero iste ridere: ac mirari Lollium nihil de Matrinio, nihil de cæteris rebus audisse. mittit ad hominẽ Venerios (hoc quoq; attendite: apparitores à prætore aßignatos habuisse Decumanum: si mediocre argumentum uideri potest: istum Decumanorum nomine ad suos quæstus esse abusum) adducitur à Venerijs, atq; adeo attrahitur Lollius commode, cum Apronius è palæstra redisset: & in triclinio, quod in foro Aetnæ strauerat: decubuisset. statuitur Lollius in illo tempestiuo gladiatorum conuiuio. non mehercule quæ loquor crederem Iudices: tametsi uulgo audieram: nisi mecum ipse senex, cum mihi, atq; huic uoluntati accusationis meæ lachrymans gratias ageret: summa cum authoritate esset locutus. statuitur, ut dico, Eques Ro. propè annos LXXXX natus in Apronij conuiuio. cum interea Apronius caput, atq; os suum unguento perfricaret: quid est Lolli inquit? tu nisi malo

coactus recte

coactus recte facere nescis? homo qd ageret, taceret, responderet, quid faceret deniq;? illa authoritate, & ætate præditus, nesciebat. Apronius interea cœnã, ac pocula poscebat. serui autem eius, qui & moribus ijsdem essent, quibus dominus: & eodem genere, ac loco nati: præter oculos Lollij hæc omnia ferebant. ridere conuiuæ, cachinnari ipse Apronius: nisi forte existimatis, eum in uino, ac luxu non risisse: qui nunc in periculo, ac exitio suo risum tenere non poßit. ne multa Iudices, his contumelijs scitote Q. Lollium coactum ad Apronij leges, conditionesq; uenisse. Lollius ætate, & morbo impeditus ad testimonium dicendũ uenire non potuit. quid opus est Lollio? nemo hoc nescit: nemo tuorum amicorum, nemo abs te interrogatus, nunc se primum hoc dicet audire. M. Lollius filius eius adolescens lectißimus præsto est: huius uerba auditis. nam Q. Lollius eius filius qui Calidium accusauit: adolescens, & bonus & fortis, & in primis disertus, cum his iniurijs, contumelijsq; commotus in Siciliam esset profectus, in itinere occisus est. cuius mortis causam fugitiui sustinẽtre quidem uera nemo in Sicilia dubitat, quin eò sit occisus: quod habere clausa nõ potuerit sua cõsilia de Verre. iste porrò non dubitabat: quin is, qui antea alium studio adductus accusasset: sibi aduenienti præsto esset futurus: cum esset parentis iniurijs, & domestico dolore commotus. Iam ne intelligitis Iudices, quæ pestis, quæ immanitas in uestra antiquißima, fidelißima, proximaq; prouincia uersata sit? iam ne uidetis, quam ob causam Sicilia tot hominum antea furta, rapinas, iniquitates, ignominiasq; perpessa, hoc non potuerit nouum, ac singulare, atq; incredibile genus iniuriarum, contu-

meliarumq; ferre? iam omnes intelligunt cur uniuersa prouincia defensorem suæ salutis eum quæsiuit: cuius iste fidei, diligentiæ, perseuerantiæ, nulla ratione eripi posit. tot iudicijs interfuistis: tot homines nocentes, & improbos accusatos, & uestra, & superiorũ memoria scitis esse: ecquem uidistis? ecquem audistis? in tantis furtis, in tam apertis, in tanta audacia, tanta impudentia esse uersatum? Apronius stipatores Venerios secum habebat: ducebat eos circum ciuitates: publice sibi conuiuia parari, sterni triclinia etiam in foro iubebat: euocari homines honestissimos, nõ solum Siculos, sed etiam Equites Romanos: ut quo cum inire cõuiuium nemo unquam, nisi turpis, impurusq; uoluisset: ad eius conuiuiũ spectatissimi, atq; honestissimi uiri tenerẽtur. Hæc tu omniũ mortalium profligatissime, ac perditissime cum scires: cum audires quotidie: cum uideres: si sine tuo maximo quæstu fierent: cũ tanto periculo tuo fieri, paterere, atq; cõcederes? et tantũ apud te quæstus Apronij, tantum eius sermo inquinatissimus, & blandiciæ flagitiosæ ualuerunt? ut nunquam animum tuum cura tuarum fortunarum, cogitatioq; tangeret? Cernitis iudices quod, & quantum incendium Decumanorum impetu non solum per agros, sed etiam per reliquas fortunas aratorum, non solum per bona, sed etiam per iura libertatis, & ciuitatis isto prætore peruaserit. uidetis pendere alios ex arbore: pulsari autem alios & uerberari: porrò alios in publico custodiri: destitui alios in conuiuio: condemnari alios à medico, & præcone prætoris: bona tamen interea nihilo minus eorum omnium ex agris auferri, ac diripi. quid est hoc? populi Romani imperium? populi Ro. leges? iudicia? socij fideles? pro-

uincia suburbana? nonne omnia potius eiusmodi sunt? quæ, si Athenio uicisset, in Sicilia nõ fecisset. non inquã Iudices esset ullam partem istius nequitiæ fugitiuorũ insolentia consecuta. Priuatim hoc modo. quid publice? Ciuitates quemadmodũ tractatæ sunt? audistis permulta indicia, & testimonia ciuitatum: & reliquarũ audietis. ac primum de Agyrinensi populo fideli, & illustri breuiter cognoscite. Agyrinẽsis est in primis honesta ciuitas Siciliæ, hominum ante hunc prætorem locupletium, summorumq; aratorum. eius agri decumas cum emisset idem Apronius, Agyrium uenit. qui cum eo cum apparitoribus, minis, ac ui uenisset, poscere pecuniã grãdem cœpit: ut accepto lucro discederet. nolle se negocij quicquam habere dicebat: sed accepta pecunia quãprimum aliam ciuitatem occurrere. sunt homines Siculi non contemnendi, si per nostros magistratus liceat: sed homines, & satis fortes, & satis planè frugi, ac sobrij: & in primis hæc ciuitas, de qua loquor Iudices. Itaque homini in primis improbissimo respondent Agyrinenses: sese decumas ei, quemadmodum deberent, daturos: lucrum, cum ille magno præsertim emisset, non addituros. Apronius certiorem facit istum, cuia res erat, quid rei esset. statim tanquam coniuratio aliqua Agyrij contra Rempublicam facta, aut legatus prætoris pulsatus esset: ita Agyrio magistratus, & quinque primi accitu istius euocantur. ueniunt Syracusas: præsto est Apronius: ait eos ipsos, qui uenissent: contra edictum prætoris fecisse. quærebant quid? respondebat, se ad recuperatores esse dicturum. iste æquissimus homo formidinem illam suam miseris Agyrinensibus inijciebat: recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur.

Agyrinenſes uiri fortißimi, iudicium ſe paſſuros eſſe dicebant. ingerebat iſte Artemidorum, medicum Cornelium, pictorem Tlepolemum, & huiuſmodi Recuperatores: quorum ciuis Ro. nemo erat: ſed Græci ſacrilegi, iam pridem improbi, repente Cornelij. uidebant Agyrinenſes quicquid ad eos Recuperatores Apronius attuliſſet: illum perfacile probaturum. cõdemnari cum iſtius inuidia, infamiaq; malebant: quàm ad eius conditiones pactionesq; accedere. quærebant quæ in uerba Recuperatores daret: reſpondebat, ſi pateret aduerſus edictum feciſſe, quæ in iudicio dicturum eſſe dicebat. iniquißimis uerbis, improbißimis Recuperatoribus, conflictari malebant: quàm quicquam cum iſto ſua uoluntate decidere. ſummittebat iſte Timarchidem: qui moneret eos, ſi ſaperent, ut tranſigerent. pernegabant. quid ergo? inſingulos HS quinquagenis millibus damnari mauultis? malle dicebant. tum iſte clare omnibus audientibus, qui damnatus erit inquit, uirgis ad necem cædetur. hic illi flentes rogare, atq; orare cœperũt: ut ſibi ſuas ſegetes, fructusq; omnes, arationesq; uacuas Apronio tradere liceret: ut ipſi ſine ignominia, moleſtiaq; diſcederent. hac lege Iudices decumas uendidit Verres. dicat Licet Hortenſius, ſi audet, magno Verrem uendidiſſe. hæc cõditio fuit iſto prætore aratorum: ut ſecum præclare agi arbitrarentur: ſi uacuos agros Apronio tradere liceret. multas enim cruces propoſitas effugere cupiebant. quantum Apronius edidiſſet deberi: tantum ex edicto dandum erat. etiam ne ſi plus ediderit: quàm quantum natum eſſet? etiam. quomodo? magiſtratus ex ipſius edicto exigere debebant. at arator repetere poterat. uerũ Artemidoro Recuperatore. quid

ſi minus? arator dediſſet: quàm popoſciſſet Apronius? iudicium in aratorẽ in quadruplum. ex quo iudicum numero? ex cohorte prætoris præclara honeſtißimorum. quid amplius? minus te iugerum profeſſum eſſe dico: Recuperatores reijce: quod aduerſum edictum feceris. ex quo numero? ex eadem cohorte. quid erit extremum? ſi damnatus eris, nam dubitatio damnationis illis Recuperatoribus quæ poterat eſſe? uirgis te ad necem cædi neceſſe erit. his legibus, his cõditionibus, erit quiſquã tam ſtultus qui decumas ueniſſe arbitretur? qui aratori nouem partes reliquas factas eſſe exiſtimet? qui non intelligat iſtum ſibi quæſtui prædæq; habuiſſe bona, poſſeßiones, fortunas aratorum? uirgarum metu Agyrinenſes, quod imperatum eſſet, facturos ſe eſſe dixerunt. accipite nunc quid imperarit: & diſſimulate uos ſi poteſtis, uos intelligere: ipſum prætorem quod tota Sicilia perſpexerit, redemptorem decumarum, atq; adeo aratorum dominum, ac regem fuiſſe. imperat Agyrinenſibus, ut decumas ipſi publice accipiant: Apronio lucrum dent. ſi magno emerant, quoniam tu es qui diligentißime precium exquiſiſti, qui ut ais magno uendidiſti, quare putabas emptori lucrum addi oportere? eſto, putabas. quãobrem imperabas ut adderent? quid eſt aliud capere, & conciliare pecunias, in quo te lex tenet, ſi hoc non eſt? uiatq; imperio cogere inuitos lucrum dare alteri, hoc eſt pecuniam dare. age quid tum? ſi Apronio delicijs prætoris lucelli aliquid iußi ſunt dare: putate Apronio datum, ſi Apronianum lucellum, ac non prætoria præda uobis uidebitur. imperas ut decumas accipiant: Apronio dent lucrum tritici medimna XXXIIII. quid eſt hoc? una ciuitas ex uno agro plebi Romanæ propè men

strua cibaria Prætoris imperio donare Apronio cogitur. tu magno decumas uendidisti? cum tantũ lucri Decumano sit datum: profecto si precium exquisisses diligenter: tum cum uendebas X medimna potius addidissent: quàm HS D C postea. magna præda uidetur. audite reliqua: & diligenter attendite: quo minus miremini Siculos re necessaria coactos, auxilium à patronis, à Cõsulibus, ab Senatu, ab legibus, à iudicijs petiuisse. ut probaret Apronius hoc triticum: imperat Agyrinensibus Verres, uti in medimna singula dentur Apronio HS III. quid est hoc? tanto numero frumenti in lucri nomen imperato, expresso, nummi præterea exigentur, ut probetur frumentum? an poterat nonmodo Apronius, sed quiuis, exercituisi metiundum esset: improbare Siculum frumentum? quod illi ex area, si uellet, admetiri licebat. frumenti tantus numerus imperio tuo datur: & cogitur. non est satis: nummi præterea imperantur. dantur. parum est. pro decumis hordei, alia pecunia cogitur. iubes HS XXX lucri dari. ita ab una ciuitate, ui, minis, imperio, iniuriáq; prætoris eripiũtur tritici medimna XXX III: & præterea HS LX. An hæc obscura sunt? aut si omnes homines uelint, obscura esse possunt? quæ tu palàm egisti: in conuentu imperasti: omnibus inspectantibus coegisti: qua dere Agyrinenses magistratus, et quinq; primi, quos tui quæstus causa euocas: acta & imperia tua domum ad Senatum suum renunciauerunt: quorum renunciatio legibus illorum, literis publicis mandata est: quorum legati homines nobilissimi Romæ sunt: qui hoc idẽ pro testimonio dixerũt. Cognoscite Agyrinensium publicas literas. deinde testimonium publicum ciuitatis. Recita literas publicas. testimonium publicum. Animaduertistis in hoc testimonio Iudices: Apollodorum, cui Perragi cognomen est, principem suæ ciuitatis lachrymantem testari, ac dicere? nunquam post populi Ro. nomen ab Siculis auditum, & cognitum, Agyrinenses contra quenquam infirmum ciuem Ro. dixisse, aut fecisse quippiam: qui nunc contra prætorem populi Ro. magnis iniurijs, & magno dolore publice testimoniũ dicere togerentur. uni meherc ule huic ciuitati Verres obsistere tua defensione nõ potes. tanta authoritas est in eorũ hominum fidelitate: tantus dolor iniuriæ: tanta religio in testimonio. uerũ non una te, sed uniuersæ similibus afflictæ incommodis, legationibus, ac testimonijs publicis persequentur. etenim deinceps uideamus Herbitensis ciuitas honesta, & antea copiosa quemadmodum spoliata ab isto, ac uexata sit. at quorum hominum? summorum aratorum, remotissimorum à fõro, iudicijs, controuersijs: quibus parcere, & consulere homo impurissime, & quod genus hominum studiosissime conseruare debuisti. Primo anno uenierunt eius agri decumæ tritici medimna XVIII. Attidius istius item minister in decumis, cum emisset: & præfecti nomine cum uenisset Herbitam cum Venerijs: locusq; ei publice, quo diuerteretur, datus esset: coguntur Herbitenses ei lucri dare tritici modiũm XXXVII millia: cum decumæ uenisset tritici modiũm XVIII. atq; hoc triticum lucri coguntur dare publice: cum iam priuatim aratores ex agris spoliati, atq; exagitati Decumanorũ iniurijs profugissent. Anno secundo cum emisset Apronius decumas tritici modiũm XXV millibus: & ipse Herbitam cum illa prædonis copia, manuq; uenisset: populus publice coactus est ei cõferre lucri tritici

modiũ XXVI: & acceßionem HS MM. de acceſ=
ſione dubito an Apronio ipſi dataſit merces operæ, pre
ciumq; impudentiæ. de tritici quidẽ numero tanto, quis
poteſt dubitare, quin ad iſtum prædonẽ frumentarium
ſicut Agyrinenſe frumentũ, peruenerit? Anno uero ter=
tio in hoc agro conſuetudine uſus eſt regia. ſolere aiunt
barbaros reges Perſarum, ac Syrorum, plures uxores
habere: his autẽ uxoribus ciuitates attribuere, hoc mo=
do: hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat: hæc in
collum: hæc in crines. ita populos habent uniuerſos nõ
ſolum conſcios libidinis ſuæ, uerum etiam adminiſtros.
Eandem iſtius, qui ſe regem Siculorum eſſe dicebat: li=
centiã, libidinemq; fuiſſe cognoſcite. Aeſchrionis Syra=
cuſani uxor eſt Pippa: cuius nomen iſtius nequitia tota
Sicilia peruulgatum eſt. de qua muliere uerſus plurimi
ſupra tribunal, & ſupra prætoris caput ſcribebantur.
hic Aeſchrio Pippæ uir adumbratus, in Herbitenſibus
decumis nouus inſtituitur publicanus. Herbitenſes cum
uiderent, ſi ad Aeſchrionem precium rediſſet: ſe ad arbi
trium libidinoſiſſimæ mulieris ſpoliatum iri: liciti ſunt
uſq; eo, quoad ſe efficere poſſe arbitrabantur. ſupra ad=
iecit Aeſchrio. neque enim metuebat, ne prætore Verre
decumana mulier dãno affici poſſet. Addicitur medim=
nis MM, dimidio ferè pluris, quam ſuperiore anno ara
tores funditus euertebantur, & eo magis, quod iam ſu=
perioribus annis exhauſti erant, ac penè perditi. intelle=
xit iſte ita magno uenisſe: ut amplius ab Herbitenſibus
exprimi non poſſet. demit de capite medimna D C:
iubet in tabulas pro medimnis MMM, referri, D MM
D, & IIII. Hordei decumas eiuſdem agri Docimus
emerat. hic eſt Docimus: ad quẽ iſte deduxerat Tertiam

Iſidori mimi filiam, ui abductam ab Rhodio tibicine.
huius Tertiæ plus etiam, quàm Pippæ, plus, quam cæte=
rarum, ac propè dicam tantum apud iſtum in Sicilien=
ſi prætura authoritas ualuit: quantum in urbana Che=
lidonis. ueniunt Herbitam duo prætoris emuli non mo=
leſti, mulierculariũ deterrimarum improbiſſimi cogni=
tores: incipiunt poſtulare, poſcere, minari: non pote=
rant tamen, cum cuperent, Apronium imitari: Siculi Si=
culos non tam pertimeſcebant. cum omni ratione tamẽ
illi calumniarentur: promittunt Herbitenſes uadimoni=
um Syracuſas. eò poſtea q̃ uentum eſt: coguntur Aeſchrio
ni, id eſt Pippæ dare tantum, quantum erat de capite
demptum: tritici modios MMM DC. mulierculæ pu=
blicanæ noluit ex decumis nimium lucri dare: ne forte
ab nocturno ſuo quæſtu animum ad uectigalia redimen=
da transferret. tranſactum putabant Herbitenſes: cum
iſte, quid de hordeo inquit, & Docimo amiculo meo? ad
cogitatis? at hoc agebat in cubiculo Iudices, atq; in lectu
lo ſuo. negabant illi ſibi quicquã eſſe mandatum. non au
dio: numerate HS XV. quid facerent miſeri? aut quid
recuſarent? præſertim cum in lectulo, Decumanæ mu=
lieris ueſtigia uiderent recentia: quibus illum inflamma=
ri ad perſeuerandum intelligebant. Ita ciuitas una ſo=
ciorum, atq; amicorum duobus deterrimis mulierculis
Verre prætore uectigalis fuit. Atq; ego nunc, eum fru=
menti numerum, & eas publice pecunias Decumanis ab
Herbitenſibus datas eſſe dico. quo illi frumento, & qui=
bus pecunijs tamen à Decumanorum iniurijs ciues ſuos
non redemerunt. perditis enim, & direptis aratorum
bonis, hæc Decumanis merces dabatur: ut aliquando
ex eorum agris, atq; ex urbibus abirent. Itaq; cum

Philinus Herbitensis homo disertus, & prudens, & domi nobilis de calamitate aratorum, & de fuga, & de reliquorum paucitate publice diceret: animaduertistis Iudices gemitum populi romani: cuius frequẽtia huic causæ nunquã defuit. quade paucitate aratorum alio loco dicam. nunc illud, quod penè præterij, non omnino relinquendum uidetur. nam per deos immortales, quod de capite ipsi dempsit, quo tandem modo ferendum, uerum etiam animaduertendum uidetur? unus adhuc fuit post Romam cõditam: dij immortales faxint, ne sit alter: cui Resp. totam se tradidit, temporibus coacta, & malis domesticis: L. Sylla. hic tantum potuit, ut nemo illo inuito nec bona, nec patriam, nec uitam retinere posset: tantum animi habuit ad audaciam: ut dicere in concione non dubitaret: bona ciuium Ro. cum uenderet: se prædam suam uendere. eius omnes res gestas non solum obtinemus: uerum etiam propter malorum, incommodorum, & calamitatum metum publica authoritate defendimus. Vnum hoc illius S. consulto reprehensum, decretumq; est: ut quibus ille de capite dempsisset: hi pecunias in ærarium referrent. statuit Senatus hoc, ne illi quidem esse licitum, cui concesserat omnia: à populo factarum, quæsitarumq; rerum summas imminuere. illum uiris fortißimis iudicarunt patres conscripti dimittere de summa non potuisse. te mulieri deterrimæ recte remisisse Senatores iudicabunt? ille de quo lege Populus Ro. iusserat: ut ipsius uoluntas, & posset & esset pro lege: tamen in hoc uno genere ueterum religione legum reprehenditur. tu, qui omnibus legibus implicatus tenebare: libidinem tibi tuam pro lege esse uoluisti? in illo reprehenditur quod ex ea pecunia remiserit: quam ipse

quæsierat. tibi concedetur? qui de capite uectigalium populi Ro. remisisti? Atq; in hoc genere audaciæ, multo etiã imprudentius in decumis Segestensium uersatus est: quas cum addixisset eidem illi Docimo hoc est tritici modium quinq; millia: & accessionem ascripsisset HS MD: coegit Segestenses à Docimo tantidem publice accipere. id quod ex Segestensium publico testimonio cognoscite. Recita testimonium publicum. Audistis quanti decumas acceperit à Docimo ciuitas, tritici modium quinq; millia & accessionem. cognoscite nunc quanti se uendidisse retulerit. LEX DECVMIS VENDVNDIS C. VERRE PR. hoc nomine uidistis tritici modium MMM de capite esse dempta. quæ cum de populi Ro. uictu, de uectigalium neruis, de sanguine detraxisset ærarij: Tertiæ Mimæ condonauit. Vtrum impudentius à Socijs abstulit? an turpius meretrici dedit? an improbius populo Ro. ademit? an audacius tabulas publicas commutauit? ex horum seueritate te ulla uis eripiet? aut ulla largitio eripiet? sed si eripuerit: non intelligit hæc, quæ iam dudum loquor: ad aliam quæstionem, atq; ad peculatus iudicium pertinere. itaq; hoc mihi reseruabo genus integrum totum: ad illam quam institui causam frumenti, ac decumarum reuertar. qui cum agros maximos, ac fracißimos per se ipsum hoc est per Apronium Verrem alterum depopularetur: ad minores ciuitates habebat alios, quos tanquã canes, immitteret, nequam homines, & improbos: quibus aut frumentum, aut pecuniam publice cogebat dari. A. Valentius est in Sicilia interpres: quo iste interprete non ad linguam græcam, sed ad furta, & flagitia uti solebat. fit interpres hic, homo leuis, atq; egens repente Decuma

nus: emit agri Liparensis miseri, atq; ieiuni decumas tritici medimnis DC. Liparenses uocantur. ipsi accipere decumas, & numerare Valentio coguntur lucri HS XXX millia. per deos immortales utrum tibi sumes ad defensionem? tanto ne minoris tibi decumas uendidisse? ut ad medimna D C HS XXX millia lucri, statim sua uolũtate ciuitas adderet: hoc est tritici medimna II millia. an cum magno decumas uendidisset: te expressisse ab inuitis Liparensibus hanc pecuniã? sed quid ego ex te quæro, quid defensurus sis potius, quàm cognoscam ex ipsa ciuitate quid gestum sit? Recita testimonium publicum Liparensium. deinde quemadmodum Valentio nummi sint dati. TESTIMONIVM PVBLICVM, QVOMODO SOLVTVM SIT EX LITERIS PVBLICIS. Etiam ne hæc tam parua ciuitas, tam procul à manibus tuis, atq; à conspectu remota, seiuncta à Sicilia, in insula inculta, tenuiq; posita, cumulata alijs tuis maioribus iniurijs, in hoc quoq; frumentario genere, prædæ tibi, & quæstui fuit? quam tu totam insulam cuidam tuorum sodalium, sicut aliquod munusculum condonaras: ab hac etiam hæc frumentaria lucra tanquam à mediterraneis exigebantur? itaq; qui tot annis agellos suos ante te prætorem redimere à piratis solebant: ijdem seipsos à te precio impositio redemerunt. quid ergo? à Tissensibus perparua, & tenui ciuitate, & aratoribus laboriosissimis, frugalissimisq; hominibus, nonné plus lucri nomine eripitur, quàm, quantum frumenti omnino exararant? ad quos tu Decumanum Diognetum Venerium misisti nouum genus publicani. cur hoc authore non Romæ serui publici ad uectigalia accedant? an-

no secundo Tissenses HS XXI lucri dare coguntur inuiti. tertio anno HS MM modium tritici lucri Diogneto Venerio dare coacti sunt. hic Diognetus, qui ex publicis uectigalibus tanta lucra facit: uicarium nullum habet, nihil omnino peculij. uos etiam nunc dubitate, si potestis: utrum tantum numerum tritici Venerius apparitor istius sibi acceperit, an huic exegerit? atque hæc ex publico Tissensium testimonio cognoscite. TESTIMONIVM PVBLICVM TISSENSIVM. obscure Iudices prætor ipse Decumanus est? cum eius apparitores frumentum à ciuitatibus exigant: pecunias imperent: aliquanto plus ipsi auferant, quàm quantum populo Ro. decumarum nomine daturi sunt. Hæc æquitas in tuo imperio fuit: hæc prætoris dignitas: ut seruos Venerios Siculorum dominos esse uelles. hic delectus, hoc discrimen te prætore fuit: ut aratores in seruorum numero essent: serui, in publicanorum. Quid Amestratini miseri, impositis ita magnis decumis, ut ipsis reliqui nihil fieret: nonné tamen numerare pecunias coacti sunt? addicuntur decumæ M. Cæsio, cum adessent legati Amestratini. statim cogitur Heraclius legatus numerare HS XXII. quid hoc est? quæ est ista præda? quæ uis? quæ direptio sociorum? si erat Heraclio ab Senatu mandatum, ut emeret, emisset. si non erat, qui poterat sua sponte pecuniam numerare? Cæsio renunciat se dedisse. cognoscite renunciationem ex literis. Recita ex literis publicis. Quo S. C. erat hoc legato permissum? nullo. cur fecit? coactus est. quis hoc dicit? tota ciuitas. Recita testimonium publicum. Ab hac eadem ciuitate anno secundo simili ratione extortam esse pecuniam: &

Sex. Vennonio datam: ex eodem testimonio cognouistis. At Amestratinos homines tenues cum eorum decumas med. DCCC uendidisses: Banobali Venerio, cognoscite nomina publicanorum, cogis eos plus lucri addere, quàm quanti uenierant: cum magno uenissent. dant Banobali med. DCCC, HS MD. profecto nunquam iste tam amens fuisset: ut ex agro populi Ro. plus frumenti seruo Venerio, quàm prætori tribui pateretur: nisi omnis ea præda serui nomine ad istum ipsum perueniret. Petrini, cum eorum decumæ magno addictæ essent: tamen inuitißimi P. Neuio Turpioni improbißimo homini, qui iniuriarum Sacerdote prætore damnatus est: HS VII dare coacti sunt. ita ne dissolute decumas uendidisti? ut cum medimnum HS XV millibus uenissent: aut MMM hoc est HS XXXXV: ut lucri Decumano HS MMM darentur. At permagno Decumas eius agri uendidisti. uidelicet igitur non Turpioni lucrum datum: sed Petrinis pecuniæ ereptæ.

Quid Halicyenses, quorum incolæ decumas dant: ipsi agros immunes habent: nonné huic eidem Turpioni cum decumæ C med. uenissent: HS XV dare coacti sunt? si id quod maxime uis, posses probare, hæc ad Decumanos lucra uenisse, nihil te attigisse: tamen hæ pecuniæ per uim, atq; iniuriam tuam captæ, & conciliatæ, tibi fraudi, & damnationi esse deberent. cum uero hoc nemini persuadere poßis: te tam amentem fuisse: ut Apronium, ac Turpionem seruos homines, tuo, liberorumq; tuorum periculo diuites fieri uelles: dubitaturum quēquam existimas? quin illis emissarijs, hæc tibi omnis pecunia quæsita sit? Segestam item ad immunem ciuitatem Venerius Symachus Decumanus immittitur: is

ab isto literas affert: ut sibi contra iura omnia, contraq; legem Rupiliam, extra forum uadimonium promittant aratores. audite literas, quas ad Segestanos miserit. LITERAE C. VERRIS. Hic Venerius quemadmodum aratores eluserit: ex una pactione hominis honesti, gratiosiq; cognoscite. in eodem enim genere sunt cætera. Diocles est Panormitanus, Phimes cognomine, homo illustris, ac nobilis arator. is agrum in Segestano, nam commertium in eo agro nemini est: conductum habebat HS sex millibus. pro decuma cum pulsatus à Venerio esset: dedit HS sexdecim millia & DCLIIII. id ex tabulis ipsius cognoscite. NOMEN DIOCLIS PANORMITANI. huic eidem Symmacho, anneus Brochus Senator homo eo splendore, ea uirtute, qua omnes existimatis, nummos præter frumentum coactus est dare. Venerio ne seruo te prætore talis uir, Senator populi Ro. quæstui fuit? hunc ordinem, si dignitate antecellere nō existimabas: ne hoc quidem sciebas, iudicare? antea, cum Equester ordo iudicaret: improbi & rapaces magistratus in prouincijs inseruiebant publicanis: ornabant eos, quicunq; in operis erant: quēcunq; equitem Ro. in prouincia uiderant: beneficijs ac libertate prosequebantur: neq; tantum illa res nocentibus proderat: quantum obfuit multis: cum aliquid contra utilitatem eius ordinis uoluntatemq; fecissent. retinebatur hoc tum nescio quomodo quasi communi consilio ab illis diligenter: ut qui unum Equitem Ro. contumelia dignum putasset: ab uniuerso ordine malo dignus iudicaretur. tu sic ordinem Senatorium despexisti? sic ad iniurias libidinesq; tuas omnia coæquasti? sic habuisti statutum cum animo, ac deliberatum?

omnes qui habitarent in Sicilia, aut qui Siciliam te prætore attigissent, Iudices reijcere? ut illud non cogitares? tamen ad eiusdem ordinis homines te iudices esse uenturum? in quibus, si ex ipsorum domestico incommodo nullus dolor insideret: tamen esset illa cogitatio, in alterius iniuria sese despectos, dignitatemq; ordinis contemptam, & abiectam. quod mehercule Iudices mihi non mediocriter ferendum uidetur. habet enim quendam aculeum contumelia: quem patiprudentes, ac uiri boni difficillime possunt. spoliasti Siculos. solent enim inulti esse in iniurijs suis graues. uexasti negociatores. inuiti enim Romam, raroq; decedunt. Equitem Ro. ad Apronij iniurias dedisti. quid enim iam nocere possunt, quibus non licet iudicare? quid cum Senatores summis iniurijs afficis? quid aliud dicis, nisi hoc? cedo mihi etiã istum Senatorem: ut hoc amplissimũ nomen Senatorum nonmodo ad inuidiam imperitorum: sed etiam ad cõtumeliam improborum natum esse uideatur. neq; hoc in uno fecit Anneo, sed in omnibus Senatoribus: ut ordinis nomen non tantum ad honorem, quantum ad ignominiam ualeret. In C. Cassio uiro clarissimo, & fortissimo, cum is eo ipso tempore, primo istius anno Cons. esset, tanta improbitate usus est: ut cum eius uxor fœmina primaria paternas haberet arationes in Leontino: frumentum omne in decumas auferre iusserit. Hunc tu in hac causa testem Verres habebis: quoniam iudicem ne haberes, prouidisti. uos autem Iudices putare debetis: esse quiddam nobis inter nos commune, atq; coniunctum. multa sunt imposita huic ordini munera, multi labores, multa pericula, non solum legum, ac iudiciorum, sed etiam rumorum, ac temporum, sic est hic ordo quasi

do quasi propositus, atq; editus in altum: ut ab omnibus uentis inuidiæ circunflari posse uideatur. in hac tam misera, & indigna conditione uitæ, ne hoc quidem retinebimus Iudices? ut magistratibus nostris, in obtinendo iure nostro, ne contemptissimi, ac despectissimi esse uideamur? Thermitani miserunt, qui Decumas emerent agri sui. magni sua putabant interesse, publice potius, quamuis magno emi: quàm in aliquem istius emissarium incidere. appositus erat Venuleius quidam, qui emeret. is liceri non destitit. illi, quoad uidebatur ferri aliquo modo posse, contenderunt: postremo liceri destiterunt. Addicitur Venuleio tritici mod. VII. C. legatus Poßidorus renunciat. cum omnibus hoc intolerandum uideretur: tamen Venuleiò dantur, ne accedat, tritici mod. VII. præterea HS MM millia. ex quo facile apparet, quæ merces Decumani, quæ prætoris præda esse uideatur. cedo Thermitanorum mihi literas & testimonium. TABVLAE THERMITANORVM ET TESTIMONIVM. Imacharenses iam omni frumento ablato, iã omnibus iniurijs tuis exinanitos, tributum ferre miseros, ac perditos coegisti, ut Apronio darent HS XX millia. Recita decretum de tributis, & publicum testimonium. S. C. DE TRIBVTO CONFERENDO. TESTIMONIVM IMACHARENSIVM. Ennenses, cum decumæ uenissent agri Ennensis medimnũ MMM CC: Apronio coacti sunt dare tritici mod. LXX MMM, & HS III millia. Quæso attendite quantus numerus frumenti cogatur ex omni agro Decumano. nam per omnes ciuitates, quæ decumas debent, percurrit oratio mea: & in hoc genere

nunc Iudices uersor: in quo nõ sigillatim aratores euer-
si bonis omnibus sunt: sed quæ publice Decumanis lu-
cra data sunt: ut aliquando ex eorum agris atq; urbibus
expleti, atque saturati cum hoc cumulo quæstus dece-
derent. Calatinis quamobrem imperasti anno ter-
tio: ut decumas agri sui, quas Calatæ dare consueue-
rant: Amestrati M. Cesio Decumano darent? quod
neq; ante te prætorem illi fecerant: neq; tu ipse hoc ita
statueras antea per biennium. Theomnastus Syracu-
sanus in agrum Muticensem cur abs te immissus est? qui
aratores ita uexauit: ut illi in alteras decumas, id quod
in alijs quoque ciuitatibus ostendam, triticum emere
necessario propter inopiam cogerentur. Iam uero
ex Hyblensium pactionibus intelligetis, quæ pactæ sint
cum Decumano Cn. Sergio: sexies tantum quàm quan-
tum satum sit, ablatum esse ab aratoribus. Recita sa-
tiones & pactiones ex literis publicis. recita ex literis
publicis. Cognoscite pactiones Menenorum cum Ve-
nerio seruo. Recita ex literis publicis. Cognoscite
item professiones sationũ, & pactiones Menenorũ. Re-
cita ex literis publicis. Patiemini Iudices, à socijs, ab
aratoribus populi Romani, ab his qui uobis laborãt, uo
bis seruiũt: qui ita plebẽ Ro. ab sese ali uolunt: ut sibi ac
liberis suis tantũ supersit, quo ipsi ali possint: ab his per
summam iniuriã, per summas contumelias, plus aliquan
to ablatum esse, quàm natum sit? Sentio Iudices mo-
derandum mihi esse iam orationi meæ: fugiendamq; ue-
strã facietatem: non uersabor in uno genere diutius: &
ita cætera de oratione mea tollam: ut in causa relin-
quam. Audietis Agrigentinorum fortissimorum uiro-
rum diligentissimorumq; querimonias: cognoscetis Iu-

dices Entellinorum summi laboris, summæq; industriæ
dolorem, & iniurias: Heraclienſium, Icilienſium, Aet-
nensium, Solentinorum, incommoda proferentur: Ca-
tinensium locupletissimorum hominum, amicissimo-
rumq; agros uexatos ab Apronio cognoscetis: Tynda
ritanam nobilissimam ciuitatem, Cephaleditanam, Ha
lentinam, Apollonienſem, Eggynam, Capitinam perdi-
tas esse hac iniquitate Decumanorum intelligetis: Mur-
gentinis, Assorinis, Elorinis, Ennensibus, Letinis nihil
omnino relictum: Citarinos, Acherinos, paruarum ci-
uitatum homines omnino abiectos esse ac perditos: o-
mnes denique agros Decumanos per triennium populo
Ro. ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo uecti-
gales fuisse: & plerisq; aratoribus nihil omnino super-
fuisse: quibus quod tum aut remissum, aut relictum sit:
id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius auaricia con-
tenta fuit, redundarit. Duarum mihi ciuitatum reliquos
feci agros Iudices ferè optimos, ac nobilissimos Aetnen-
sium, & Leontinorum. Horum agrorum ego missos
faciam quæstus triennij: unum annum eligam: quo fa-
cilius id quod institui, explicare possim. sumam annum
tertium, quod & recentissimus est: & ab isto ita admini
stratus, ut cum se certe decessurum uideret: non labora-
ret, si aratorem nullum in Sicilia omnino esset relictu
rus. agri Aetnenſis, & Leontini decumas agemus. at-
tendite Iudices diligenter. agri sunt feraces: annus ter-
tius: Decumanus Apronius. de Aetnensibus perpauca
dicam. Dixerunt enim ipsi priore actione publice: me-
moria tenetis, Artemidorum Aetnenſem, legationis eius
principem publice dicere: Apronium uenisse Aetnam
cum Venerijs: uocasse ad se magistratum: imperasse, ut

in foro sibi medio lecti sternerentur: quotidie solitũ esse nonmodo in publico, sed etiam de publico conuiuari. cum in eis conuiuijs symphonia caneret, maximisq; poculis ministraretur: retinere solitũ esse aratores: atq; ab his nõmodo per iniuriã, sed etiã per contumeliã tantum exprimi frumenti quantum Apronius imperasset. Audistis hæc Iudices: quæ nunc ego omnia prætereo, ac relinquo. nihil de luxuria Apronij loquor: nihil de insolentia: nihil de singulari nequitia, ac turpitudine: tantũ de quæstu, ac lucro dicam unius agri, & unius anni: quo facilius uos coniecturam de triennio, & de tota Sicilia facere possitis. Sed mihi Aetnensium breuis est oratio. ipsi enim uenerunt: ipsi publicas literas deportarũt: docuerũt uos quid lucelli fecerit homo nõ malus, familiaris Prætoris Apronius. id quæso ex ipsorum testimonio cognoscite. Recita testimonium Aetnensium. quid ais? dic, dic quæso clarius: ut populus Romanus de suis uectigalibus, de suis aratoribus, de suis socijs, atque amicis audiat. L. MEDIMNA. per deos immortales unus ager uno anno CCC millia mod. tritici, & præterea L. millia lucri dat Apronio? tanto ne minoris Decumæ uenierunt, quàm fuerunt? an cum satis magno uenissent: hic tantus tamen frumenti, pecuniæq; numerus ab aratoribus per uim ablatus est? utrum enim horum dixeris: in eo culpa, & crimen hærebit, nam illud quidem non dices: quod utinam dicas: ad Apronium non peruenisse tantũ. ita te nõmodo publicis tenebo: sed etiã priuatis aratorum pactionibus, ac literis: ut intelligas, non te diligentiorẽ in faciendis furtis fuisse: quàm me in deprehendendis. hoc tu feres? hoc quisquam defendet? hoc hi, si aliter de te statuere uoluerint, sustinebunt?

uno aduentu, ex uno agro, Q. Apronium præter eam, quam dixi, pecuniam numeratam, CCC millia mod. tritici, lucri nomine sustulisse? Quid? hoc Aetnenses soli dicunt? immo etiam Centuripini: qui agri Aetnensis multo maximam partem possident. quorũ legatis hominibus nobilissimis Androni, & Arthemoni Senatus ea mandata dedit. quæ publice ad ciuitatem ipsorum pertinebant: de his iniurijs, quas ciues Centuripini non in suis, sed in aliorum finibus acceperunt: Senatus & populus Centuripinus legatos noluit mittere: ipsi aratores Centuripini, qui numerus est in Sicilia maximus, hominum honestissimorum, & locupletissimorum, tres legatos ciues suos delegerunt: ut eorum testimonio nõ unius agri, sed propè totius Siciliæ calamitates cognoscerentis. erant enim tota Sicilia fere Centuripini: et hoc in tegratiores, certioresq; testes sunt: qd'cæteræ ciuitates suis solum incommodis cõmouentur: Centuripini, quod in omnibus ferè finibus habent possessiones, etiã cæterarum ciuitatum damna, ac detrimenta senserunt. Verum, ut dixi, ratio certa est Aetnensium, & publicis, & priuatis literis consignata mea diligentia. pensum magis in Leontino agro est exigendum: propter hanc causam, quod ipsi Leontini publice non sane me multum adiuuerunt. neq; enim eos isto Prætore hæ Decumanorum iniuriæ læserunt: potius etiam adiuuerunt. mirum fortasse hoc uobis, aut incredibile uideatur: in tantis aratorum incommodis, Leontinos, qui principes rei frumentariæ fuerunt: expertes incommodorum, atq; iniuriarũ fuisse. hoc causæ est Iudices: quod in agro Leontino, præter unã Mnasistrati familiam, glebã Leontinorum possidet nemo. itaq; Mnasistrati hominis honestissimi, atque

optimi uiri testimonium Iudices audietis: cæteros Leontinos, quibus non modo Apronius in agris, sed ne tempestas quidem ulla nocere potuit, expectare nolite. etenum nonmodo incommodi nihil cœperunt: sed etiam in Apronianis illis rapinis in quæstu sunt, compendioq; uersati. quapropter, quoniam me Leontina ciuitas, atq; legatio, propter eam, quam dixi, causam, deficit: mihimet ineunda ratio, & uia reperienda est: qua ad Apronij quæstũ, siue adeo qua ad istius ingentẽ, immanemq; prædam possim peruenire. Agri Leontini Decumæ anno tertio uenierunt tritici medimnis XXXVI, hoc est tritici mod. CCXVI. magno Iudices, magno. neq; enim hoc possum negare. itaq; necesse est, aut damnũ, aut certe non magnum lucrum fecisse Decumanum. hoc enim solet usu uenire ijs, qui magno redemerunt. quid? si ostendo in hac una emptione, lucri fieri tritici modios C? quid si CC: quid si CCCC? dubitabitis etiam, cui ista tanta præda quæsita sit? iniquum me quispiam dicet: qui ex lucri magnitudine coniecturam faciam furti, atq; prædæ. quid? si docebo Iudices: eos, qui CCCC millia mod. lucri faciunt, damnum facturos fuisse: si tua iniquitas sit: ut ex cohorte Recuperatores non intercederent: num quis poterit in tãto lucro, tantaq; iniquitate dubitare? quin propter iniquitatem tam magnos quæstus feceris? propter magnitudinem quæstus, improbus esse uolueris? Quomodo igitur hoc assequar Iudices? ut sciam lucri quantum factum sit? non ex Apronij tabulis: quas ego cum conquirerem, non inueni: & cum in ius ipsum eduxi, expressi ut conficere tabulas se negaret. si mentiebatur, quamobrem remouebat, si hæ tabulæ nihil tibi erant obfuturæ? si omnino nullas confice-

rat literas: ne id quidem satis significabat, illum non suum negocium gessisse? ea est enim ratio Decumarum: ut sine plurimis literis confici non possit. singula enim nomina aratorum, & cum singulis pactiones Decumarum, literis persequi, et conficere necesse est. Iugera professi sunt aratores omnes, imperio, atq; instituto tuo: nõ opinor quenquã minus esse professum, quàm quantum arasset: cum tot cruces, tot iudicia, tot ex cohorte Recuperatores pponerentur. in iugere Leontini agri medimnum ferè tritici seritur, perpetua, atq; æquabili satione: ager efficit, cũ octauo bene ut agatur: uerũ, ut omnes dij adiuuent, cum decimo. quod si quando accidit, tum fit. ut tantum Decumæ sit, quantum seueris: hoc est: ut quot iugera sunt sata, totidem medimna decumæ debeantur. hoc cum ita esset, primum illud dico: pluribus millibus medimnum uenisse decumas agri Leontini: q̃ quot millia iugerum sata erant in agro Leontino. quod si fieri non poterat, ut plus quàm decem medimna ex iugere arent: medimnum ex iugere Decumano dari poterit: cum ager, id quod perraro euenit, cum Decumo extulisset: quæ erat ratio Decumani? siquidem Decumæ ac non bona ueniebant aratorũ: ut pluribus aliquanto medimnis Decumas emeret? quàm iugera erant sata? in Leontino iugerum subscriptio ac professio, non est plus XXX: Decumæ XXXVI medimnis uenierunt. Errauit? an potius insaniuit Apronius? immo tum insaniisset, si aratoribus quod deberent, licitum esset: et non quod Apronius imperasset, necesse fuisset dare. si ostendo minus tribus medimnis in iugerum neminem dedisse Decumæ: concedes opinor, ut cum Decumano fructus arationis perceptus sit: neminem minus tribus decumis

dediſſe. atq; hoc in beneficij loco petitũ eſt ab Apronio: ut iugera ſingula ternis medimnis decidere liceret. nam cum à multis quaterna, etiam quina exigerẽtur: multis autem non ſolum granum ullum: ſed ne paleæ quidem ex omni fructu, atque ex annuo labore relinquerentur: tum aratores Centuripini, qui numerus in agro Leontino maximus eſt, unum in locum conuenerunt: hominem ſuæ ciuitatis in primis honeſtum, ac nobilem Andronem Centuripinum legarunt ad Apronium: eundem, quem hoc tempore ad hoc iudicium legatum, & teſtem Centuripina ciuitas miſit: ut is apud eum cauſam aratorum ageret: ab eoq; peteret: ut ab aratoribus Centuripinis ne amplius in iugera ſingula, quàm terna medimna exigeret. hoc uix ab Apronio in ſummo beneficio, pro ijs, qui etiam tum incolumes erant, impetratum eſt. id cum impetrabatur, hoc uidelicet impetrabatur: ut pro ſingulis Decumis, ternas Decumas dare liceret. quod ſi tua res non ageretur: à te potius poſtularent: ne amplius quàm ſingulas: quàm ab Apronio, ut ne plus, quàm ternas Decumas darent. Nunc ut hoc tempore ea quæ regie, ſeu potius tyrannice ſtatuit in aratores Apronius, permittam: neque eos appellem: à quibus omne frumentum eripuit: & quibus nihil nonmodo de fructu, ſed ne de bonis quidem ſuis reliqui fecit: ex hiſce ternis medimnis, quod beneficij, gratiaq; cauſa conceſſit, quid lucri fiat, cognoſcite. Profeſſio eſt agri Leontini ad iugera, XXX. hæc ſunt ad tritici medimna XC, ideſt tritici mod. DXL. millia. deductis tritici mod. CCXVI, quanti decumæ uenierunt, reliqua tritici CCCXXIII. adde totius ſummæ DXL millia mod. tres quinquageſimas, ideſt tritici mod.

XXXII. CCCC. ab omnibus enim ternæ præterea quinquageſimæ exigebãtur. Sunt hæc iam ad HS CCC XL mod. tritici. At ego CCCC lucri facta eſſe dixeram. Non enim duco in hac ratione eos quibus ternis medimnis non eſt licitum decidere. Verum ut hac ipſa ratione ſummam mei promiſſi compleam: ad ſingula medimna multi HS duo: multi HS quinq; acceſſionis cogebantur dare: qui minimum, ſingulos numos. hoc minimum ut ſequamur: quoniam XC medimna duximus: accedant eò nouo peſſimoq; exemplo ad HS XC millia. Hic mihi etiam dicere audebit, magno ſe Decumas uendidiſſe? cum ex eodem agro, dimidio plus abſtulerit, quàm populo Ro. miſerit. CC XVI Decumas agri Leontini uendidiſti: ſi ex lege, magno. ſi ut lex eſſet libido tua, paruo. ſi, ut quæ dimidiæ eſſent, Decumæ uocarentur, paruo uendidiſti. multo enim pluris fructus annui Siciliæ uenire potuerunt: ſi id te Senatus aut populus Ro. facere uoluiſſet. etenim ſæpe Decumæ tanti uenierunt cum lege Hieronica uenirent: quanti nunc lege Verrea uenierunt. Cedo mihi C. Norbani decumas uenditas. C. NORBANI DECVMAE VENDITAE AGRI LEONTINI. Atq; tum neq; iudicium de modo iugerum dabatur: neq; enim erat Artemidorus Cornelius Recuperator: neq; ab aratore magiſtratus Siculus tantum exigebat, quantum Decumanus ediderat: nec beneficium petebatur à Decumano: ut in iugera ſingula ternis medimnis decidere liceret: nec nummorum acceſſionem cogebatur arator dare: nec ternas quinquageſimas frumenti addere: & tamen populo Ro. magnus frumenti numerus mittebatur. Quid uero iſtæ ſibi quinquageſimæ? quid porrò num-

morum accessiones uolunt? quo id iure, atq; adeo quo id potius ore feceris? nummos dabat arator: quomodo? aut unde? qui, si largissimus esse uellet, cumulatiore mensura uteretur: ut antea solebant facere, in decumis, cum æqua lege & conditione uenibant. is nummũ dabat. unde? de frumento? quasi habuisset te prætore quod uenderet. de uiuo igitur erat aliquid resecandum: ut esset, unde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur. Iam id porrò utrum libentes, an inuiti dabant? libentes? amabant credo Apronium. inuiti? quare, nisi ui, & malo cogebantur? Iam iste homo amentissimus in uendundis decumis nummorum faciebat accessiones ad singulas decumas: neq; multum, bina aut terna millia addebat. fiunt per triennium HS fortasse D millia. hoc neq; exemplo cuiusquam, neq; ullo iure fecit: neq; eam pecuniam retulit: neq; hoc paruum crimen quemadmodum defensurus sit homo quisquam unquam excogitauit. quod cum ita sit: audes dicere te magno Decumas uendidisse? cum sit perspicuum te bona, fortunasq; aratorum, non populi romani, sed tui quæstus causa uendidisse. ut si quis uillicus ex eo fundo, qui HS dena meritasset: excisis arboribus ac uẽditis, demptis tegulis, instrumento, pecore abalienato, domino XX millia nummum pro X miserit: sibi alia præterea centum confecerit: primo dominus ignarus incommodi sui gaudeat, uillicoq; delectetur: quod tanto sibi plus mercedis ex fundo refectum sit. deinde cum audierit, eas res quibus fundi fructus, & cultura continentur, amotas, & uenditas: summo supplicio uillicũ afficiat: & secum male actum putet. Item populus romanus cum audit pluris Decumas uendidisse C. Verrem, q̃

innocentissimum hominem, cui iste successit, C. Sacerdotem: putat se bonum in arationibus, fructibusq; suis, habuisse custodem, ac uillicum: cum senserit istum omne instrumentum aratorum, omnia subsidia uectigalium uendidisse: omem spem posteritatis auaricia sua sustulisse: arationes, & agros uectigales uastasse, atq; exinanisse: ipsum maximos quæstus, prædasq; fecisse: intelliget secum actum esse pessime: istum autem summo supplicio dignum existimabit. unde ergo hoc intelligi potest? ex hoc maxime: quod ager decumanus prouinciæ Siciliæ propter istius auariciam desertus est. neq; id solum actum est: uti hi minus multis iugis arent, si qui in agris remanserunt: sed etiam, ut permulti locupletes homines, magni, & naui aratores agros latos, ac fertiles desererent, totasq; arationes derelinquerent. Id adeo sciri facillime potest ex literis publicis ciuitatum: propterea quod lege Hieronica numerus aratorũ quotannis apud magistratus publice subscribitur. Recita tandẽ quot acceperit aratores agri Leontini Verres. OCTVAGINTA TRES. quot anno tertio, psitentur. TRIGINTA DVO. unũ et qnquaginta aratores ita uideo deiectos: ut his ne uicarij quidẽ successerint. quot aratores adueniente te fuerũt agri Muticensis uideamus ex literis publicis. CENTVM OCTVAGINTA OCTO. qd? anno tertio? CENTVM ET VNVS. octuaginta septẽ aratores unus ager istius iniuria desiderat: atq; adeo nostra respublica, quoniã illa populi Ro. uectigalia sunt: hũc tot Patrum familias numerum desiderat, & reposcit. Ager Herbitensis primo anno habuit aratores ducentos quinquaginta septẽ: tertio centum uiginti. hinc centum triginta septẽ patres fami-

lias extorres profugerunt. Agyrinensis ager quorũ hominum? q̃ honestorũ? q̃ locupletũ? ducentos quinquaginta aratores habuit primo anno præturæ tuæ. quid tertio anno? octuaginta: quemadmodum legatos Agyrinenses recitare ex publicis literis audistis. Prò dij immortales si ex prouincia tota centũ septuaginta eiecisses: posses ne seueris iudicibus saluus esse? unus ager Agyrinensis centũ septuaginta aratoribus inanior cũ sit, uos cõiecturã totius prouinciæ nõ facietis? Atq; hoc peræque in omni agro Decumano reperietis. q̃bus aliqd tamen reliq̃ fuerit ex magno patrimonio: eos in agris minore instrumẽto, minus multis locis, minores remansisse: quod metuebant, si recessissent, ne reliquas fortunas omnes amitterent. quibus autem iste nihil reliqui, quod perderent, fecerat: eos planè non solum ex agris, uerum ex ciuitatibus suis profugisse. illi ipsi, qui remanserant: uix Decumapars aratorum, relicturi agros omnes erant: nisi ad eos Metellus Roma literas misisset: Deucmas lege Hieronica uenditurum: & nisi ab ijs hoc petiuisset, ut sererent quã plurimũ: quod illi semper sua causa fecerant: cũ eos nemo rogaret: quamdiu intelligebant sese sibi, & populo Ro. non Verri, & Apronio serere, impendere, laborare. Iam ucro si Siculorum fortunas negligitis: si quemadmodum socij populi Ro. à magistratibus nostris tractentur, nõ laboratis: at uos communem populi Ro. causam suscipite, atq; defendite. Electos aratores esse dico: agros uectigales uexatos, atq; exinanitos à Verre: populatam uexatamq; prouinciam: hæc omnia doceo ciuitatum, & priuatis primariorum uirorum testimonijs. quid uultis amplius? num expectatis, dũ L. Metellus is, qui multos in istum testes imperio, & potestate deter-

ruit: idem absens, de istius scelere, improbitate, audacia testimonium dicat? non opinor. At is optime, qui successit isti, potuit cognoscere. ita est, uerum amicitia impeditur. at debet nos certiores facere, quo pacto se habeat prouincia. debet: ueruntamen non cogitur. num quis in Verrem L. Metelli testimonium requirit? nemo. num quis postulat? non opinor. quid si testimonio L. Metelli, ac literis hæc omnia uera esse docebo? quid dicetis? utrum Metellum falsum scribere? an amicum lædendi esse cupidum? an Prætorem quemadmodum prouincia affecta sit nescire? Recita literas L. Metelli, quas ad Cn. Pompeium, & M. Crassum Conss. quas ad M. Mummium Prætorem, quas ad Quæstores urbis misit. EPISTOLA L. METELLI. DECVMAS FRVMENTI LEGE HIERONICA VENDIDI. Cum scribit se lege Hieronica uendidisse, quid scribit? ita se uendidisse, ut omnes præter Verrem. cum scribit lege Hieronica uendidisse, quid scribit? se per istum erepta Siculis maiorum nostrorum beneficia, ius ipsorum, conditionem societatis, amicitiæ, fœderũ redidisse. dicit quanti cuiusq; agri Decumas uendiderit: deinde quid scribit? Recita de epistola reliqua. SVMMA DATA EST OPERA A ME: VT QVAMPLVRIMO DECVMAS VENDEREM. Cur igitur Metelle non ita magno uendidisti? quia desertas arationes, inanes agros, prouinciam miseram, perditamq; offendi. quid? id ipsum quod satum est, qua ratione quisquam, qui sereret, inuentus est? Recita literas. ait se misisse, & confirmasse, suam interposuisse authoritatem: tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit:

se in nulla re Verri similem futurum. At quid est tandem, in quo se laborasse dicat? Recita. VT ARATORES QVI RELIQVI ERANT: QVAM PLVRIMVM SERERENT. Qui reliqui? quid hoc est? reliqui quo ex bello? qua ex uastitate? quænam in Sicilia tanta clades? aut quod bellum tam diuturnum? tam calamitosum te prætore uersatum est? ut is, qui tibi successerit, reliquos aratores collegisse, & recreasse uideatur? cum bellis Carthaginensibus Sicilia uexata est: & post nostram patrumq; memoriam cum bis in ea prouincia magnæ fugitiuorum copiæ uersatæ sint: tamen aratorum internitio facta nulla est. tum semente prohibita, aut messe amissa fructus annuus interibat: tamen incolumis numerus manebat dominorum, atq; aratorum. tum, qui M. Leuino, aut P. Rupilio, aut M. Aquilio prætoribus in eam prouinciam successerant: aratores reliquos non colligebant. tanto ne plus Verres cum Apronio prouinciæ Siciliæ calamitatis importauit? q̃ aut Hasdrubal, cum Pœnorum exercitus? aut Athenio, cum fugitiuorum maximis copijs? ut temporibus illis, simul atq; hostis superatus esset, ager araretur omnis? neq; aratori prætor per literas supplicaret: neq; eũ præsens oraret, ut quamplurimum sereret? nunc autem, ne post abitum quidem huius importunissimæ pestis, quisquam reperiretur: qui sua uoluntate araret? pauci essent reliqui: qui L. Metelli authoritate in agros, atq; ad suum larem familiarem redirent? His te literis homo audacissime atq; amentissime iugulatum sentis? non uides, cum is qui tibi succesit: aratores reliquos appellet: hoc eum diserte scribere: reliquos hos esse, non ex bello, neq; ex aliqua huiusmodi calamitate, sed ex tuo scelere, imporLIB. V. 176

nitate, auaricia, crudelitate? Recita cætera. TAMEN PRO EO VT ET TEMPORIS DIFFICVLTAS ARATORVM QVE PENVRIA TVLIT. aratorum inquit penuria. si ego accusator totiens de re eadem dicerem: uererer ne animos uestros offenderem Iudices. clamat Metellus: nisi literas misissem: non est satis: nisi præsens confirmassem: ne id quidem satis est. reliquos inquit aratores. reliquos? propè lugubri uerbo calamitatem prouinciæ Siciliæ significat. addit, aratorum penuria. Expectate etiam Iudices, si potestis, authoritatem accusationis meæ. dico aratores istius auaricia eiectos: scribit Metellus reliquos ab se esse confirmatos. dico agros relictos, arationesq; desertas esse: scribit Metellus, aratorum esse penuriam. hoc cum scribit: illud ostendit, deiectos, eiectos, fortunis omnibus expulsos esse populi Ro. socios, atq; amicos. quibus si qua calamitas propter istũ saluis uectigalibus nostris accidisset, animaduertere in eum uos oportebat: præsertim cum ea lege iudicaretis, quæ sociorum causa esset constituta. cum uero perditis, profligatisq; socijs uectigalia populi Ro. sint diminuta: res frumentaria, commeatus, copiæ, salus urbis, atque exercituum nostrorum, in posteritatem istius auaricia interierit: saltem populi Ro. commoda respicite: si socijs fidelissimis prospicere non laboratis. Atq; ut intelligatis ab isto præ lucro, prædaq; præsenti nec uectigalium, nec posteritatis habitam esse rationem, cognoscite quid ad extremum scribat Metellus. in reliquum tempus ait se uectigalibus prospexisse. Non scriberet se uectigalibus prospexisse: nisi hoc uellet ostendere: te uectigalia perdidisse. quid enim erat, quod uectigali-

bus prospiceret Metellus in Decumis, & in tota re frumentaria? si iste non uectigalia populi Ro. suo quæstu pertisset? Atq; ipse Metellus, qui uectigalibus prospicit, qui reliquos aratores colligit, quid assequitur, nisi hoc? ut arent, si qui possunt: quibus aratrum saltem aliquod, satelles istius Apronius reliquum fecit: qui tamẽ in agris spe atq; expectatione Metelli remanserunt. quid cæteri Siculi? quid ille maximus numerus aratorum? qui nonmodo ex agris eiecti sunt: sed etiam ex ciuitatibus suis, ex prouincia, deniq; bonis, fortunisq; omnibus ereptis profugerunt: qua ratione ij reuocabuntur? quot prætorum innocentia, sapientiaq; opus est: ut illa aratorum multitudo aliquando in suis agris ac sedibus collocetur? Ac ne miremini tantam multitudinem profugisse: quantam ex literis publicis, aratorumq; professionibus cognouistis: scitote tantam acerbitatem istius, tantum scelus in aratores fuisse, incredibile dictu est Iudices, sed & factum, & tota Sicilia peruulgatum, ut homines propter iniurias, licentiamq; Decumanorum mortem sibi ipsi consciuerint. Centuripinum Dioclem hominem locupletem suspendisse se constat: quo die sit ei nunciatum Apronium decumas redemisse. Dyrrhachinum primum ciuitatis eadem ratiõe mortem oppetisse, dixit apud uos homo nobilissimus Archonidas Elorinus: cum audisset tantum Decumanum professum esse ex edicto istius sibi deberi: quantũ ille bonis suis omnibus efficere non posset. Hæc tu, tametsi omnium hominum dissolutissimus, crudelissimusq; semper fuisti: tamen nunquam perpeterere: quod illi gemitus luctusq; prouinciæ ad tui capitis periculum pertinebant: non inquam perpeterere: ut homines iniuriæ tuæ remedium morte, ac

suspendio

suspendio quærerent: nisi ea res ad quæstum, & ad prædam tuam pertineret. quid? illud perpeterere? Attendite Iudices. omnibus enim neruis mihi contendendum est, atq; in hoc laborandum: ut omnes intelligant, quàm improbam, quàm manifestam, quàm confessam rem pecunia redimere conentur. graue crimen est hoc, & uehemens, & post hominum memoriam, iudiciaq; de pecunijs repetundis constituta, grauissimum: Prætorẽ socios habuisse Decumanos. Non hoc nunc primum audit priuatus de inimico, reus ab accusatore: iam antea in sella sedens prætor, cum prouinciã Siciliam obtineret: cum omnibus non solum id, quod commune est, propter imperium. sed etiam id, quod istius præcipuum est, propter crudelitatem metueretur: millies audiuit: cum eius animum ad persequendum non negligentia tardaret: sed conscientia sceleris, auariciaq; suæ frenaret. loquebantur enim Decumani palàm: & præter cæteros is, qui apud istum plurimum poterat, maximosq; agros populabatur, Apronius: perparum ex illis magnis lucris ad sese peruenire: prætorem esse socium. hoc cum palàm Decumani tota prouincia loquerentur: tuumq; nomen in re tam turpi, nefariaq; interponerent: nihil ne tibi uenit in mentem existimationi tuæ consulere? nihil deniq; capiti ac fortunis tuis prouidere? cũ tui nominis terror in auribus animisq; aratorum uersaretur: cum Decumani aratoribus ad pactiones faciendas non suam uim sed tuum scelus ac nomen opponerent: ecquod iudicium Romæ tam dissolutum, tam perditũ, tam nummarium fore putasti? quo ex iudicio te ulla salus seruare posset: cum planum fieret, decumis contra instituta legis, consuetudinemq; omnium uenditis, in aratorum bonis, for-

tunisq; diripiēdis Decumanos dictitasse tuas esse partes, tuam rem, tuam prædam, idq; te tacuisse: & cum dissimulare non posses: potuisse tamen perpeti: & perferre: quod magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem: plusq; aliquanto apud te pecuniæ cupiditas, quàm iudicij metus posset. Esto, cætera negare non potes. ne illud quidem tibi reliquum feceris, ut hoc posses dicere: nihil eorum te audisse: nihil ad tuas aures de infamia tua peruenisse. querebantur cum luctu, & gemitu aratores: tu id nesciebas? fremebat tota prouincia: nemo id tibi renunciabat? Romæ querimoniæ de tuis iniurijs, conuentusq; habebantur: ignorabas hæc? ignorabas hæc omnia? quid? cum palàm Syracusis te audiente maximo conuentu, P. Rubrius Q. Apronium sponsione lacessiuit: ni Apronius dictitaret, te sibi in decumis esse socium: hæc te uox non perculit? non perturbauit? non, ut capiti, & fortunis tuis prospiceres excitauit? tacuisti: sedasti etiam lites illorum: & sponsio illa ne fieret, laborasti. Pro dij immortales, hoc aut innocens homo peteti potuisset: aut quamuis nocēs, qui modo iudicia Romæ fore putaret, non aliqua re simulatione populi Ro. existimationi se hominū uendicasset? quid est hoc? sponsio fit de capite, ac fortunis tuis. tu sedes, & quiescis? non persequeris? non persueras? non perquiris cui dixerit Apronius? quis audierit? unde hoc natum? quemadmodum prolatum sit? si tibi ad aurem accessisset, & dixisset Apronium dictitare, te sibi esse socium, commoueri te oportuit, uocare Apronium, nec illum ante tibi satisfacere, quàm tu omnium existimationi satisfeciisses. cū uero in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc uerbo, & simulatione Apronio, re uera tibi obiectum esset:

tu unquam tantam plagā tacitus accipere potuisses? nisi hoc ita statuisses: in re tam manifesta quicquid dixisses, te deterius esse facturum? Quæstores, legatos, præfectos suos, Tribunos multi missos fecerunt: & de prouincia decedere iusserunt: quod eorum culpa se minus commode audire arbitrarentur: aut quod peccare illos aliqua in re iudicarent. tu Apronium hominem uix liberum, contaminatum, perditum, flagitiosum, qui nonmodo animum integrū, sed ne animam quidem puram conseruare potuisset: eum in tāto tuo dedecore profecto ne uerbo quidem grauiore appellasses: neq; apud te tam sancta religio societatis fuisset: ut tui capitis periculum negligeres: nisi rem tam notam esse omnibus, & tam manifestam uideres. Cum eodem Apronio postea P. Scandilius Eques Ro. quem uos omnes nostis, eandē sponsionem de societate fecit: quam Rubrius facere uoluerat. instituit: oppressit: nō remisit: facta est sponsio HS V mil. cœpit Scandilius Recuperatores, aut iudicē postulare. satis ne uobis prætori improbo circundati cancelli uidentur in sua prouincia, immo uero in sella, ac tribunali? ut aut de suo capite iudiciū fieri patiatur præsens, ac sedens: aut confiteatur se omnibus iudicijs conuinci necesse esse? sponsio est, ni te Apronius in Decumis socium esse dicat: prouincia, tua est: ades: abs te iudicium postulatur. quid facis? quid decernis? Recuperatores dicis te daturum. bene agis. tamen, si qui erunt tantis ceruicibus Recuperatores: q audeāt in prouincia, cū prætor adsit: non solum contra uoluntatem eius, sed etiam contra fortunas iudicare. uerum esto: manifesta res est: nemo esset, quin hoc se audisse liquidò diceret: locupletissimus quisq;, certissimus testis esset: nemo erat Sicilia tota: q ne

sciret decumas esse Prætoris: nemo qui non audisset, ita Apronium dictitasse. præterea conuentus honestus Syracusis: multi Equites Ro. uiri primarij: ex qua copia Recuperatores reijcioporteret: q aliter iudicare nullo modo possent. Instat Scandilius poscere Recuperatores. tu iste homo innocens, qui illam suspicionem leuare, atque ab se remouere cuperet: Recuperatores dicit se de cohorte sua daturum. Prò deum hominumq; fidem, quē ego accuso? in quo meam industriā, ac diligentiam spectari uolo? quid est, quod ego dicendo, aut cogitando efficere, aut assequi debeam? teneo in medijs uectigalibus populi romani, in ipsis fructibus prouinciæ Siciliæ furē manifesto auertentem rem frumentariam omnem, pecuniam maximam: teneo inquam ita: ut negare non possit. nam quid hic dicet? sponsio facta est cū cognitore tuo Apronio de fortunis tuis omnibus, ni sociū te sibi in decumis esse dictitaret. expectant omnes quantæ tibi ea res curæ sit: quemadmodum hominū existimationi te, atq; innocentiam tuam probari uelis. hic tu Medicum, & Aruspicem, & Præconem tuum Recuperatores dabis? aut etiam illum ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianū iudicem habebas, si qua res maior esset: Papyrium Potamonem, hominem seuerum, ex uetere illa equestri disciplina. Scandilius postulare de conuentu Recuperatores. tum iste negat se de existimatione sua cuiquā nisi suis cōmissurum. Negociatores putant esse turpe, id forum sibi iniquum eiurare, ubi negocientur. Prætor prouinciam suam totam sibi iniquam eiurat. O' impudentiam singularē. hic postulat se Romæ absolui: qui in sua prouincia iudicauit se absolui nullo modo posse: q plus existimet apud lectissimos senatores pecuniam, quàm apud

tres negociatores metum ualere. Scandilius uero negat sese apud Artemidorum Recuperatorem uerbum esse facturum: & tamen urget, atq; onerat te bonis conditionibus, si tuuti uelis. si ex prouincia Sicilia tota statuas idoneum iudicem aut Recuperatorem nullum posse reperiri. postulat à te, ut Romā reijcias. hic enimuero tu exclamas, hominem improbum: qui postulet ibi de tua existimatione iudicium fieri: ubi te inuidiosum esse intelligebat: negas te Romam reiecturum: negas de conuentu Recuperatores daturum: cohortem tuam proponis. Scandilius rem se totam relicturum dicit: & suo tempore esse redituru. quid tu ibi tum? quid facis? Scandilium cogis. quid? sponsionem acceptam facere? impudenter tollis expectatū existimationis tuæ iudiciū. non facis. quid ergo? Apronio permittis, ut quos uelit, de cohorte sumat Recuperatores? indignū, uni potius ex iniquis sumendi, quàm utrisq; ex æquis reijciendi fieri potestatem. neutrū facis eorū. quid ergo? est aliquid quod improbius fieri potest. cogit enim Scandilium quinq; illa millia nummum dare, atq; adnumerare Apronio. Quid potuit elegantius facere, Prætor cupidus existimationis bonæ: qui ab se omnem suspicionem propulsare: qui se eripere ex infamia cuperet? Adductus erat in sermonem, inuidiam, uituperationem: dictitarat homo improbus, atq; impurus Apronius, socium esse prætorem. uenerat res in iudicium, atq; discrimen: potestas erat ipsi homini integro, atq; innocenti data: ut in Apronium cum animaduertisset, se se grauissima leuaret infamia. quid excogitat pœnæ? quid animaduersionis in Apronium? cogit Scandilium Apronio ob singularem improbitatē, atq; audaciam, prædicationemq; nefariæ

societatis, HS V millia mercedis nomine, ac præmij dare. Quid interfuit homo audacißime, utrum hoc decerneres? an id quod Apronius dictitabat: tu de te proferres, ac dictitares? quem hominẽ, si quis pudor in te, atq; adeo si quis metus fuisset: sine supplicio dimittere nõ debuisti: hunc abs te sine præmio discedere noluisti. Omnia simul intelligere potuistis Iudices ex hoc uno crimine Scandiliano: primum, hoc non esse Romæ natum de societate Decumarum: non ab accusatore fictum: non ut solemus interdum in defensionibus dicere, crimen domesticum, ac uernaculum: non ex tempore periculi tui constitutum: sed uetus, cogitatum iam, & te prætore iactatum, & non ab inimicis Romæ compositum, sed Romã de prouincia exportatũ. simul intelligi potest illud istius in Apronium studium: Apronij de isto nonmodo confessio, uerum etiam commemoratio. eodẽ accedit, quod hoc quoq; intelligere potestis: istũ statuisse in prouincia sua, existimationis suæ iudicium extra cohortem suam committendum fuisse nemini. Ecquis est iudex? cui non ab initio Decumani criminis persuasum sit: istum in aratorum bona, fortunas q; impetum fecisse? quis hoc non ex eo statim iudicauit? quod ostendi istum Decumas noua lege, atq; adeo nulla lege, contra omnium consuetudinẽ, atq; instituta uendidisse? Verũ ut istos ego Iudices tam seueros, tam diligentes, tam religiosos nõ haberẽ: ecquis est, ex iniuriarum magnitudine, improbitate decretorũ, iudiciorum iniquitate, qui hoc nõ iam dudum statuerit, & iudicarit? etiam sanè sit aliquis dissolutior in iudicando, legum, officij, Reipublicæ, sociorum, atq; amicorum negligentior. quid is? posßit ne de istius improbitate dubitare? cum tanta lucra facta, tam iniquas

pactiones ui, & metu expressas cognouerit? cum tanta præmia ciuitates ui, atq; imperio, uirgarum, ac mortis metu nonmodo Apronio, atq; eius similibus, uerũ etiam Venerijs seruis dare coactas? Quod si quis sociorum incommodis minus mouetur: si quem aratorum fugæ, calamitates, exilia, suspendia deniq;, non permouent: non possum dubitare: quin is tamen cum uastatam Siciliam, relictos agros, ex ciuitatum literis, & Epistola L. Metelli cognouerit: statuat fieri non posse, ut de isto non seuerißime iudicetur. erit etiam aliquis qui hæc omnia dißimulare, ac negligere posßit. attuli sponsiones ipso præsente factas de Decumarũ societate, ab ipso phibitas iudicari. quid est, quod posßet quisquã manifestius hoc, desiderare? non dubito quin uobis satisfecerim Iudices. ueruntamen progrediar longius: nõ mehercule quo magis hoc uobis persuadeatur: quàm iam persuasum esse confido: sed ut ille aliquando impudentiæ suæ finem faciat: aliquando desinat, ea se putare emere: quæ ipse semper habuit uenalia: fidem, iusiurandum, ueritatem, officium, religionem: desinant amici eius ea dictitare, quæ detrimento maculæ, inuidiæ, infamiæ nobis omnibus esse posßint. at qui amici? O' miserum, atque inuidiosum, offensumq; paucorum culpa, atq; indignitate ordinem Senatorium. Albam Aemilium sedentem in fauci-bus macelli loqui palàm? uicisse Verrẽ: emptos habere iudices: alium HS CCCC millibus: alium HS D: quem minimo, CCC. atq; ei cum responsum esset: fieri non posse: multos testes esse dicturos: me prætera cauſæ non defuturum: licet hercules inquit omnes omnia dicant: in illo nisi itares manifesta erit allata: ut responderi nihil posßit: uicimus. Bene agis Alba: ad tuam uc-

niam conditionem. nihil putas ualere in iudicijs coniectu-
ram: nihil suspicionem: nihil ante actæ uitæ existi-
mationem: nihil bonorum uirorum testimonia: nihil ci-
uitatum authoritates, ac testimonia: literas manifestas
quæris. nõ quæro iudices Cassianos: ueterem iudiciorũ
seueritatem non requiro: uestram in hoc fidem, digni-
tatem, religionem, in iudicando non imploro: Albam
habebo iudicem: eum hominẽ, qui se ipse scurram im-
probissimum existimari uult: qui à scurris potius sem-
per gladiator, quàm scurra appellatus sit. afferam rem
eiusmodi in decumis, ut Alba fateatur: istum in re fru
mentaria, & in bonis aratorum, aperte, palamq; esse
prædatum. Decumas agri Leontini magno dicit se
uendidisse. ostendi iam illud initio: non existimandum
magno uendidisse eum: qui uerbo decumas uendiderit:
re, & conditione, & lege, & edicto, & licentia Decu-
manorum, decumas aratoribus nullas reliquas fece-
rit. etiam illud ostendi: uendidisse alios magno Decu-
mas agri Leontini, cæterorumq; agrorum: & lege Hie
ronica uendidisse: & pluris etiã quàm te uendidisse: nec
aratorẽ quenq; esse questum. nec enim fuit quod quisquã
queri posset: cum lege æquissime scripta uenirent. neq;
illud unquam aratoris interfuit: quanti Decumæ ueni-
rent. non enim ita est: ut si magno uenierint, plus ara-
tor debeat: si paruo, minus. ut frumenta nata sunt, ita
decumæ uencunt. aratoris autem interest, ita se fru-
menta habere, ut decumæ quamplurimo uenire possint.
dum arator ne plus decuma det, expedit ei decumam es-
se quàm maximam. Verum hoc ut opinor esse uis ca-
put defensionis tuæ: magno te decumas uendidisse: agri
uero Leontini, qui plurimũ efficit: tritici mod. CC VI

millibus. Si doceo, pluris aliquanto potuisse te uendere:
neq; his uoluisse addicere: qui contra Apronium lice-
rentur: & Apronio multo minoris, quàm alijs potue-
ris, tradidisse: si hoc doceo, poterit ne te Alba tuus anti-
quissimus non solum amicus, uerum etiam amator, ab
soluere? Dico Equitem Ro. hominem in primis hone-
stum, Q. Minutium cum suis similibus, ad decumas
agri Leontini tritici mod. non M, non MM, non
MMM, sed ad unas unius agri decumas tritici mod.
XXX uoluisse addere: & ei potestatem emendi non es
se factam: ne res abiret ab Apronio. negare hoc, nisi for-
te negare omnia cõstituisti, nullo modo potes. palàm res
gesta est, maximo conuentu, Syracusis: testis est tota pro-
uincia: propterea quod undiq; ad emendas decumas so-
lent eò conuenire. quod siue fateris, siue cõuinceris, quot
& quammaximis in rebus teneare, non uides? pri-
mum tuam rem illam, & prædam fuisse. nam nisi ita
esset, cur tu Apronium malebas: quem omnes tuum pro
curare in decumis negocium loquebantur: quàm Mi-
nutium decumas agri Leontini sumere? deinde immen-
sum atq; infinitum lucrum esse factum. nam si XXX
mod. tritici tu commotus non esses: certe hoc idem lucri
Minutius Apronio libenter dedisset: si ille accipere uo-
luisset. quantam igitur illi spem prædæ propositam ar-
bitramur fuisse: qui tantum præsens lucrum nulla ope-
ra insumpta contempserit, atq; despexerit? deinde ipse
Minutius nunquam tanti habere uoluisset, si decumas tu
lege Hieronica uenderes. sed quod tuis nouis edictis,
& iniquissimis institutis plus aliquanto se, quam decu-
mas, ablaturum uidebat, iccirco longius progressus est.
At Apronio semper, plus etiam multo ab te permissum

est, quàm quod edixeras. quantum igitur quæstum putamus factum esse per eum: cui quidvis licitum sit: cum tantum lucri uoluerit addere is, cui, si decumas emisset: idem non liceret? Postremo illa quidem certe tibi præcisa defensio est: in qua tu semper omnia tua furta, atq; flagitia latere posse arbitratus es: magno te decumas uendidisse: plebi Ro. consuluisse: annonæ prospexisse. non potest hoc dicere is, qui negare non potest: se unius agri decumas XXX mod. minoris quàm potuerit, uendidisse. ut etiam, si tibi hoc concedam: Minutio ideo te non tradidisse: quod iam addixisses Apronio: aiunt enim te ita dictitare: quod ego expecto, cupioq; te illud defendere. uerum ut ita sit: tamen non potes hoc quasi præclarum aliquid prædicare: magno te decumas uendidisse: cum fuisse fateare, qui multo pluris uoluerint emere. Tenetur igitur iam Iudices, & manifesto tenetur auaricia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia. Quid? si hæc, quæ dico, ipsius amici, defensoresq; iudicarunt? quid uultis amplius? Aduentu L. Metelli prætoris cum omnes eius comites iste sibi suo illo panchresto medicamento amicos redemisset: aditum est ad Metellum: eductus est Apronius: eduxit uir primarius C. Gallius Senator: a L. Metello, ut ex edicto suo iudicium daret in Apronium, quod per uim, aut metum abstulisset: quam formulam Octauianam, & Romæ Metellus habuerat: & habebat in prouincia: non impetrat: cum hoc diceret Metellus, præiudicium se de capite C. Verris, per hoc iudicium nolle fieri. tota Metelli cohors, hominum non ingratorum, aderat Apronio. C. Gallius homo nostri ordinis, à suo familiarissimo L. Metello iudicium ex edicto non potest impetra-

re. non reprehendo Metellum. pepercit homini amico, & quemadmodum ipsum dicere audiui, necessario. non reprehendo inquam Metellum, sed hoc miror: quomodo, de quo homine præiudicium noluerit fieri per Recuperatores: de hoc ipso nonmodo præiudicarit: uerum grauissime, ac uehementissime iudicarit. primum enim, si Apronium absolutum iri putaret: nihil erat, quod ullum præiudicium uereretur. deinde si condemnato Apronio, coniunctam cum eo Verris causam omnes erant existimaturi: Metellus quidem certe iam hoc iudicabat: eorum rem, causamq; esse coniunctam: qui statuerit Apronio condemnato, de isto præiudicium futurum. & simul una res utriq; rei est argumento: & aratores ui, & metu coactos Apronio multo plus, quàm de buerint, dedisse: & Aproniũ istius rem suo nomine egisse: cum L. Metellus statuerit, non posse Apronium condemnari: quin simul de istius scelere, atq; improbitate iudicaretur. Venio nunc ad epistolam Timarchidis, liberti istius, & accensi. de qua cum dixero: totum hoc crimen Decumanum perorabo. Hæc epistola est Iudices: quam nos Syracusis in ædibus Apronij, cum literas conquireremus, inuenimus: missa est, ut ipsa significat, ex itinere: cum Verres iam de prouincia decessisset Timarchidis manu scripta. Recita Epistolam Timarchidis. TIMARCHIDES VERRIS ACCENSVS APRONIO SALVTEM DICIT. Iam hoc quidem nõ reprehendo, quod ascribit accensus. cur enim sibi hoc scribæ soli sumant? L. Papyrius Scriba. uolo ego hoc esse commune accensorum, lictorum, uiatorum. FAC DILIGENTIAM ADHIBEAS QVOD AD EXISTIMATIONEM

PRAETORIS ATTINET. *commendat Apronio Verrem: & hortatur ut inimicis eius resistat. bono præsidio munitur existimatio tua: siquidem in Apronij cõstituitur diligentia, atq; authoritate.* HABES VIRTVTEM ATQVE ELOQVENTIAM. *quàm copiosè laudatur Apronius à Timarchide? quàm magnificè? cui ego non putem illum placere oportere: qui tantopere Timarchidi probatus sit?* HABES SVMPTVM VNDE FACIAS. *necesse est, quod redundaret de uestro frumentario quæstu, ad illum potißimum, per quem agebatis, defluxisse.* SCRIBAS APPARITORES RECENTES ARRIPE: CVM L. VVLTEIO, QVI PLVRIMVM POTEST: CAEDE: CONCIDE. *Videte quàm ualde maliciæ suæ confidat Timarchides: qui etiam Apronio improbitatis præcepta det. Iam hoc cæde, concide, non uerba domo patroni depromere uidetur, ad omne genus nequitiæ accommodata?* VOLO MIHI FRATERCVLO TVO CREDAS. *consorti quidem in lucris, atq; furtis: gemino, & similli-mo nequitia, improbitate, audacia.* IN COHORTE CARVS HABEARE. *quid est hoc in cohorte? quo pertinet? Apronium doces? quid? in uestram cohortẽ te monitore, an sua sponte peruenerat?* QVOD CVIQVE OPVS SIT: OPPONE. *qua impudentia putatis eum in dominatione fuisse: qui in fuga tam improbus sit? ait, omnia pecunia effici posse: dare, profundere, opponere, si uelis uincere. nõ hoc mihi tam molestum est Apronio suadere Timarchidem: quàm quod hoc idem patrono suo præcepit.* TE POSTV

LANTE OMNES VINCERE SOLENT. *Verre quidem Prætore: non Sacerdote, non Peduceo, non hoc ipso Metello.* SCIS METELLVM SAPIENTEM ESSE. *hoc uero ferri iam non potest: irrideri uiri optimi L. Metelli ingenium, & contemni, ac despici à fugitiuo Timarchide.* SI VVLTEIVM HABEBIS, OMNIA LVDIBVNDVS PERFICIES. *Hic uehementer errat Timarchides: qui aut Vulteium pecunia corrumpi putet posse: aut Metellum uniusarbitratu gerere Prætu-ram. sed errauit coniectura domestica. quia multos per se, & per alios multa ludibundos libidinosè apud Verrem effecisse uidit: ad omnes eosdem patere aditus arbitrabatur. facilius uos efficiebatis ludibundi, quæ uolebatis à Verre: quod multa eius ludorum genera noratis.* INCVLCATVM EST METELLO ET VVLTEIO TE ARATORES EVERTISSE. *quis istuc Apronio attribuebat, cum aratorem aliquem euerterat, aut Timarchidi? cum ob iudicandum, aut decernendum, aut imperandum aliquid, aut remittendum pecuniam acceperat? aut Sestio Lictori? cum aliquem innocentem securi percussérat? nemo. omnes ei Verri tunc attribuebant: quem nunc condemnari uolunt.* OBTVDERVNT EIVS AVRES TE SOCIVM PRAETORIS FVISSE. *uides ne hoc quàm clarum sit, & fuerit? cum etiam Timarchides hoc metuat: concedes non hoc crimen nos in te confingere? sed iam pridem ad crimen, aliquam defensionem libertum quærere? libertus, & Accensus tuus, & tibi, ac liberis tuis, omnibus in rebus coniũctus, ac proximus, ad Apronium scribit: uul-*

go esse ab omnibus ita demonstratum Metello: tibi Apronium in decumis socium fuisse. FAC SCIAT IMPROBITATEM ARATORVM. IPSI SVDABVNT: SI DII VOLENT. quod istuc p deos immortales, aut qua de causa excitatum esse dicamus ut aratores tam infestum odiũ, atq; tantum? quantã iniuriã fecerunt Verri aratores? ut eos etiam libertus, & accensus eius tam irato animo, aut literis insequatur? Neq; ego huius fugitiui Iudices epistolam uobis recitassem: nisi ut ex ea totius familiæ præcepta, & instituta, & disciplinam cognosceretis. Videtis, ut moneat Apronium quibus rebus, ac muneribus insinuet in familiaritatem Metelli? Vulteium corrumpat? Scribas, Accensumq; precio deliniat? ea præcipit, quæ uidit: ea monet alienum hominem, quæ domi didicit ipse. uerum in hoc errat uno: quod eadem existimat uias ad omnium familiaritates esse munitas. quanquã merito sum iratus Metello: tamen hæc, quæ uera sunt, dicam. Apronius ipsum Metellum non precio, ut Verrem, non conuiuio, non muliere, non sermone incauto, atq; improbo posset corrumpere. quibus rebus non sensim, atq; moderate ad istius amicitiam arrepserat: sed breui tempore totum hominem, totamq; eius Præturam possederat. Cohortem autem Metelli q̃ uocat, quid erat quod corrumperet? ex qua recuperatores nulli dabantur. nam quod scribit Metelli Filium puerum esse, uehementer errat. non enim ad omnes prætorum filios ijdem aditus sunt. O' Timarchide, Metelli est filius in prouincia, non puer, sed adolescens bonus, ac pudens, dignus illo loco, ac nomine. uester ille puer prætextatus in prouincia quemadmodum fuisset, non dicerem: si pueri esse illam culpam, aũ

non patris existimarem. tu ne, cum te, ac tuam uitam noscs: in Siciliam tecum grandem prætextatum filium ducebas? ut etiam si natura puerum à paternis uicijs, atq; à generis similitudine abduceret: consuetudo tamen eũ, & disciplina degenerare non sineret. fac enim fuisse in isto C. Lelij, M. Catonis materiem, atq; indolem: quid ex eo boni sperari, atq; effici potest? qui in patris luxurie sic uixerit: ut nullum unquam pudicum, neq; sobrium conuiuium uiderit? qui in epulis quotidianis adulta ætate per triennium inter impudicas mulieres, & intemperantes uiros uersatus sit? nihil unquam à patre audiuit: quo pudentior, aut melior esset: nihil unquam patrem agere uidit: quod cum imitatus esset: non id, quod turpissimũ est, similis patri putaretur. Quibus in rebus non solum filio, uerum etiam Reip. feciſti iniuriam. susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriæ: qui non modo tibi uoluptati, sed etiam qui aliquando usui Reip. esse possent. eos instituere, atq; erudire ad maiorum instituta, atq; ciuitatis disciplinam, non ad tuas turpitudines debuisti. esset inerti, atq; impuro, et improbo parente nauus, & pudens, & probus filius: haberet aliquid abs te Resp. muneris. nunc pro te Verrem substituisti alterum ciuitati. nisi hoc forte deterior est, si fieri potest: quod tu eiusmodi euasisti, non in hominis luxurioſi, sed tantum in furis, ac diuisoris disciplina educatus. quid isto festiuius fore arbitramur? qui est tuus natura filius, consuetudine discipulus, uoluntate similis? Quem ego Iudices quamuis bonum, fortemq; facile paterer euadere. non enim me inimicitiæ commouent: si quæ mihi cum isto futuræ sint. nam si in omnibus rebus innocens fuero, meiq; similis; quid

mihi istius inimicitiæ nocebunt? sin aliqua in re Verri similis fuero: non magis mihi deerit inimicus, quàm Verri defuit. etenim Iudices eiusmodi Resp. debet esse: & erit, ueritate iudiciorum constituta: ut inimicus neq; deesse nocenti possit, neq; obesse innocenti. quapropter nulla res est, quamobrem ego istum nolim ex paternis probris, ac uitijs emergere: id, quod tametsi isti difficile est: tamen haud scio an fieri possit: præsertim si, ut nunc fit, custodes amicorum eum sectabuntur: quoniam pater tam negligens, ac dissolutus est. Verum huc longius, quàm uoluntas fuit, ab epistola Timarchidis digressa est oratio mea. quare citata, conclusurum me esse crimen decumarum dixeram: ex quo intellexistis innumerabilem frumenti numerum per triennium auersum à Rep. esse, abreptumq; aratoribus. Sequitur, ut de frumento empto uos Iudices doceam, maximo, atq; impudentissimo furto: de quo dum certa, & pauca, & magna dicam breuiter, attendite. Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex Senatus consulto, & ex lege Terentia, & Cassia frumentatia. Emundi duo genera fuerunt: unum certarum decumarum: alterum quod præterea ciuitatibus æqualiter esset distributum. illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset tritici mod. DCCC millia: precium autem constitutum decumano in mod. singulos HS ternos: imperato, HS IIII. ita in frumentum imperatum, HS duodetricies in annos singulos Verri decernebatur: quod aratoribus solueret: in alteras decumas fermè ad nonagies. sic per triennium ad hanc frumenti emptionem Siciliensem propè centies & tricies erogatum est. Hanc pecuniam tantam, datam tibi ex ærario inopi, atq; exhausto, datam ad frumẽtum, hoc est ad

hoc est ad necessitatem salutis, & uitæ datam ut Siculis aratoribus, quibus tanta onera Resp. imponeret, solueretur: abs te sic laceratam esse dico: ut possim illud pbare, si uelim: omnem te hanc pecuniã domum tuam auertisse. etenim sic hanc rem totam administrasti: ut hoc, qd dico, probari æquissimo iudici possit. sed ego habebo rationẽ authoritatis meæ: meminero, quo animo, quo cõsilio ad causam publicam accesserim: nõ agam tecum accusatorie: nihil fingam: nihil probari uelim me dicente, quod non ante mihimet ipsi probatum sit. In hac pecunia publica Iudices hæc insunt tria genera furtorum. primum eam, cum posita esset apud eas societates, unde erat attributa, binis centesimis fœneratus est. deinde pmultis ciuitatibus pro frumento nihil soluit omnino. postremo si cui ciuitati soluit: tantum detraxit, quantum commodum fuit, nulli, quod debitum est, reddidit. Ac primum hoc ex te quæro. tu cui Publicani ex Carpinati literis gratias egerunt: pecunia publica ex ærario erogata, ex uectigalibus populi Ro. ad emendum frumentum attributa, fuerit ne tibi quæstui? pensitarit ne tibi binas centesimas? credo te negaturum. turpis enim est, & periculosa confessio. mihi autem hoc perarduum est demonstrare. quibus enim testibus? publicani tractati honorifice sunt: tacebunt. literæ eorum decreto Decumanorum remotæ sunt. quo me igitur uertam? rem tam improbam, crimen tantæ audaciæ, tantæq; impudentiæ, propter inopiam testium, ac literarum prætermittam? non faciam Iudices: utar teste: quo? P. Vectio Chilone homine equestris ordinis honestissimo, atq; ornatissimo: qui isti ita amicus, & necessarius est: ut etiam si uir bonus non esset: tamen quod contra istum diceret, gra-

ue uideretur. ita uir bonus est: ut etiam si inimicissimus ipsi esset, tamen eius testimonio credi oporteret. admiratur, & expectat, quidnã Vectius dicturus sit. nihil dicet extempore, nihil ex sua uoluntate, nihil, cum utrum uis, licuisse uideatur. misit in Siciliam literas ad Carpinatium, cum esset magister scripturæ, & sex Publicanorum. quas ego Syracusis apud Carpinatium in literarum allatarum libris, Romæ in literarum missarum apud magistrum Tullium familiarem tuum inueni. quibus ex literis impudentiam fœnerationis quæso cognoscite. LITERAE MISSAE L. VECTII, L. SERVILII, C. ANTISTITIS MAGISTRORVM. Præsto se tibi ait futurum Vectius: & obseruaturum quemadmodum rationes ad ærarium referas: ut si hanc ex fœnore populo pecuniam non retuleris, reddas societati. Possumus hoc teste, possumus P. Seruilij, & C. Antistitis magistrorum primorum hominum, atque honestissimorum, possumus authoritate societatis, cuius literis utimur, quod dicimus obtinere? an aliqua firmiora, aut grauiora quæreda sunt? Vectius tuus familiarissimus, Vectius tuus affinis, cuius sororem habes in matrimonio: tuæ frater uxoris Vectius, frater tui Quæstoris, impudentissimũ tuum furtum, certissimumq; peculatum, nam quo alio nomine pecuniæ publicæ fœneratio est appellanda. * Recita reliqua. Scribam tuum dicit Verres huius perscriptorem fœnerationis fuisse. ei quoq; Magistri minantur in literis. & casu Scribæ tum duo Magistri fuerunt. cum Vectio binas centesimas ab se ablatas ferundum non putant. & recte non putant. quis enim hoc fecit unquam? quis deniq; conatus est facere? aut posse

fieri cogitauit? ut cum Senatus publicanos usura sæpe iuuisset: magistratus à Publicanis pecuniam pro usuris auderet auferre? Certe huic homini spes nulla salutis esset: si Publicani, hoc est si Equites Rom. iudicarent. Minor esse cura nunc Iudices nobis disceptantibus debet: & tanto minor, quanto est honestius alienis iniurijs, quàm re sua commoueri. Quid ad hæc respondere cogitas? utrum factum negabis? an tibi hoc licitum esse defendes? negare qui potes? an ut tanta authoritate literarum, tot testibus Publicanis cõuincare? licuisse uero quî? si mehercule te tuam pecuniam non populi Rom. in prouincia fœneratum docerem: tamen effugere non posses. sed publicam, sed ob frumentum decretam, sed à Publicanis fœnore accepto: hoc licuisse cuiquam probabis? quo non modo cæteri, sed ipse nihil audacius improbiusq; fecisti. non mehercule hoc, quod omnibus singulare uidetur, de quo mihi deinceps dicendum est, possum Iudices dicere audacius esse, aut impudentius: quod permultis ciuitatib. pro frumento nihil soluit omnino. maior hæc præda fortasse est: sed illa impudentia certe non minor. Et quoniam de illa fœneratione satis dictum est: nunc de hac tota pecunia auersa quæso cognoscite. Siciliæ ciuitates multæ sunt Iudices, ornatæ, atque honestæ. ex quibus in primis numeranda est ciuitas Halesina. nullam enim reperietis aut officijs fideliorem: aut copijs locupletiorem: aut authoritate grauiorem. Huic iste annos singulos cum sexaginta tritici millia modium imperauisset, pro tritico nummos abstulit: quanti erat in Sicilia triticum: quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes. Obstupui Iudices: cum hoc mihi primum Halesæ demonstrauit in Senatu Halesinorum homo

ſummo ingenio, ſumma prudentia, ſumma authoritate præditus Haleſinus Aenias: cui Senatus dederat publice cauſam: ut mihi, fratriq; meo gratias ageret: & ſimul, qui nos ea, quæ ad iudicium pertinerent, doceret. demonſtrat hanc iſtius conſuetudinem, ac rationem fuiſſe: cum omnis frumenti copia decumarum nomine penes iſtum eſſet redacta: ſolitum eſſe iſtum pecuniam cogere à ciuitatibus: frumentum improbare: quantum frumenti Romam eſſet mittendum: tantum de ſuo quæſtu, ac de ſua copia frumenti mittere. poſco rationes: inſpicio literas: uideo frumenti granum Haleſinos, quibus LX millia modium imperata erant, nullum dediſſe: pecuniam Volcatio, Timarchidi, Scribæ dediſſe. reperio genus huiuſcemodi Iudices prædæ: ut prætor, qui frumentum emere debebat, nõ emat: ſed uendat: pecunias, quas ciuitatibus diſtribuere debebat, eas omnes auertat, atque auferat. non mihi iam furtum, ſed monſtrum, ac prodigium uidebatur: ciuitatum frumentũ improbaſſe: precium ei frumento cõſtituere: quod conſtituiſſet, id ciuitatib. auferre: quod à populo Ro. accepiſſet, tenere. quot uultis eſſe in uno furto peccatorum gradus? ut ſi ſingulis inſiſtere uelim: progredi iſte non poſſet. Improbas frumentum Siculum'. quid? ipſe quod mittis? peculiarem habes aliquam Siciliam: quæ tibi ex alio genere frumentum ſuppeditare poſſit? cum Senatus decernit: ut ematur in Sicilia frumentum: aut populus iubet: hoc, ut opinor, intelligit, ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere. tu cũ ciuitatũ Siciliæ uulgo omne frumentum improbas: num ex Aegypto, aut ex Syria frumentum Romam mittis? improbas Haleſinum, Cephaleditanum, Thermitanum, Ameſtratinum, Tyndaritanum, Herbitenſe, multarum præterea ciuitatum. quid accidit tandem, ut horum populorum agri frumentum eiuſmodi te prætore ferrent: quod nunquam antea, quod neq; tibi. neq; populo Ro. poſſet probari? præſertim cum ex ijſdem agris, eiuſdemq; anni frumentum ex Decumis Romã mancipes aduexiſſent. quid acciderat? ut ex eodem horreo Decumanũ probaretur: emptum nõ probaretur? dubium ne eſt? quin iſta omnis improbatio cogendæ pecuniæ cauſa nata ſit? eſto, improbas Haleſinum: habes ab alio populo quod probes. eme illud, quod placet: miſſos fac eos, quorum frumentum improbaſti. ſed ab ijs quos repudias, exigis tantum pecuniæ: quantum ad eum numerum frumenti ſatis ſit, quem ciuitati imperas. dubium eſt quid egeris? in medimna ſingula uideo ex literis publicis tibi Haleſinos HS quinos denos dediſſe. oſtendam ex tabulis locupletiſſimorum aratorum, eodem tempore neminem in Sicilia pluris frumentum uendidiſſe. quæ ergo iſta ratio? aut quæ potius amentia? frumentum improbare id, quod ex eo loco ſit: ex quo Senatus, et populus Ro. emi uoluerit: ex eo aceruo, ex quo partem tu idem decumarum nomine probaris. deinde à ciuitatibus pecunias ad emendum frumentum cogere: cum ex ærario acceperis. utrum te lex Terentia Siculorum pecunia frumentum emere à Siculis, an populi Ro. pecunia frumentũ ab Siculis emere iußit? Iam uero ab iſto, omnem illam ex ærario pecuniam, quam his oportuit ciuitatibus pro frumento dari, lucri factam uidetis. accipis enim HS XV pro medimno. tanti enim eſt illo tempore medimnum. retines HS XII. tanti enim eſt frumentum Sicilienſe ex lege æſtimatum. Quid intereſt, utrum hoc feceris, an frumen

tum non improbaris? sed frumento probato, & accepto, pecuniam publicam tenueris omnem: neq; quicquã ulli dissolueris ciuitati: cum æstimatio legis eiusmodi sit, utcæteris temporibus tolerabilis Siculis, te prætore etiã grata esse debuerit. est enim modius lege HS III æstimatus: fuit autem te prætore, ut tu in multis epistolis ad amicos tuos gloriaris, HS II. sed fuerit HS III: quoniam tu tantum à ciuitatibus in modios singulos exegisti. cum, si solueres siculis tantum, quantum te Populus Ro. iusserat, aratoribus fieri gratissimum posset: tu nonmodo eos accipere, quod oportebat noluisti: sed etiã dare, quod non debebant, coegisti. Atq; hæc ita gesta esse iudices cognoscite ex literis publicis ciuitatum, et ex testimonijs publicis: in quibus nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum intelligatis. omnia quæ dicimus, rationibus populorũ nõ interpositis, neq; perturbatis, neque repentinis, sed certis, institutis, ordine relata, atque confecta sunt. Recitationes Halesinorum. cui pecuniam datam dicit? dic, dic etiam clarius. VOLCATIO, TIMARCHIDI, MEVIO. Quid est Verres? ne illam quidem tibi defensionem reliquam feceristi: mancipes in istis rebus esse uersatos: mancipes frumentũ improbasse: mancipes precio cũ ciuitatibus decidisse: & eosdẽ abs te illarum ciuitatũ nomine pecunias abstulisse: deinde ipsos sibi frumentũ coemisse: nihil hæc ad te pertinere? mala mehercule, ac misera defensio, prætorem hoc dicere: ego frumentũ neq; attigi, neq; aspexi: mancipibus potestatem probandi, improbandiq; permisi: mancipes à ciuitatibus pecunias extorserunt: ego autem quam pecuniã populis dare debui, mancipibus dedi. mala est hæc quidem, ut dixi, defensio criminis. sed

tamen hac ipsa tibi, si uti cupias, nõ licet. uetat te Volcatius tuæ, tuorumq; deliciæ, mentionẽ mancipis facere. Timarchides autem columen familiæ uestræ premit fauces defensionis tuæ: cui simul, & Volcatio pecunia à ciuitate numerata est. Iam uero Scriba tuus annulo aureo suo, quem ex his rebus inuenit: ista te ratione uti non sinet. Quid igitur est reliquũ? nisi uti fateare, te Romam frumentum emptum Siculorum pecuniã misisse: publicam pecuniam domum tuam conuertisse. O consuetudo peccandi: quantam habes iucunditatem in improbis, & audacibus: cum pœna abfuit, & licentia consecuta est. Iste in hoc genere peculatus non nunc primum inuenitur: sed nunc demum tenetur. uidimus huic ab ærario pecuniã numerari Quæstori ad sumptũ exercitus Consularis: uidimus paucis post mensibus, & exercitum, & Consulem spoliatum. illa omnis pecunia latuit in illa caligine, ac tenebris: quæ totam Remp. tum occupauerat. iterum gessit hæreditariam Quæsturam cum Dolobella: magnam pecuniam uertit. sed eius rationem cum damnatione Dolobellæ permiscuit. cõmissa est pecunia tanta prætori: non reperietis hominem timide, nec leuiter, hæc improbissima lucra ligurientem: deuorare omnem pecuniam publicam non dubitauit. Ita serpit illud insitum in natura malum consuetudine peccandi libera: finem ut audaciæ statuere ipse sibi non possit. tenetur igitur aliquando: & in rebus tum maximis, tum manifestis tenetur. Atq; in eam fraudem mihi uidetur diuinitus incidisse: non solum ut eas pœnas, quas proxime meruisset, solueret: sed ut illa etiam scelera eius in Carbonem, & in Dolobellam uindicarentur. Etenim noua quoq; alia res extitit Iudices in hoc crimine: quæ tollat

omnem dubitationem superioris illius Decumani crimi nis. nam ut illud missum faciam: permultos aratores in alteras Decumas, & in hæc DCCC millia modiûm: quod emptũ populo Ro. darent, non habuisse: sed à tuo procuratore, hoc est ab Apronio, emisse: ex quo intelligi potest: nihil te aratoribus reliqui fecisse: ut hoc præteream: quod in multis est testimonijs expositum: potest illo quicquam esse certius: in tua potestate, atq; in tuis horreis omne frumentum Siciliæ per triennĩ, atq; omnes fructus agri Decumani fuisse? Cum enim à ciuitatibus pro frumento pecuniam exigebas: unde erat frumentum quod Romam mitteres? si tu id non omne clausum, & compressum posidebas? Itaq; in eo frumẽto primus tibi ille quæstus fuit, ipsius frumenti: quod erat ereptum ab aratoribus. alter, quod id frumentum improbissime partum, non semel, sed bis, neq; uno, sed duobus precijs unum, & idem frumentum uendidisti: semel ciuitatibus HS XV in medimnum: iterum populo Ro. à quo HS XXI in medimna pro eodem illo frumento abstulisti. At enim frumentum Centuripinorum, & Agrigentinorum, & nonnullorum fortasse præterea probasti. & his populis pecuniam dissoluisti. Sint aliquæ ciuitates in eo numero: quarum frumentum improbare noluceris: quid tandem? his ciuitatibus omnis ne pecunia, quæ pro frumento debita est, dissoluta est? unum mihi reperi, non populum, sed aratorẽ, uide, quære, circumspice: siquis forte est, ex ea prouincia, in qua tu triennium præfuisti, qui te nolit perisse. unum inquam da mihi ex illis aratoribus: qui uel ad statuam pecuniam contulerunt: qui sibi dicat pro frumẽto omne esse, quod oportuerit, solutum. cõfirmo Iudices, neminẽ esse dictu

rum. ex omni pecunia quam aratoribus soluere debuisti: certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione, & collybo: deinde pro nescio quo cerario. hæc omnia Iudices non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum sunt uocabula. nam collybus esse qui potest? cum utantur omnes uno genere nummorum? cerariũ uero quid uocas? quomodo hoc nomen ad rationes magistratus? quomodo ad pecuniam publicam allatum est? nam illud genus tertium deductionis erat eiusmodi: quasi nonmodo liceret, sed etiam oporteret: nec solum oporteret: sed planè necesse esset. Scribæ nomine de tota pecunia, binæ quinquagesimæ detrahebantur. quis tibi hoc concessit? quæ lex? quæ Senatus authoritas? quæ porrò æquitas? ut tantã pecuniam Scriba tuus auferret, siue de aratorum bonis, siue de populi Ro. uectigalibus? nam si potest ista pecunia sine aratorum iniuria detrahi: populus Ro. habeat: præsertim in tantis ærarij angustijs. Sin autẽ & populus id uoluit: & æquũ ita est, solui aratoribus: tuus apparitor parua mercede populi conductus, de aratorum bonis prædabitur? Et in hac causa Scribarum ordinem in me concitabit Hortensius? & eorum commodum me labefactari, atque oppugnari iniuria dicet? quasi uero hoc Scribis ullo exemplo sit, aut ullo iure concessum. Quid ego uetera repetam? aut quid eorum Scribarum mentionem faciam? quos constat sanctissimos homines, atque innocentissimos fuisse? non me fugit Iudices, uetera exempla proflictis fabulis iam audiri, atq; haberi. in his temporibus uersabor miseris, ac perditis. Nuper Hortensi Quæstor fuisti. quid tui Scribæ fecerint, tu potes dicere. Ego de meis hoc dico: cum in eadem ista Sicilia pro frumento

ciuitatibus pecuniam soluerem: & mecum duos frugalissimos homines Scribas haberem, L. Manulium, & L. Sergium: nonmodo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum cuiquam esse deductum. dicerem, hoc mihi totum esse attribuendum Iudices: si illi unquam à me hoc postulassent: si unquam omnino cogitassent. quamobrem enim Scriba deducat: ac non potius multo, qui adduxerit, tabellarius? cuius aduentu certiores facti, petiuerunt? præco, qui abire iusserit? uiator, ac Venerius qui fiscum sustulit? quæ pars operæ aut opportunitatis in scriba est? cui rei, nombdo merces tanta detur: sed cur cum eo tantæ pecuniæ partitio fiat. ordo est honestus: quis negat? aut quid ea res ad hanc rem pertinet? est uero honestus: quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaq; magistratuum committuntur. itaq; ex his Scribis, qui digni sunt illo ordine, patribus familias, uiris bonis, atq; honestis, percunctamini quid sibi istæ quinquagesimæ uelint: iam omnes intelligetis nouam rem totam atq; indignam uideri. ad eos me Scribas reuoca, si placet: noli hos colligere, qui numulis corrogatis de nepotum bonis, ac de scenicorum corolarijs, cum decuriam emerunt: ex primo ordine explosorum, in secundum ordinem ciuitatis se uenisse dicunt. eos Scribas tecum disceptatores huius criminis habebo: qui istos Scribas esse molestè ferunt. tametsi, cum in eo ordine uideamus esse multos non idoneos: qui ordo industriæ propositus est, & dignitati: mirabimur turpes aliquot in eo esse? quo cuiuis licet precio peruenire? tu ex pecunia publica HS tredecies Scribam tuum permissu tuo cum abstulisse fateare: reliquam tibi ullam defensionem putas esse? hoc ferre quen-

quam posse? hoc quenquam deniq; nunc tuorum aduocatorum animo æquo audire arbitrare? qua in ciuitate C. Catoni clarissimo uiro, Consulari homini HS VIII millibus lis æstimata sit: in eadem ciuitate appæritori tuo esse concessum: ut HS uno nomine terdecies auferret? hinc ille est annulus aureus: quo tu istum in concione donasti. quæ tua donatio singulari impudentia prædita noua Siculis omnibus, mihi uero incredibilis uidebatur. sæpe enim nostri Imperatores superatis hostibus, optime Rep. gesta, Scribas suos annulis aureis in cõcione donarunt. tu uero quibus rebus gestis, quo hoste superato, concionem donandi causa aduocare ausus es? neq; enim solum Scribam tuum annulo, sed etiam uirum fortissimum, ac tui dissimillimum, Q. Rubriũ excellenti uirtute, authoritate, copijs, corona, & phaleris, & torque donasti: M. Cossutium sanctissimum uirum, atq; honestissimum: M. Castritium summo splendore, ingenio, gloria præditum. quid hæc sibi horum trium ciuium Ro. dona uoluerunt? Siculos præterea potentissimos, nobilissimosq; donasti. qui nõ, quẽadmodum sperasti, tardiores fuerunt: sed ornatiores tuo iudicio ad testimonia dicunda uenerunt. quibus ex hostium spolijs? de qua uictoria? qua ex præda, aut manubijs, hæc abs te donatio cõstituta est? an quod te prætore, paucorum aduentu myoparonum, classis pulcherrima Siciliæ propugnaculum, præsidiumq; prouinciæ, piratarum manibus incensa est? an quod ager Syracusanus prædonũ incendijs te prætore uastatus est? an quod forũ Syracusanũ nauarchorũ sanguine redundauit? an quod in portu Syracusano piraticus myoparo nauigauit? nihil possum reperire, quamobrem te in istam amen-

tiam incidisse arbitrer. nisi forte id egisti, ut hominibus ne obliuisci quidem rerum tuarum male gestarum liceret. annulo est aureo Scriba donatus: & ad eam donationem concio est aduocata. quod erat os tuũ? cum uidebas in concione eos homines, quorum ex bonis iste annulus aureus donabatur: qui ipsi annulos aureos posuerant, liberisq; suis detraxerant: ut esset unde Scriba tuus hoc tuum munus, ac beneficium tueretur? quæ porrò præfatio tuæ donationis fuit? illa scilicet uetus, atq; Imperatoria: quando tu quidem in prælio, in bello, in re militari: cuius ne mentio quidem te prætore ulla facta est. an illa? quandoquidem tu nulla unquam mihi in cupiditate, ac turpitudine defuisti: omnibusq; in ijsdem flagitijs mecum, & in legatione, & in Prætura, & hic in Sicilia uersatus es: ob hasce res: quoniam te locupletaui: hoc annulo aureo dono. Vera hæc fuisset oratio. non enim iste annulus aureus abs te datus, istum uirum fortem, sed hominem locupletem esse declarat. Ita eundem annulum ab alio datum testem uirtutis duceremus: abs te donatum comitem pecuniæ iudicamus. Dictum Iudices est de Decumano frumento: dictum de empto: extremum & reliquum est, de æstimato. quod tum magnitudine pecuniæ, tum iniuriæ genere, quemuis debet cõmouere: te uero eo magis: quod ad hoc crimen non ingeniosa aliqua defensio, sed improbissima confessio comparatur. Nam cum ex S. C. et ex legibus frumentum ei in cellam sumere liceret: idq; frumentum Senatus ita æstimasset: quaternis HS tritici modium: binis, hordei: iste numero ad summam tritici adiecto, tritici modios singulos cum aratoribus. denarijs ternis æstimauit. Non est in hoc crimen Hortensi: ne

forte ad hoc meditere: multos sæpe uiros bonos, & fortes, & innocentes, cũ aratoribus, et cum ciuitatibus frumentum in cellam quod sumi oporteret, æstimasse: & pecuniam pro frumento abstulisse. scio quid soleat fieri: scio quid liceat: nihil quod antea fuerat in consuetudine bonorum, nunc in istius facto reprehenditur: hoc reprehendo: quod cum in Sicilia HS binis tritici modius esset, ut istius epistola ad te missa declarat: summum HS ternis: id quod & testimonijs omnibus, & tabulis aratorum planum factum antea est: tum iste pro tritici modijs singulis, ternos ab aratoribus denarios exegit. Hoc crimen est, ut intelligas non ex æstimatione, neq; ex ternis denarijs pendere crimen: sed ex coniunctione annonæ, atq; æstimationis. Etenim hæc æstimatio nata est Iudices initio non ex Prætorum, aut Consulum, sed ex aratorum, atq; ciuitatum commodo. nemo enim fuit initio tam impudens: qui, cum frumentum deberetur, pecuniam posceret. certe hoc ab aratore primum est profectum: aut ab ea ciuitate, cui imperabatur. cum aut frumentum uendidisset, aut seruare uellet, aut in eum locum, quo imperabatur, frumentum portare nollet: petiuit in beneficij loco, & gratiæ, ut sibi pro frumento, quanti frumentum esset, dare liceret. Ex huiusce modi principio, atq; ex liberalitate, atq; accõmodatiõe magistratuũ consuetudo æstimationis introducta est. Secuti sunt auariores magistratus: qui tamen in auaricia sua non solum uiam quæstus inuenerunt: uerum etiam exitum, ac rationem defensionis instituerunt. semper ad ultima, ac difficillima loca apportandum frumentum imperare: ut uecturæ difficultate ad quam uellent æstimationem peruenirent. In hoc genere facilior est exi-

ſtimatio, quàm reprehenſio. ideo quod eum, qui hoc fa-
cit, auarum poſſumus exiſtimare: crimen in eo conſtitue
re, non tam facile poſſumus. quod uidetur concedendum
magiſtratibus noſtris eſſe: ut ijs, quo loco uelint, frumen
tum accipere liceat. itaq; hoc eſt, quod multi fortaſſe fe
cerunt: & ita multi, ut ij quos innocentiſſimos memini
mus, aut audiuimus, non fecerint. Quæro nunc à te
Hortenſi: cum utris tandem iſtius factum collocaturus
es? cum ijs credo, qui benignitate adducti per benefi-
cium, & gratiam ciuitatibus conceſſerunt, ut nummos
pro frumento darent. Ita credo, petiiſſe ab iſto aratores:
ut cum HS ternis tritici modium uendere non poſſent:
pro ſingulis modijs, ternos denarios dare liceret. an quo
niam hoc non audes dicere: illuc confugies? uecturæ dif
ficultate adductos, ternos denarios dare maluiſſe. cuius
uecturæ? quo ex loco? in quem locum ne portarent? Phi-
lomelo ne Epheſum? uideo quid inter annonam intereſſe
ſoleat: uideo quot dierum uia ſit: uideo Philomelen-
ſibus expedire quanti Epheſi ſit frumentum: tantum da-
re potius in Phrygia, quàm Epheſum portare: aut ad
emendum frumentum Epheſum pecuniam, & Legatos
mittere. In Sicilia uero quid eiuſmodi? Enna Mediter-
ranea eſt maxime. coge ut ad aquam tibi, id quod ſum-
mi iuris eſt, frumentum Ennenſes metiantur, uel Plu-
tiam, uel Haleſam, uel Catinam, loca inter ſe maxi-
me diuerſa: eodem die, quo iuſſeris, deportabunt. tam-
et ſi ne uectura quidem opus eſt. nam totus quæſtus hic
Iudices æſtimationis, ex annonæ natus eſt uarietate. hoc
enim magiſtratus in prouincia aſſequi poteſt: ut tibi acci
piat, ubi eſt cariſſimum. ideo ualet iſta ratio æſtimatio-
nis in Aſia: ualet in Hiſpania: ualet in his prouincijs:

in quibus unum precium frumento eſſe non ſolet. in Si-
cilia uero quid cuiuſquam intererat, quo loco daret?
neq; enim portandum erat: & quo quiſq; uehere iuſſus
eſſet, ibi tanditem frumentum emeret, quanti domi uen-
didiſſet. quamobrem ſi quid Hortenſi docere uis, ali-
quid ab iſto ſimile æſtimatione, atq; à cæteris eſſe factum:
doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ prætore Verre ter
nis denarijs tritici modium fuiſſe. uide quam tibi defen-
ſionem patefecerim: quàm iniquam in ſocios, quàm re-
motam ab utilitate reipublicæ, quàm ſeiunctam à uo-
luntate, atq; ſententia legis. tu, cum tibi ego frumentum
in meis agris, atq; in mea ciuitate, deniq; cũ in ijs locis,
in quibus es, uerſaris, rem geris, prouinciã adminiſtras,
paratus ſim dare: angulum mihi aliquem eligas prouin-
ciæ, reconditum, ac derelictum? iubeas ibi me metiri:
quo portare, non expediat? ubi emere non poſſum? im-
probum facinus Iudices, non ferendum, nemini lege con
ceſſum: ſed fortaſſe adhuc in nullo etiam uindicatum. ta-
men ego hoc, quod ferri nego poſſe: Verri Iudices conce
do, & largior. ſi ullo in loco eius prouinciæ frumen-
tum tanti fuit, quanti iſte æſtimauit: hoc crimen in iſtum
reum ualere oportere non arbitror. Verum enimuero,
cum eſſet HS, binis, aut etiam ternis quibusuis in locis
prouinciæ: duodenos ſextertios exegiſti. ſi mihi tecum
neq; de annona, neq; de æſtimatione tua poteſt eſſe con-
trouerſia, quid ſedes? quid expectas? quid defendes?
utrum tibi pecuniæ cõciliatæ uidentur aduerſum leges,
aduerſum Remp. cum maxima ſociorum iniuria? an
uero id recte ordine, è Rep. ſine cuiuſquam iniuria, fa-
ctum eſſe defendes? cum tibi Senatus ex ærario pecu-
niam prompſiſſet: & ſingulos tibi denarios adnumeraſ-

set: quos tu pro singulis modijs aratoribus solueres: quid facere debuisti? si quod L. Piso ille frugi: qui legem de pecunijs repetundis primus tulit: cum emisses quanti esset: quod superaret pecuniæ, retulisses. si ut ambitiosi homines, aut benigni: cum pluris Senatus æstimasset: quàm quanti esset annona: ex Senatus æstimatione, non ex annonæ ratione soluisses. sin ut pleriq; faciunt: in quo etiã erat aliquis quæstus: sed is honestus, atq; concessus: frumentum, quoniam uilius erat, ne emisses: sumpsisses id nummorum: quod tibi Senatus cellæ nomine cõcesserat. hoc uero quid est? quam habet rationem, nõ quæro æquitatis, sed ipsius improbitatis, atq; impudẽtiæ? neq; enim est ferè quicquam: quod homines palàm facere audeant in magistratu, quamuis improbi, quin eius facti, si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant. hoc quid est? uenit Prætor: frumentum inquit me abs te emere oportet. optume. modiũ denario. benigne, ac liberaliter: nam ego tribus HS, non possum uendere. mihi frumento non opus est: nummos uolo. nam speraueram inquit arator me ad denarios peruenturum: sed si ita necesse est: quanti frumenti sit considera. Video esse binis HS. quid ergo à me tibi nummorum dari potest: cum Senatus tibi quaternos nummos dederit? quid posit attendite. & uos quæso simul Iudices æquitatem prætoris attendite. quaternos HS, quos mihi Senatus decreuit: & ex ærario dedit, ego habebo: & in cistam transferam ex fisco. quid postea? quid? pro singulis modijs, quos tibi impero: tu mihi octonos HS dato. qua ratione? quid quæris rationem? non tantam rationem res habet: quantã utilitatẽ, atq; prædã. dic inquit ille planius. Senatus te uoluit mihi nummos dare, me tibi frumentũ metiri: tu eos nũmos quos

mos quos mihi Senatus dare uoluit, ipse habebis? à me, cui singulos denarios dari oportuit, binos aufers? & huic prædæ, ac direptioni cellæ nomen imponis? hæc deerat iniuria, & hæc calamitas aratoribus te prætore, qua reliquis fortunis omnibus euerterentur. nam quid esse reliqui poterat ei qui per hanc iniuriam non modo frumentum omne amittere, sed etiam omne iustrumentum uendere cogeretur? quo enim se uerteret non habebat: ex quo fructu nummos quos tibi daret, inueniret? Decumarum nomine tantum erat ablatum, quantum uoluntas tulerat Apronij: pro alteris decumis, emptoq; frumento, aut nihil datum, aut tantum datũ quantum reliqui Scriba fecerat: aut ultro etiam, id quod dicistis, ablatũ. Cogantur etiam nummi ab aratore. quo modo? quo iure? quo exemplo? nam cum fructus diripiebantur aratorum, atq; omni lacerabantur iniuria: uidebatur id perdere arator, quod aratro ipse quæsisset: in quo elaborasset: quod agri, segetesq; extulissent. quibus iniurijs grauissimis tamen illud erat miserum solacium: quod id perdere uidebatur, quod alio prætore, eodem ex agro, reparare posset. nummos uero ut daret arator, quos non aratro, ac manu quærit, boues & aratrum ipsum, & omne instrumentum uendat necesse est. non enim debetis hoc cogitare: habet idem in nummis: habet idem in urbanis prædijs. nam cum aratori onus aliquod imponitur: non hominis, si quæ sunt præterea, facultates, sed arationis ipsius uis, ac ratio cõsideranda est: quid ea sustinere, quid pati, quid efficere possit, ac debeat. Quanquam illi quoq; sunt homines abisto omni ratione exinaniti, ac perditi: tamen hoc uobis est statuendum: quid aratorem ipsum arationis nomi-

ne muneris in Remp. fungi, ac sustinere uelitis. imponi-
tis decumas: patiuntur. alteras: temporibus uestris ser
uiendum putant. dent emptum præterea: dabunt si uo-
letis. Hæc quàm sint grauia, & quid his rebus detractis
posßit ad dominos puri, ac reliqui peruenire: credo uos
ex uestris rebus rusticis coniectura assequi posse. addite
nunc eodem istius edicta, instituta, iniurias: addite A-
pronij, Veneriorumq; seruorum in agro Decumano re
gna, ac rapinas: quanquam hæc omitto: de cella lo-
quor. placet ne uobis in cellam magistratibus nostris
frumentum Siculos gratis dare? quid hoc indignius?
quid iniquius? atque hoc scitote aratoribus hoc præto-
re optandum ac petendum fuisse. Sositenus est Entelli-
nus homo cum primis ciuitatis prudens, & domi nobi-
lis: cuius uerba audistis: qui ad hoc iudicium legatus pu-
blice cum Arthemone, & Menisco primarijs uiris mis-
sus est. Is cum in Senatu Entellino multa mecum de istius
iniurijs ageret, hoc dixit: si hoc de cella, atq; hac æstima
tione concederetur: uelle Siculos Senatui polliceri fru-
mentum in cellam gratis: ne post hæc tantas pecunias
magistratibus nostris decerneremus. perspicere uos cer-
to scio: Siculis quantopere hoc expediat, non ad æquita
tis conditionem, sed ad minima malorũ eligenda. Nam
qui mille modium Verri, suæ partis in cellam gratis de-
disset: duo millia nummûm, aut summum tria dedisset:
idem nunc pro eodem numero frumenti HS VIII mil-
lia dare coactus est. hoc arator assequi per triennium
certo fructu suo non potuit: uendiderit instrumentum
necesse est. quod si hoc munus, & uectigal aratio tolera-
re, hoc est Sicilia ferre, ac pati potest: populo R. ferat po
tius: quàm nostris magistratibus. magna est pecunia: ma

gnum, præclarumq; uectigal: si modo id salua prouin-
cia. si sine iniuria sociorum percipere posßitis: nihil de-
traho. magistratibus tantundem detur in cellam: quan-
tum semper datum est. quod præterea Verres imperat:
id si facere non possunt, recusent: si possunt: populi Ro.
potius hoc sit uectigal, quàm præda prætoris. Deinde
cur in uno genere solo frumenti ista æstimatio constitui-
tur? si est æqua, & ferenda, populo Ro. Sicilia decumas
det, pro singulis tritici modijs, ternos denarios: sibi ha-
beat frumentum. Data tibi pecunia est Verres: una, qua
frumentũ tibi emeres in cellam: altera, qua frumentum
emeres à ciuitatibus, quod Romam mitteres. tibi datam
pecuniam domi retines: & præterea pecuniam perma-
gnam tuo nomine aufers. fac idem in eo frumento, quod
ad populum Ro. pertinet: exige eadem æstimatione pe-
cuniam à ciuitatibus, & refer quam accepisti: tum refer
tius erit ærarium populi Ro. quàm unquam fuit. At e-
nim istam rem in publico frumento Sicilia non ferret:
hanc rem in meo frumento tulit. proinde quasi aut æqui
or sit ista æstimatio in tuo, quàm in populi Ro. cõmodo:
aut ea res, quam ego dico, & ea, quam tu fecisti, inter se
genere iniuriæ, non magnitudine pecuniæ differat. Ve-
rum istam ipsam cellam ferre nullo modo possunt, ut o-
mnia remittantur: ut omnibus iniurijs, & calamitati-
bus, quas te prætore tulerunt, in posterum liberentur:
istam se cellam, atque istam æstimationem negant ullo
modo ferre posse. Multa Sophocles Agrigentinus apud
Cn. Pompeium Cons. nuper homo disertißimus, & o-
mni doctrina, & uirtute ornatißimus, pro tota Sicilia
de aratorũ miserijs grauiter, ac copiose dixisse, ac deplo
rasse dicitur. Ex quibus hoc, ijs qui aderant, nam ma-

gno conuentu acta res est, indigniſsimum uidebatur: qua in re Senatus optime, ac benigniſsime cum aratoribus egisset: large liberaliterq; æstimasset: in ea re prædari prætorem: bonis euerti aratores: & id non modo fieri: sed ita fieri: quasi liceat: concessumq; sit. Quid ad hæc Hortensius? falsum esse crimen? hoc nunquam dicet. non magnam hac ratione pecuniam captam? ne id quidem dicet. non iniuriam factam Siculis, atq; aratoribus? quî poterit dicere? quid igitur dicet? fecisse alios? quid est hoc? utrum crimini defensio, an comitatus exilio quæritur? tu in hac Repub. atq; in hac hominum libidine, &, ut adhuc habuit se status iudiciorum, etiam licentia: non ex iure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo quod licuerit: sed ex eo, quod aliquis fecerit, id, quod reprehenditur, recte factum esse defendes? fecerunt aliqui alia quàm multa. cur in hoc uno crimine isto genere defensionis uteris? sunt quædam omnino in te singularia: quæ in nullum alium hominem dici, neque conuenire possint: quædam tibi cum multis communia. ergo, ut omittam tuos peculatus, ut ob ius dicundum pecunias acceptas, ut eiusmodi cætera, quæ forsitan alij quoq; etiam fecerint: illud, in quo te grauissime accusaui, quod ob iudicandam rem pecuniam accepisses, eadem ista ratione defendes? fecisse alios? ut ego assentiar orationi, defensionem tamen non probabo. potius enim te damnato, cæteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur: quàm te absoluto, alij quod audacissime fecerunt: recte fecisse existimentur. lugent omnes prouinciæ: quæruntur omnes liberi populi: regna denique iam omnia de nostris cupiditatibus, & iniurijs expostulant: locus intra oceanum iam nullus est

neq; tam longinquus, neque tam reconditus: quo nõ per hæc tempora nostrorum hominum libido, iniquitasq; peruaserit: sustinere iam populus Ro. omniũ nationum non uim, non arma, non bellum, sed luctum, lachrymas, querimonias non potest. in eiusmodi re, ac moribus, si is qui erit adductus in iudicium, cum manifestis in flagitijs tenebitur: alios eadem fecisse dicet: illi exempla non deerunt: Reipub. salus deerit: si improborum exemplis improbi, iudicio, ac periculo liberabuntur. placent uobis hominũ mores? placet ita geri magistratus, ut geruntur? placet socios sic tractari quod restat: ut per hæc tempora tractatos uidetis? cur hæc à me opera consumitur? quid sedetis? cur non in media oratione mea consurgitis, atq; disceditis? Vultis autem istorum audacias, ac libidines aliqua ex parte resecare? desinite dubitare, utrum sit utilius, propter multos improbos uni parcere: an unius improbi supplicio multorum improbitatem cohercere. Tametsi quæ ista sunt exempla multorum? nam cum in causa tanta, cum in crimine maximo dici à defensore cœptũ est, factitatum esse aliquid: expectant ij qui audiunt exempla ex uetere memoria, & monumentis, ac literis, plena dignitatis, plena antiquitatis: hæc plurimum solent et authoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum. Africanos mihi, & Catones, & Lælios commemorabis? & eos fecisse idem dices? quamuis res non placeat, tamen contra hominum authoritatem pugnare non potero. an cum eos non poteris proferre: hos recentes Q. Catulum patrem, C. Marium, Q. Scæuolam, M. Scaurum, Q. Metellum? qui omnes prouincias habuerunt, & frumentum cellæ nomine imperauerunt. magna est hominum authorita

& tanta: ut etiam delicti suspicionem tegere possit. non habes ne ex his quidem hominibus qui nuper fuerunt, ullum authorem istius æstimationis. Quo me igitur, aut ad quæ exempla reuocas? ab illis hominibus. qui tum uersati sunt in Republica: cum & optimi mores erant, & hominum existimatio grauis habebatur: & iudicia seuera fiebant: ad hanc hominum licentiam, & libidinem me abducis? & in quos aliquid exempli populus Rom. statui putat oportere: ab ijs tu defensionis exempla quæris? non fugio ne hos quidem mores: dum modo ex his ea quæ probat populus Rom. exempla, non ea quæ condemnat, sequamur. non circunspiciam: non quæram foris: cũ habeas iudices principes ciuitatis, P. Seruilium, Q. Catulum: qui tanta authoritate sunt, tantis rebus gestis, ut in illo antiquorum, & clarißimorum hominum, de quibus antea dixi, numero reponantur. exempla quærimus, & ea non antiqua. modo uterq; horum exercitum habuit. quære Hortensi, quoniam te recentia exempla delectant, quid fecerint. Ita ne uero? Q. Catulus frumento est usus: pecuniam non coegit: P. Seruilius quinquennium exercitui cum præesset, & ista ratione innumerabilem pecuniam facere posset: non statuit sibi quicquam licere, quod non patrem suum, non auum Q. Metellum facere uidisset: C. Verres reperietur: qui quod expediat, id licere dicat? quod nemo nisi improbus fecerit: id aliorum exemplo se fecisse defendat? At in Sicilia factitatum est. quæ est ista conditio Siciliæ? cur, quæ optimo iure propter uetustatem, fidelitatẽ, propinquitatẽ esse debet, huic præcipua lex iniuriæ definitur? sed in ista ipsa Sicilia, non quæram exemplum foris: hoc ipso ex consilio utar exẽplis. C. Marcelle te appello. Siciliæ pro

uinciæ, cum esses pro Consule, præfuisti. num quæ in tuo imperio pecuniæ cellæ nomine coactæ sunt? neq; ego hoc in tua laude pono. alia sunt tua facta, atq; consilia summa laude digna: quibus illam tu prouinciam afflictam, & perditam erexisti, atq; recreasti. nam hoc de cella ante Lepidus quidẽ fecerat, cui tu successisti. Quæ sunt tibi igitur exempla in Sicilia cellæ? si hoc crimen nonmodo Marcelli facto, sed ne Lepidi quidẽ potes defendere. An me ad M. Antonij æstimationem frumenti, exactionemq; pecuniæ reuocaturus es? ita, inq;t, ad M. Antonij. hoc enim mihi significasse, & annuisse uisus est. ex omnibus ne igitur populi Ro. prætoribus, Consulibus, imperatoribus, M. Antonium delegisti, & eius unum improbissimum factũ, quod imitarere? & hic utrum mihi difficile est dicere, an his existimare? ita se in isto infinito imperio M. Antoniũ gessisse: ut multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbißima uoluisse Antonium imitari: quàm se possit defendere, nihil in uita se M. Antonio similе fecisse. Homines in iudicijs ad crimen defendendũ, non quid fecerit quispiã, proferre solent: sed quid probarint. Antonium, cum multa cõtra sociorum salutem, multa contra uoluntatem prouinciarum, & faceret, & cogitaret: in medijs eius iniurijs, & cupiditatibus mors oppressit. tu mihi quasi eius omnia facta, atque consilia Senatus, populiq; Rom. iudices comprobarint: ita Antonij exemplo istius audaciam defendis. At idem fecit Scerdos. hominem innocentem, et summa prudentia præditum nominas: sed tum idem fecisse erit existimandus, si eodem consilio fecerit. nam genus æstimationis ipsum, à me nunquam est reprehensum: sed eius æquitas, aratorum commodo, & uoluntate perpenditur. non potest re

prehendi ulla æstimatio, quæ aratori nonmodo incommoda non est, sed etiam grata est. Sacerdos ut in prouinciam uenit: frumentum in cellam imperauit. cum esset ante nouum tritici mod. HS XV: petiuerunt ab eo ciuitates ut æstimaret. remissior aliquanto eius fuit æstimatio, quàm annona. nam æstimauit denarijs III. uides eandem æstimationem propter temporis dissimilitudinem, in illo laudis causam habere, in te criminis? in illo beneficij, in te iniuriæ? Eodem tempore Antonius III denarijs æstimauit post messem, summa in uilitate: cum aratores frumentum dare gratis malebant: & aiebat, se tantidem æstimasse, quanti Sacerdotẽ: neq; mentiebatur: sed eadem ista æstimatione alter subleuarat aratores: alter euerterat. quod nisi omnis frumenti ratio, ex temporibus esset, & annona, non ex numero, neque ex summa consideranda: nunquam tam grati hi sesquimodij Q. Hortensi fuissent: quos tu cũ ad mensuræ tam exiguam rationem, populo Ro. in capita descripsisses, gratissimum omnibus feciſti. caritas enim annonæ faciebat, ut istuc, quod re paruum uidebatur, tempore magnum uideretur. Idem istuc si in uilitate, populo Ro. largiri uoluisses: derisum tuum beneficium esset, atq; contemptum. Noli igitur dicere istum idem fecisse, quod Sacerdotem: quoniam nõ eo tempore, neq; simili fecit anno. dicito potius, quoniam habes authorem idoneum: quod Antonius uno aduentu, et uix menstruis cibarijs fecerit: id istum per triennium fecisse: & istius innocentiam M. Antonij facto, atq; authoritate defendito. Nam de Sex. quidẽ Peduceo fortissimo, atq; innocentissimo uiro quid dicitis? de quo quis unquam arator quæstus est? aut quis non ad hoc tempus innocentissimam omnium diligen-

tissimamq; præturam illius hominis existimauit? Biennio prouinciam obtinuit: cum alter annus in uilitate, alter in summa caritate fuerit: num aut in uilitate nummum arator quisquam dedit? aut in caritate de æstimatione frumenti quæstus est? At uberiora cibaria facta sunt caritate. credo: neq; id est nouum, neq; reprehendendum. modo C. Sentium uidimus hominem uetere illa, ac singulari innocentia præditum, propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedonia, permagnam ex cibarijs pecuniam deportare. quamobrem non ego inuideo tuis commodis: si qua ad te lege uenerunt: iniuriam queror: improbitatem arguo: auariciam in crimen, & in iudicium uoco. Quod si suspiciones inijcere uoletis, ad plures homines, & ad plures prouincias crimen hoc pertinere: non ego istam defensionem uestram pertimescam: sed me omnium prouinciarum defensorem esse profitebor. Etenim hoc dico: & magna uoce dico: ubicunq; hoc factum est, improbe factum est: quicunq; hoc fecit, supplicio dignus est. nam per deos immortales uidete Iudices, & prospicite animis quid futurum sit. multi magnas pecunias ab inuitis ciuitatibus, atq; ab inuitis aratoribus ista ratione cellæ nomine coegerũt. omnino ego neminem uideo, præter istum. sed do hoc uobis: & concedo, esse multos. in hoc homine rem adductam in iudicium uidetis. quid facere potestis? utrum cum iudices sitis de pecunia capta, conciliata: tantam pecuniam captã negligere? an cum lex sociorum causa rogata sit, sociorum querimonias non audire? uerum hoc quoq; uobis remitto: negligite præterita, si uultis: sed ne reliquas spes turbetis, atq; omnes prouincias euertatis: id prouidete, ne auariciæ, quæ antehac occultis itineribus, atq;

angustijs uti solebat, authoritate uestra uiã patefaciatis illustrẽ, atq; latam. nãsi hoc probatis, & si hoc licere, pecunias isto nomine capi, iudicatis: certe hoc, quod adhuc nemo nisi improbissimus fecit, posthac nemo nisi stultissimus non faciet. improbi sunt, qui pecunias contra leges cogunt: stulti, qui quod licere iudicatum est, prætermittunt. Deinde Iudices uidete: quàm infinitam sitis hominibus licentiam pecuniarum eripiendarum daturi. Si ternos denarios qui coegit, erit absolutus: quaternos, denos deniq;, aut uicenos coget alius: quæ erit reprehensio? in quo primum iniuriæ gradu resistere incipiet seueritas iudicis? quotus erit iste denarius, qui non sit deferendus? & in quo primum æstimationis iniquitas, atq; improbitas reprehendatur? nõ enim à uobis summa, sed genus æstimationis est comprobatũ: neq; hoc potestis iudicare: ternis denarijs æstimare licere. ubi enim semel ab annonæ ratione, & ab aratorum uoluntate res ad prætoris libidinem translata est: non est iam in lege, atque in officio, sed in uoluntate hominum, atq; audacia positus modus æstimandi. Quapropter si uos semel in iudicando finem æquitatis, & legis transieritis: scitote uos nullum cæteris in æstimando finem improbitati, & auariciæ reliquisse. uidete igitur quàm multa simul à uobis postulentur. absoluite eum: qui se fateatur maximas pecunias cum summa sociorum iniuriã cœpisse. non satis. sunt alij quoque complures, qui idem fecerint. absoluite etiam illos, si qui sunt: ut uno iudicio quamplurimos impios liberetis. ne id quidem satis est. facite, ut cæteris posthac idem liceat. licebit. at hoc pærũ est. pmittite, ut liceat quãti quisq; uelit, tanti æstimet: æstimabit. Videtis iam profecto Iudices hac æstimatione

à uobis comprobata, neq; modum posthac auariciæ cuiusquam, neq; pœnam improbitatis futuram. Quas ob res quid agis Hortensi? consul es designatus: prouinciam sortitus es: de æstimatione cũ dices frumenti: sic te audiemus, quasi id quod ab isto recte factum esse defendes: te facturum profiteare: & quasi quod isti licitum esse dices, uehementer cupias tibi licere. atqui si id licebit, nihil est quod putetis quenquam post hac commissurum: ut de pecunijs repetundis condemnari possit. quantam enim quisq; concupierit pecuniam: tantã licebit per cellæ nomen æstimationis magnitudine consequatur. At enim est quiddam: quod etiam si palàm in defendendo non dicit Hortensius: tamen ita dicit, ut uos id suspicari, et cogitare possitis: pertinere hoc ad cõmodum Senatorium: pertinere ad utilitatem eorum, qui iudicent: qui in prouincijs cum potestate, aut cum legatione se futuros aliquando arbitrentur. præclaros uiros existimas iudices nos habere: quos alienis peccatis cõcessuros putes, quo facilius ipsos peccare liceat. Ergo id uolumus populum Romanum. id prouincias, id socios, nationesq; exteras existimare? si Senatores iudicent: hoc certe unum genus infinitæ pecuniæ per summam iniuriam cogendæ nullo modo posse reprehendi? quod si ita est: quid possumus contra illum prætorem dicere: qui quotidie templum tenet: qui Remp. sistere negat posse, ni ad equestrem ordinem iudicia referantur? quod si ille hoc unum agitare cœperit: esse aliquod genus cogendæ pecuniæ, Senatorum commune, & iam propè concessum ordini: quo genere ab socijs maxima pecunia per summam iniuriam auferatur: neq; illud modo Senatorijs iudicijs reprehẽdi posse: idq; dum equester ordo iudicaret, nunquam esse commissum:

quis obstet? quis erit tam cupidus uestri? tam fautor ordinis? qui de transferendis iudicijs posit recusare? Atq; utinam posset aliqua ratione hoc crimen, quamuis falsa, modo humana, atq; usitata defendere. minore periculo uestro, minore periculo prouinciarum omnium, iudicaretis. negaret hic æstimatione se usum. uos id credidisse homini, non factum comprobasse uideremini. nullo modo negare potest: urgetur tota Sicilia: nemo est ex tanto numero aratorum: à quo pecunia cellæ nomine non sit exacta. Vellem etiam hoc posset dicere: nihil ad se istam rationem pertinere: per quæstores rem frumentariam esse administratam. ne id quidem ei licet dicere: propterea quod ipsius literæ recitantur ad ciuitates de ternis denarijs missæ. Quæ est igitur defensio? feci quod arguis: coegi pecunias maximas cellæ nomine. sed hoc mihi licuit: uobis, si prospicitis, licebit. periculosum prouincijs, genus iniuriæ confirmari iudicio. perniciosum nostro ordini, populum ro. existimare, non posse eos homines, qui ipsi legibus teneantur: leges in iudicando religiose defendere. Atq; isto prætore Iudices non solum æstimandi frumenti modus non fuit: sed ne imperandi quidem. neq; enim id quod debebatur: sed quantum commodum fuit, imperauit. Summam faciam uobis ex publicis literis, & testimonijs ciuitatum frumenti in cellam imperati. reperietis quinquies tanto Iudices amplius istum, quàm quantum ei in cellam sumere licitum sit, ciuitatibus imperasse. Quid ad hanc impudentiam addi potest? si & æstimauit tanti. ut homines ferre non possent: & tanto plusquam erat ei concessum legibus, imperauit? Quapropter cognita tota re frumentaria Iudices, iam facillime perspicere

potestis, amissam esse populo Ro. Siciliam fructuosissimam, atq; opportunissimam prouinciam: nisi eam uos istius damnatione recuperatis. quid est enim Sicilia? si ei agri cultionem sustuleris? & si aratorum numerum, ac nomen extinxeris? quid enim potest esse in calamitate residui? quod non ad miseros aratores isto prætore per summam iniuriam ignominiamq; peruenerit? quibus, cum decumas dare deberent, uix ipsis decumæ relictæ sunt: cum pecunia deberetur, soluta non est: cum optima æstimatione Senatus frumentum eos in cellam dare uoluisset: etiam instrumenta agrorum uendere coacti sunt. Dixi iam antea Iudices: ut has omnes iniurias tollatis: tamen ipsam rationem arandi spe magis, & iucunditate quadam, quàm fructu, atq; emolumento teneri. etenim ad incertum casum, & euentum, certus quotannis labor, & certus sumptus impenditur. annona porrò precium, nisi in calamitate fructuum non habet. si autem ubertas in percipiendis fructibus fuit: consequitur uilitas in uendendis: ut aut male uendendum intelligas, si processit: aut male perceptos fructus, si recte licet uendere. Totæ autem res rusticæ eiusmodi sunt: ut eas non ratio, neq; labor, sed res incertissimæ uenti, tempestatesq; moderentur. Hinc cum unæ decumæ lege, & conditione trahantur: alteræ nouis institutis, propter annonæ rationem imperentur: ematur præterea frumentum quotannis publice: postremo etiam in cellam magistratibus, & legatis imperetur: quid, aut quantum præterea est, quod aut liberum possit habere ille arator, ac dominus in potestate, suorum fructuum? aut in ipsis fructibus solutum? Quod si hæc feruntur omnia: si uobis potius, ac populo roma-

no, quàm sibi, & suis commodis, opera, sumptu, labore deseruiunt: etiam ne hæc noua debent edicta, & imperia prætorum, & Apronij dominationem, & Venerio rum seruorum furta, rapinasq; perferre? etiam ne frumentum pro empto gratis dare? etiam ne in cellam, cum cupiant gratis dare ultro, pecuniam grandem dare? etiam ne hæc tot detrimenta, atque damna cum maximis iniurijs contumelijsq; perferre? Itaque hæc Iudices, quæ pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt. arationes tota Sicilia desertas, atque à dominis relictas esse cognoscitis: neque quicquã aliud agitur hoc iudicio. nisi ut antiquissimi socij, fidelissimiq; Siculi, coloni populi Ro. atq; aratores, uestra seueritate, & diligentia, me duce, atq; authore, in agros, atq; in sedes suas reuertantur.

ACTIONVM IN C. VERREM LIBER VI.

ORATIO IX.

VENIO nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium: ut amici eius, morbum, & insaniam: ut Siculi, latrocinium: ego quo nomine appellem, nescio: rem uobis proponam: uos eam suo nominis pondere penditote. genus ipsum prius cognoscite Iudices: deinde fortasse non magnopere quæretis, quo nomine appellandum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam uetere prouincia, tot oppidis, tot familijs, tam copiosis, ullum argenteum uas, ullum Corinthium, aut deliacum fuisse: nego ullam gemmam, aut margaritam fuisse: aut quicquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum æneum, marmoreum, eburneum: nego ullam picturam, neq; in tabulis, neq; textilem fuisse: quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit. Magnum uideor dicere: attendite etiam quæmadmodum dicam. non enim uerbi, neq; criminis causa augendi complector omnia. cum dico nihil istum eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse: latine me scitote, non accusatorie loqui. etiam planius, nihil in ædibus cuiusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem, nihil apud Siculum, nihil apud ciuem romanum denique istum, quod oculos, animumq; accenderit: neq; priuati, neq; publici, neq; profani, neq; sacri, tota in Sicilia reliquisse. Vnde igitur potius incipiam? quàm ab ea ciuitate, quæ tibi una in amore, atq;

in delicijs fuit? aut ex quo potius numero? quàm ex ipsis laudatoribus tuis? facilius enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt: qui accusant: qui persequuntur: cum apud tuos Mamertinos inueniare improbissima ratione esse prædatus. C. Heius est Mamertinus, omnes hoc mihi facile concedent, qui Messanam accesserunt, omnibus rebus in illa ciuitate ornatissimus. huius domus est uel optima Messanæ, notissima quidem certe, & nostris hominibus apertissima, maximeq; perhospitalis. Ea domus ante aduentum istius sic ornata fuit: ut urbi quoq; esset ornamento. nam ipsa Messana, quæ situ, mœnibus, portuq; ornata sit: ab his rebus, quibus iste delectatur, sanè uacua, atq; nuda est. Erat apud Heium sacrarium cum magna dignitate in ædibus à maioribus traditum, perantiquum: in quo signa pulcherrima quatuor summo artificio, summa nobilitate: quæ nonmodo istum hominem ingeniosum, atq; intelligentem: uerum etiam quemuis nostrũ, quos iste idiotas appellat, delectare possent: unum Cupidinis marmoreum, Praxitelis, nimirũ didici etiam, dum in istum inquiro, artificum nomina, idem opinor artifex eiusdemmodi Cupidinem fecit illũ, qui est Thespijs: propter quem Thespiæ uisuntur: nam alia uisendi causa nulla est. Itaq; ille L. Mummius cum Thespijs, ea quæ ad ædem Felicitatis sunt, cæteraq; profana ex illo oppido signa tolleret: hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit. uerum ut ad illud sacrarium redeam: signum erat hoc, quod dico Cupidinis è marmore. ex altera parte Hercules egregie factus ex ære. is dicebatur esse Myronis, ut opinor: ceteræ item ante hosce deos erant tabulæ: quæ cuiuis sacrarij religionem

gionem significare possent. erant æneæ præterea duo signa non maxima, uerum eximia uenustate, uirginali habitu atque uestitu: quæ manibus sublatis sacra quædam more Athenienſium uirginum reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ uocabantur. sed earum artificem quem nam? recte admones, Policletum esse dicebant. Messanam ut quisque nostrûm uenerat, hæc uisere solebat: omnibus hæc aduisendum patebant quotidie: domus erat non domino magis ornamento, quàm ciuitati. C. Claudius, cuius ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse: usus est hoc Cupidine tam diu, dum forum dijs immortalibus, populoq; Rom. habuit ornatum: & cum esset hospes Heiorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum: sic ipse diligens fuit ad reportandum. Nuper homines nobiles eiusmodi Iudices: &, quid diconuper? immo uero modo, ac planè pauloante, uidimus: qui forum ac basilicas non spolijs prouinciarum, sed ornamentis amicorum: commodis hospitum, non furtis nocentiũ, ornarent: qui tamen signa, atq; ornamẽta sua cuiq; reddebãt: non ablata ex urbibus sociorum quatridui causa per simulationẽ ædilitatis, domum deinde, atq; ad suas uillas auferebant. Hæc omnia, quæ dixi, signa Iudices ab Heio de sacrario Verres abstulit: nullum inquam horum reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum peruetus ligneum, Bonam Fortunam. ut opinor, eam iste domi suæ habere noluit. Prò deûm hominumq; fidem, quid hoc est? quæ hæc causa? quæ hæc impudentia est? quæ dico signa, antequam abs te sublata sunt, nemo Messanam cum imperio uenit, quin uiderit. tot Prætores, tot Consules in Sicilia, tum in pace, tum etiam in bello fue-

runt: tot homines cuiusq; modi, non loquor de integris, innocentibus, religiosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum nemo sibi tam uehemens, tam potẽs, tam nobilis, uisus est: qui ex illo sacrario quicquam poscere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres quod ubiq; erit pulcherrimum auferet? nihil habere præterea cuiquam licebit? tot domus locupletissimas, domus istius una capiet? iccirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit: ut C. Verres posset auferre? At non requirebat ille Cupido lenonis domum, ac meretriciã disciplinam: facile illo sacrario patrio cõtinebatur: Heio se à maioribus relictum esse sciebat. an hæreditatem sacrorũ non quærebat? meretricis hæredẽ quærebat? Sed quid ego tam uehementer inuehor? uerbo iam uno repellar. emi inquit. O' dij immortales præclaram defensionem. mercatorem cum imperio, ac securibus in prouinciam misimus: qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas, coemeret: nihil cuiquam relinqueret. hæc enim mihi ad omnia defensio patefieri uidetur, emisse. Primũ, si id, quod uis, tibi ego concedam, ut emeris, quoniam in toto hoc genere hac una defensione usurus es, quæro cuiusmodi tu iudicia Romæ putaris esse? si tibi hoc quenquã concessurũ putasti? te in prætura, atq; imperio, tot res, tam pretiosas, omnes deniq; res, quæ alicuius precij fuerint: tota ex prouincia coemisse. uidete maiorum diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur: ueruntamen ea, quæ paruis in rebus accidere poterant, prouidebant. neminem, qui cum potestate, aut legatione in prouinciam esset profectus: tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum. dabatur enim de publico. ut uestem. præ-

bebatur enim legibus. mancipium putauerunt. quo & omnes utimur: & non præbetur à populo. sanxerunt ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum: si quis Romæ esset demortuus? immo si quis ibidem. nõ enim te instruere domum tuam uoluerunt in prouincia: sed illum usum prouinciæ supplere. quæ fuit causa? cur tam diligenter nos in prouincijs ab emptionibus remouerent? hæc Iudices, quod putabant ereptionem esse, non emptionem: cum uenditori suo arbitratu uendere non liceret. in prouincijs intelligebant, si is, qui esset cum imperio, ac potestate: quod apud quenque esset, emere uellet, idq; liceret: fore, uti quod quisq; uellet, siue esset uenale, siue non esset: quanti uellet, auferret. dicet aliquis, noli isto modo agere cum Verre: noli eius facta ad anti-quæ religionis rationem exquirere: concede ut impune emerit, modo ut bona ratione emerit: nihil ab inuito: nihil per iniuriam. sic agam. si quid uenale habuit Heius: si id quanti æstimabat, tanti uendidit: desino quærere cur emeres. quid igitur nobis faciundum est? num argumentis utendum in re eiusmodi? quærendum est credo, Heius iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, tanta uis oppresserit, ut sacrarium suum spoliaret, ut deos patrios uenderet? At hominem uideo auctionem fecisse nullam: uendidisse præter fructus suos nihil unquam: non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multos esse, ac semper fuisse: si hæc contra, ac dico, essent omnia: tamen illum hæc, quæ tot annos in familia, sacrarioq; maiorum fuissent: uenditurum non fuisse. quid si magnitudine pecuniæ persuasum est ei? uerisimile nõ

est, ut ille homo tã locuples, tam honestus, religioni suæ, monumentisq; maiorum pecuniam anteponeret. sunt ista: ueruntamen abducuntur homines nonnunquam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniæ. uideamus quanta ista pecunia fuit: quæ potuerit Heium hominem maxime locupletem, minime auarum, ab humanitate, & pietate, ab religione deducere. Ita iusti opinor ipsum in tabulas referre: hæc omnia signa Praxitelis, Myronis, Polycleti HS VI mil. Verri uendita sunt. Recita ex tabulis. Iuuat me, hæc præclara nomina artificum, quæ isti ad cœlum ferunt: Verris æstimatione sic concidisse. Cupidinem Praxitelis HS M D C. profecto hinc natum est: malo emere, quàm rogare. dicet aliquis: quid? tu ista permagno æstimas? ego uero ad meam rationem, usunq; non æstimo. uerumtamen à uobis ita arbitror spectari oportere: quanti hæc eorum iudicio, qui studiosi sunt harum rerum, æstimentur: quanti uenire soleant: quanti hæc ipsa, si palàm libereq; uenirent, uenire possent: deniq; ipse Verres quanti æstimet. nunquam enim si denarijs quadringentis Cupidinem illum putasset: cõmisisset, ut propter eum in sermonem hominum, atq; in tantam uituperationem ueniret. Quis uestrum igitur nescit, quanti hæc æstimentur? in actione signum æneum non magnum HS CXX mil libus uenire non uidimus? quid si uelim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiam pluris emerent, nonne possum? Etenim qui modus est in his rebus cupiditatis, idẽ est æstimationis. difficile est enim finem facere precio: nisi libidini feceris. Video igitur Heium, neq; uoluntate, neq; difficultate aliqua temporis, neq; magnitudine pecuniæ adductum esse: ut hæc signa uenderet: teq; ista simulatione emptionis, ui, metu, imperio, fascibus, ab homine eo, quem unà cum cæteris socijs non solum potestati tuæ, sed etiã fidei populus Ro. commisserat, eripuisse, atq; abstulisse. Quid mihi tam optandum Iudices potest esse in hoc crimine: quàm ut hæc eadem dicit ipse Heius? nihil profecto. sed ne difficilia optemus, Heius est Mamertinus: Mamertina ciuitas istum publice communi consilio sola laudat: omnibus iste cæteris Siculis odio est: ab his solis amatur. eius autem legationis, quæ ad istum laudandum missa est, Princeps est Heius. & enim est primus ciuitatis. ne forte, dum publicis mandatis seruiat, de priuatis iniurijs reticeat. hæc cum scirem, & cogitarem: commisi tamen me Iudices Heio: produxi eum prima actione: neque id tamen ullo periculo feci. quid enim poterat Heius respondere: si esset improbus, si sui dissimilis, signa illa domi suæ esse, non apud Verrem? qui poterat quicquam eiusmodi dicere? ut homo turpissimus esset, impudentissimeq; mentiretur, hoc diceret: illa se habuisse uenalia, eaq; sese quanti uoluerit uendidisse. Homo domi suæ nobilissimus, qui uos de religione sua, ac dignitate uere existimare maxime uellet: primo dixit se istum publice laudare, quod sibi ita mandatum esset: deniq; neq; se habuisse illa uenalia, neq; ulla conditione, si utrum uellet liceret, adduci unquam potuisse, ut uenderet illa: quæ in sacrario fuissent à maioribus suis relicta, & tradita. Quid sedes Verres? quid expectas? quid te à Centuripina ciuitate, à Catinensi, ab Halesina, Tindaritana, Aetnensi, Agyrinensi cæterisq; Siciliæ ciuitatibus circunueniri, atq; opprimi dicis? tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circunuenit: tua inquam Messa-

na tuorum adiutrix scelerum, libidinum testis, prædarum ac furtorum receptrix. adest enim utr amplißimus eius ciuitatis, legatus huiusce iudicij causa domo missus, princeps laudationis tuæ, qui te publice laudat: id enim mandatum, atq; imperatum est: tametsi rogatus de Cybea tenetis memoria quid responderit: ædificatam publicis operis publice coactis: eiq; ædificãdæ publice Mamertinum Senatorem præfuisse. Idem ad uos priuatim Iudices confugit: utitur hac lege, qua iudicium est, communi arce sociorum. tametsi lex est de pecunijs repetundis, ille se negat pecuniam repetere: quam ereptam non tantopere desiderat: sacra se maiorum suorum repetere abs te dicit: deos penates à te patrios reposcit. Ecqui pudor est? ecquæ religio Verres? ecqui metus? habitasti apud Heium Messanæ: res illum diuinas apud eos deos in suo sacrario prope quotidie facere uidisti. non mouetur pecunia: denique quæ ornamenti causa fuerunt, non requirit: habe Canephoras: deorum simulachra restitue. quæ quia dixit, quia tempore dato modeste apud uos socius, amicusq; populi Ro. quæstus est: quia religioni suæ nonmodo in dijs patrijs repetundis, sed etiam in ipso iureiurando, ac testimonio proximus fuit: hominem missum ab isto scitote esse Messanam de legatis unum, illum ipsum, qui naui istius ædificandæ publice præfuit: qui à Senatu peteret, ut Heius ignominia afficeretur. Homo amentißime quid putasti? te impetraturum? quanti is à ciuibus suis fieret: quanti authoritas eius haberetur: ignorabas? fac te impetrauisse: fac aliquid grauius in Heium statuisse Mamertinos: quantam putas authoritatem laudationis eorum futuram: si in eum quem constet uerum pro testimonio dixisse, pœnam cõstituerent?

tametsi quæ est ista laudatio? cum laudator interrogatus lædat necesse est. quid isti laudatores tui, nõne testes mei sunt? Heius est laudator: læsit grauißime. producam cæteros: reticebunt, quæ poterunt, libenter: dicent quæ necesse erit, gratis. Negẽt isti onerariã nauem maximã ædificatam esse Messanæ? negent si poßint. negent ei naui faciundæ Senatorẽ Mamertinum publice præfuisse? utinã negent. sunt etiam cætera, quæ modo integra reseruare uolui: ut quamminimum dem illis temporis ad meditandum, confirmandumq; periuriũ. hæc tibi laudatio procedat in numerum. hi te homines authoritate sua subleuent: qui te neque debent adiuuare, si possent: neq; possunt, si uelint: quibus tu priuatim iniurias plurimas, cõtumelias q; imposuisti: quo in oppido multas familias in perpetuum infames tuis stupris, flagitijsq; fecisti. At publice commodasti. non sine magno quidem Reip. prouinciæq; Siciliæ detrimento. tritici modium LX millia empta populo Ro. dare debebant, et solebant. abs te solo remissum est. Resp. detrimentũ fecit: quod per te imperij ius una in ciuitate imminutum est. Siculi, quid hoc non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos, & Halesinos immunes populos: et hoc plus impositum, quàm ferre possent. Nauem imperare ex fœdere debuisti: remisisti, in triennium. militem nullum unquã popposciisti per tot annos. fecisti item uti prædones solent: qui cum communes hostes sint omnium: tamen aliquos sibi instituunt amicos: quibus nõmodo parcant, uerum etiam præda quos augeant: & eos maxime, qui habent oppidum opportuno loco, quo sæpe adeundum sit nauibus, nonnunquam etiam necessario. Phaselis illa, quam cœpit P. Seruilius: non fuerat urbs an-

te Cilicum, atq; prædonum. Lycij illam græci homines incolebant. sed quod erat eiusmodi loco, atq; ita proiecta in altum: ut & exeuntes è Cilicia prædones sæpe ad eam necessario deuenirent: & cum ex hisce se locis reciperent: eodem deferrentur, asciuerunt illud sibi oppidum piratæ, primo commercio: deinde etiam societate. Mamertina ciuitas improba antea non erat: etiam erat inimica improborum: quæ C. Catonis illius, qui Consul fuit, impedimenta retinuit. at cuius hominis? clarissimi, potentissimiq;. qui tamen, cum consul fuisset, condemnatus est. Ita C. Cato duorum hominum clarissimorum nepos, L. Pauli, & M. Catonis, & P. Africani sororis filius: quo damnato, tum cum seuera iudicia fiebant, HS XVIII millibus lis æstimata est. Huic Mamertini irati non fuerunt: qui maiorem sumptum, quàm quanti Catonis lis æstimata est, in Timarchidis prandium sæpe fecerunt. Verum hæc ciuitas isti prædoni, ac piratæ Siciliensi Phaselis fuit. huc omnia undique deportabantur: apud istos relinquebantur: quod celari oportuerat, habebant sepositum, ac reconditum: per istos, quæ uolebat, in nauem clàm imponenda, occulte exportanda curabat: nauem denique maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendã, ædificandamq; curauit. Pro hisce rebus, uacatio data est ab isto sumptus, laboris, militiæ, rerũ deniq; omniũ. per triennium soli non modo in Sicilia, uerum, ut opinio mea fert, his quidem temporibus in omni orbe terrarum, uacui, expertes, soluti, ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. hinc illa Verrea nata sunt. hinc in conuiuium Sextum Cominium protrahi iussit: in quem Scyphum de manu iacere conatus est: quem obtorta gula

de conuiuio in uincula, atq; in tenebras abripi iussit. hinc illa crux, in quam ciuem Ro. iste multis inspectantibus sustulit: quam non ausus est usquam defigere, nisi apud eos, quibus cum omnia scelera sua, ac latrocinia communicasset. Laudatum etiam uos quenquam uenire audetis? qua authoritate? utrum quam apud Senatorium ordinem? an quam apud populum Ro. habere debetis? ecquæ ciuitas est? nonmodo in prouincijs nostris, uerum in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis, ac barbara? rex denique ecquis est? qui Senatorem populi Ro. tecto, ac domo non inuitet? qui honos non homini solum habetur: sed primũ populo Romano, cuius beneficio nos in hunc ordinem uenimus: deinde ordinis authoritati: quæ nisi grauis erit apud socios, atq; exteras nationes ubi erit imperij nomen, & dignitas? Mamertini me publice nõ inuitauerunt. me cum dico, leue est. Senatorem populi Ro. si non inuitauerunt: honorem debitum detraxerunt nõ homini, sed ordini. nã ipsi Tullio patebat domus locupletissima, & amplissima Cn. Pompeij Basilisci: quo etiã si esset inuitatus à uobis, tamẽ diuertisset. erat etiam, Percenniorum, qui nunc item Pompeij sunt, domus honestissima: qua L. frater meus, summa illorum uoluntate diuertit. Senator populi Ro. quod in uobis fuit, in uestro oppido iacuit, & pernoctauit in publico. nulla hoc alia ciuitas unquam commisit. amicum enim nostrum in iudicium uocabas. tu quid ego priuatim negocij geram, interpretabere, in minuendo honore Senatorio? uerum hæc tum queremur: si quid de uobis per eum ordinem agetur: qui ordo à uobis adhuc solis contemptus est. in populi Ro. quidem conspectum, quo ore uos commisi-

stis? nec prius illam crucem, quæ etiamnum ciuis Ro: sanguine redundat: quæ fixa est ad portum, urbemq; uestram, reuelliſtis: neq; in profundum abieciſtis, locumq; illum omnem expiaſtis: quam Romam, atq; in horum conuentum adiretis? in Mamertinorum solo fœdcrato, atq; pacato monumentum istius crudelitatis constitutum est. uestra ne urbs electa est? ad quam cum adirent ex Italia, crucem ciuis romani prius, quàm quenquam amicum uiderent populi romani: quàm uos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis: item incolis uestris, ciuibus Ro. ostendere soletis: quominus sibi arrogent, minusq; uos despiciant: cum uideant ius ciuitatis, illo supplicio esse mactatum. Verum hæc emisse te dicis. quid illa Attalica, tota Sicilia nominata, ab eodem Heio peripetasmata emere oblitus es? licuit eodem modo, ut signa. quid enim actum est? an literis peperciſti? uerum hominem amentem hoc fugit. minus clarum putauit fore, quod de armario, quàm quod de sacrario esset ablatum. at quomodo abstulit? non possum dicere planius, quàm ipse apud uos dixit Heius. cum quæsissem, nunquid aliud de bonis eius peruenisset ad Verrem: respondit istum ad se misisse: ut sibi mitteret Agrigentũ peripetasmata. quæsiui an misisset: respondit id quod necesse erat: scilicet dicto audientem fuisse prætoris, misisse. rogaui peruenissent ne Agrigentum? dixit, peruenisse. quemadmodum reuertisset: negauit adhuc reuertisse. risus populi, atq; admuratio omniũ facta est. Hic tibi in mentem non uenit, iubere ut hæc quoq; referret HS D se tibi uendidisse. metuisti ne æs alienum tibi crescceret: si HS VI millibus D tibi constarent ea: quæ tu facile posses uendere HS C C millibus. fuit tanti mihi crede: haberes quod defenderes: nemo quæreret quanti illa res esset, si modo te posses docere emisse: facile cui uelles tuam causam, & factum probares. nunc de Peripetasmatis quemadmodum te expedias non habes. Quid? à Philarcho Centuripino homine locuplete, ac nobili Phaleras pulcherrime factas, quæ Regis Hieronis fuisse dicuntur, utrum tandem abstuliſti, an emisti? Siciliæ quidem cum essem, sic à Centuripinis, sic à cæteris audiebam: non enim parum res erat clara. tam te has phaleras à Philarcho Centuripino abstulisse dicebant: quàm alias item nobiles, ab Aristo Panormitano: quàm tertias à Cratippo Tyndaritano. etenim si Philarchus uendidisset: non ei, postea quàm reus factus es, redditurũ te promisisses. quod quia uidisti plures scire: cogitasti si ei reddidisses: te minus inuidiæ habiturum: rem nihilominus testatam futuram: non reddisti. dixit Philarchus pro testimonio: se, quod nosset tuum istum morbum: ut amici tui appellant, studium: cupisse te celasse de phaleris: cum abs te appellatus esset: negasse habere sese: apud alium quoq; eas habuisse depositas: nequa inuenirentur: tuam tantam fuisse sagacitatem: ut eas per illũ ipsum inspiceres, ubi erant depositæ: tum se deprehensum negare nõ potuisse: ita ab se inuito ablatas phaleras gratis. Iam ut hæc omnia reperire, ac perscrutari solitus sit Iudices, est operæpreciũ cognoscere. Cybiratæ sunt fratres quidam, Tleopolemus, & Hiero: quorum alterũ fingere opinor è cera solitum esse, alterum esse pictorem. hosce opinor Cybiræ, cum in suspicionem uenissent suis ciuibus, fanum expilasse Apollinis: ueritos pœnam iudicij, ac legis, domo profugisse. quod Verrem artificij sui cupidum cognouerant tum, cum iste, id quod ex testibus didiciſtis, Cybiram cum ina-

nibus syngraphis uenerat: domo profugientes ad eum se exules, cum iste esset in Asia, contulerunt. habuit secum eos ab illo tempore: & in legationis prædis, atq; furtis multum illorum opera, consilioq; usus est. Hi sunt illi, quibus in tabulis retulit sese Q. Tadius dedisse iussu istius græcis pictoribus. Eos iam bene cognitos, et reprobatos secum in Siciliam duxit. quo postquam uenerũt, mirandum in modum canes uenaticos diceres: ita odorabantur omnia: & perueſtigabant: ut ubi quicquid esset: aliqua ratione inuenirent. aliud minitando, aliud pollicendo, aliud per seruos, aliud per liberos: per amicum aliũd, aliud per inimicum inueniebant. quicquid illis placuerat, perdendum erat. nihil aliud optabant, quorum poscebatur argentum: nisi ut Hieroni & Tlepolemo displiceret. Vere mehercules hoc Iudices dicam: memini Pamphilum Lilybetanum hospitem meum, & amicum, nobilem hominem, mihi narrare: cum iste ab sese Hydriam Boeti manu factam, præclaro opere, & grandi pondere, per potestatem abstulisset, se sanè tristem, & conturbatum domum reuertisse: quod uas eiusmodi, quod sibi à matre, & maioribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitũ aduentum, à se esset ablatum. Cum sederem, inquit, domi tristis: accurrit Venerius: iubet me scyphos sigillatos ad prætorem statim afferre. permotus sum inquit: binos habebam: iubeo promi utrosq;, ne quid plus mali nasceretur, & mecum ad prætoris domum ferri. eò cum uenio, prætor quiescebat: fratres illi Cybiratæ inambulabant. qui simul ut me uiderunt: ubi sunt Pamphile inquiunt scyphi? ostendo tristis. laudant. incipio queri, me nihil habiturum, quod alicuius esset precij: si etiam scyphi essent ablatum illi, ubi me conturbatum uident: quid uis nobis dare, isti ne auferantur abs te? ne multa HS M me inquit dixi daturũ. uocat interea Prætor: scyphos poscit. tum illos cœpisse prætori dicere: putasse se, id qd audissent, alicuius precij scyphos esse Pamphili: luteum negociũ esse: non dignum, quod in suo argento Verres haberet. ait ille idem sibi uideri. ita Pamphilus scyphos optimos aufert. Et mehercules ego antea, tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intelligere: tamen mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere: quem scirem nulla in re quicquam simile hominis habere. tum primum intellexi ad eam rem istos fratres Cybiratas fuisse: ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur. At ita studiosus est huius præclaræ existimationis: ut putetur in hisce rebus intelligens esse: ut nuper, uidete hominis amentiam, postea quam est comperendinatus: cum iam pro damnato, mortuoq; esset: ludis Circensibus mane apud L. Sisennam uirum primarium, cum essent triclinia strata, argentumq; expositum in ædibus: cum pro dignitate L. Sisennæ domus esset plena hominum honestorum: accesserit ad argentum: contemplari unumquodq; ociose, & considerare cœperit. mirari stulticiam alij, quod in ipso iudicio eius ipsius cupiditatis, cuius insimularetur: suspicionem augeret. alij amentiam, cui comperendinato, cũ tam multi testes dixissent, quicquam illorum ueniret in mentem. pueri autẽ Sisennæ, credo qui audiuissent, quæ in istum testimonia essent dicta, oculos de isto nusquam deijcere: neq; ab argento digitũ discedere. Est boni iudicis, paruis ex rebus coniecturam facere uniuscuiusq;, & cupiditatis, & incontinentiæ. qui reus lege, & reus con

perendinatus, re & opinione hominum penè damnatus, temperare non potuerit maximo conuentu: quin L. Sisennæ argentum tractaret, & considiraret: hunc in prouincia prætorem quisquam putabit à Siculorum argento cupiditatem, aut manus abstinere potuisse? Verũ uti Lilybeum, unde digressa est, oratio reuertatur: Dioeles est Pamphili gener illius, à quo hydria ablata est: Popilius cognomine: ab hoc abaci uasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. dicat se emisse. etenim hic propter magnitudinem furti sunt, ut opinor, literæ factæ. iussit Timarchidem æstimare argentum, quomodo qui unquã tenuissime, in donatione histrionum æstimauit. tametsi iam dudum erro: qui tam multa de tuis emptionibus uerba faciam, & quæram, utrum emeris: & quomodo, & quanti emeris: quod uerbo transigere possum. ede mihi scriptum, quid argenti in prouincia Sicilia pararis: unde quicq; aut quanti emeris. quid fit? quanquam non debebã ego abs te has literas poscere. me enim tabulas tuas habere, & proferre oportebat. uerum negas te harũ annorum aliquot confecisse. compone hoc quod postulo de argento: de reliquo uidero. nec scriptum habeo: nec possum edere. quid futurum igitur est? quid existimas hosce iudices facere posse? domus plena signorum pulcherrimorum iam etiam ante præturã: multa ad uillas tuas posita: apud amicos multa deposita: multa alijs data, atq; donata: tabulæ nullum indicant emptum: omne argentum ablatum ex Sicilia est: nihil cuiquam, quod suum dici uellet, relictum: fingitur improba defensio, prætorẽ omne id argentum coemisse: tamen id ipsum tabulis demonstrari nõ potest, si quas tabulas profers: in his, quid habes, quomodo habeas, scriptum non est: horum autem

temporum, cum te plurimas res emisse dicas: tabulas omnino nullas proferas: nonne te, et prolatis, & non prolatis tabulis condemnari necesse est? Tu à M. Celio equite Ro. lectissimo adolescente, quæ uoluisti uasa argentea Lilybei abstulisti: tu P. Cacurij promptissimi hominis, & experientis, & in primis gratiosi, suppellectilem omnem auferre non dubitasti, tu maximam, et pulcherrimã mensam citream à Q. Lutadio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio à L. Sylla ciuis Ro. factus est, omnibus scientibus Lilybei abstulisti: non tibi obijcio quod hominẽ dignissimum tuis moribus, Apollonium Niconis filium Drepanitanum, qui nunc A. Clodius uocatur, omni argento optime facto spoliasti, ac depeculatus es. taceo. nõ enim putat ille sibi iniuriam factam: propterea quod homini iam perdito, & collum in laqueum inserenti, subueneris: cum pupillis Drepanitanis bona patria erepta, cum illo partitus es. gaudeo etiam si quid ab illo abstulisti: & abs te nihil rectius factum esse dico. à Lisone uero Lilybetano primo homine, apud quem diuersatus es, Appollinis signum ablatum certe esse non oportuit. At dices te emisse. scio: HS M. ita opinor. scio inquam. proferam literas: & tamen id factum non oportuit. à pupillo Heio, cui Marcellus tutor est, à quo pecuniam grandem eripueras, scaphia cum emblematis Lilybei utrum empta esse dicis? an confiteris erepta? sed quid ego istius in eiusmodi rebus mediocris iniurias colligo? quæ tantummodo in furtis istius, & damnis eorum, à quibus auferebat, uersata esse uideantur? accipite si uultis Iudices rem eiusmodi: ut amentiam singularem, ut furorem iam non cupiditatem eius perspicere possitis. Melitensis Diodorus est: qui apud uos at-

tea testimonium dixit. is Lilybei multos iam annos habitat, homo & domo nobilis, & apud eos, quo se contulit, propter uirtutem splendidus, & gratiosus. de hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata: in his pocula duo quædam, quæ Heraclea nominantur, Mentoris manu summo artificio facta. quod ubi iste audiuit, sic cupiditate inflammatus est, non solum inspiciundi, uerum etiam auferendi: ut Diodorum ad se uocaret, ac posceret. ille, qui illa non inuitus haberet, respondit se Lilybei non habere: Melitæ apud quendam propinquum suum reliquisse. tum iste continuo mittit homines certos Melitam: scribit ad quosdam Melitenses, ut ea uasa perquirant: rogat Diodorum, ut ad illum suum propinquum det literas. nihil ei longius uidebatur: quàm dum illud uideret argentum. Diodorus homo frugi, ac diligens, qui sua seruare uellet, propinquo suo scribit: ut ijs qui à Verre uenissent, responderet: illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybeum. ipse interea recedit. abesse ab domo paulisper maluit: quàm præsens illud optime factum argentum amittere. Quod ubi audiuit iste, usq; eò est commotus: ut sine ulla dubitatione insanire omnibus, ac furere uideretur: quia non potuerat argentum eripere. ipse à Diodoro erepta sibi uasa optime facta dicebat: minitari absenti Diodoro: uociferare palàm: lachrymas interdum uix tenere. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate: ut, cum uidisset monile, ut opinor, ex auro, & gemmis: pulchritudine eius incensa salutem uiri proderet. Similis istius cupiditas: hoc etiam acrior, atque insanior: quod illa cupiebat id, quod uiderat: huius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur. conquiri Diodorum tota

prouincia

prouincia iubet. ille ex Sicilia castra iam mouerat, & uasa collegerat. homo, ut aliquo modo illum in prouinciam reuocaret: hanc excogitauit rationem: si hæc ratio potius, quàm amentia nominanda est. apponit de suis canibus quendam: qui dicat se Diodorum Melitensem rei capitalis reum uelle facere. primo mirum omnibus uideri, Diodorum reum, hominem quietissimum, ab omni non modo facinore, uerum etiam minimi erratisuspicione remotissimum. deinde esset perspicuum, fieri omnia illa, propter argentum. Iste non dubitat, iubere nomen deferri: & tum primum opinor istum absentis nomen recepisse. reclamat Sicilia tota, propter cœlati argenti cupiditatem, reos fieri rerum capitalium: neque solum præsentes reos fieri, sed etiam absentes. Diodorus Romæ sordidatus circum patronos, atq; hospites cursare: rem omnibus narrare. literæ mittuntur isti à patre uehementes: ab amicis item, uideret quid ageret: de Diodoro quo progrederetur, rem claram esse, & inuidiosam: insanire hominem: periturum hoc uno crimine, nisi cauisset. iste etiam tum patrem, si non in parentis, at in hominum numero putabat: ad iudicium nondum se satis instruxerat: primus annus erat prouinciæ: non, ut in Sthenio, iam refertus pecunia. itaque furor eius paululum non pudore, sed metu, ac timore repressus est. condemnare Diodorum non audet: absentem de reis eximit. Diodorus interea prætore isto propè triennium prouincia, domoq; caruit. cæteri non solum Siculi, sed etiam ciues Rom. hoc statuerant: quoniam iste tantum cupiditate progrederetur: nihil esse, quod quisquam putaret se, quod isti paulo magis placeret, cõseruare, aut domi retinere posse. postea uero quàm intellexerũt, isti uirum for-

tem, quem ſumme prouincia expectabat, Q. Arrium non ſuccedere: ſtatuerunt ſe nihil tam clauſum, neq; tam reconditum poſſe habere: quod nõ iſtius cupiditati apertiſsimum, promptiſsimumq; eſſet. Tum iſte ab Equite Ro. ſplendido, & gratioſo Cn. Calidio, cuius filium ſciebat Senatorem populi Romani & iudicem eſſe: equuleos argenteos nobiles, qui Q. Maximi fuerant, aufert. imprudens huc incidi Iudices. emit enim, non abſtulit. nollem dixiſſe. iactabit ſe: & in his equitabit equuleis. emi: pecuniam ſolui. credo, etiam tabulæ proferentur. eſt tanti. cedo tabulas. dilue ſanè crimen hoc Calidianum: dum ego tabulas aſpicere poßim. ueruntamen quid erat, quod Calidius Romæ quereretur: ſe cum tot annos in Sicilia negociaretur: abs te ſolo ita eſſe contemptum, ita deſpectum: ut etiam cum cæteris Siculis diſpoliaretur: ſi emeras? quid erat, quod confirmabat, ſe abs te argentum eſſe petiturum: ſi tibi ſua uoluntate uendiderat? tu porrò poſſes facere ut Cn. Calidio nõ redderes? præſertim cum is L. Siſenna defenſore tuo, tam familiariter uteretur? cum & cæteris familiaribus Siſennæ reddidiſſes? Deniq; non opinor negaturum eſſe te, homini honeſto, ſed non gratioſiori quàm Cn. Calidius eſt, L. Cordio argentum per Potamonem amicum tuum reddidiſſe. qui quidem cæterorum cauſam apud te difficiliorem fecit. nam cum te compluribus confirmaſſes redditurum: poſtea quam Cordius pro teſtimonio dixit te ſibi reddidiſſe: finem reddendi feciſti: quod intellexiſti te præda de manibus amiſſa, teſtimonium tamen effugere non poſſe. Cn. Calidio Equiti Romano per omnes prætores licuit argentum habere bene factum: licuit poſſe domeſticis copijs, cum magiſtratum, aut ali-

quem ſuperiorem inuitaſſet, ornare, & apparare conuiuium. multi domi Cn. Calidij cum imperio, ac poteſtate fuerunt: nemo inuentus eſt tam amens: qui illud argentum tam præclarum, ac tam nobile eriperet: nemo tam audax, qui poſceret: nemo tam impudens, qui poſtularet, ut uenderet. ſuperbum eſt enim Iudices, & non ferendum: dicere prætorem in prouincia homini honeſto, locupleti, ſplendido: uende mihi uaſa cælata. hoc eſt enim dicere: non es dignus tu, qui habeas: quæ tam bene facta ſint: meæ dignitatis iſta ſunt. Tu dignior Verres, quàm Calidius? qui, ut non conferam uitam, atque exiſtimationem tuam, cum illius: neq; enim eſt conferenda, hoc ipſum conferam, quo tu te ſuperiorem fingis. quod HS LXXX millia diuiſoribus, ut prætor renunciarere dediſti: trecenta accuſatori, ne tibi odioſus eſſet: ea re contemnis Equeſtrem ordinem, ac deſpicis? ea re indignum tibi uiſum eſt, quicquam, quod tibi placeret: Calidium potius habere, quàm te? Iactat ſe iamdudum de Calidio: narrat omnibus ſe emiſſe. num etiam de L. Papirio uiro primario, locuplete, honeſtoq; Equite Ro. thuribulum emiſti? qui pro teſtimonio dixit: te, cũ inſpiciendũ poposciſſes, auulſo emblemate remiſiſſe: ut intelligatis, in homine intelligentiã eſſe, nõ auariciam: artificij cupidum, non argenti fuiſſe. nec ſolum in Papirio fuit hac abſtinentia: tenuit hoc inſtitutum in thuribulis omnibus, quæcunq; in Sicilia fuerunt. incredibile eſt autẽ, quàm multa, et quàm præclara fuerint. Credo tũ, cum Sicilia florebat opibus, & copijs: magna artificia fuiſſe in ea inſula. nam domus erat ante iſtum prætorem nulla paulo locupletior: qua in domo hæc non eſſent: etiam ſi præterea nihil eſſet argenti: patella grandis, cũ

sigillis ac simulacris deorũ: patera, qua mulieres adres diuinas uterentur: thuribulum. hæc autem omnia anti= quo opere, & summo artificio facta: ut hoc liceret suspi cari: fuisse aliquando apud Siculos peræqua proportio= ne cætera: sed quibus multa fortuna ademisset: tamen a= pud eos remansisse ea, quæ religio retinuisset. Dixi Iudi= ces, multa fuisse ferè apud Siculos omnes: ego idẽ confir mo, nunc ne unũ quidẽ esse. quid hoc est? quod mõstrum? quod prodigium in prouinciam misimus? nonne uobis id egisse uidetur? ut non unius libidinẽ, non suos oculos, sed omnium auarissimorum insanias, cum Romam re= uertisset, expleret? qui simul atq; in oppidum quopiam uenerat: immittebantur illi continuo Cybiratici canes: qui inuestigabant, & perscrutabantur omnia. si quod erat grande uas, & maius opus inuentum, læti aufere= bant. si minus eiusmodi quippiam uenari poterant: illa quidem certe pro lepusculis capiebantur: patellæ, pate= ræ, thuribula. Hic quos putatis fletus mulierum? quas lamentationes fieri solitas esse in hisce rebus? quæ forsi= tan uobis paruæ esse uideantur. sed magnum & acer= bum dolorem commouent: mulierculis præsertim, cum eripiuntur è manibus ea: quibus adres diuinas uti con= sueuerunt: quæ à suis acceperunt: quæ in familia sem= per fuerunt. Hic nolite expectare dum ego hoc cri= men agam ostiatim: ab Aeschilo Tindaritano istũ pate= ram abstulisse: à Thrasone item Tindaritano patellam: à Nymphodoro Agrigentino thuribulum. cũ testes ex Si cilia dabo, quem uolet eligat: quem ego interrogẽ de pa= tellis, pateris, thuribulis: nonmodo oppidũ nullum: sed ne domus quidem paulo locupletior expers huius iniu= riæ reperietur. Qui cum in conuiuium uenisset: si quic

quam cœlati aspexerat: manum abstinere Iudices non poterat. Cn. Pompeius est Philo, qui fuit Tindaritanus. is cœnam isti dabat apud uillam in Tindaritano. fecit quod Siculi non audebant. ille ciuis Ro. quod erat, im= punius id se facturum putauit. apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia. iste continuo ut uidit: non dubita= uit illud insigne penatium, hospitaliumq; deorum, ex hospitali mensa tollere. sed tamen, quod antea de istius abstinentia dixeram: sigillis auulsis reliquum argentum sine ulla auariciareddidit. Quid? Eupolemo Calacti= no homini nobili, Lucullorum hospiti, ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo est: non idem fecit? cœnabat apud eum. argentum illi cæterũ purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula nõ magna, ueruntamen cum emblematis. hic quasi festiuum acroama ne sine corollario de conuiuio discederet: ibi= dem conuiuis inspectantibus emblemata auellenda cura uit. Neque ego nũc istius facta omnia enumerare conor. neque opus est: nec fieri ullo modo potest. tantummo= do uniuscuiusque de uaria improbitate generis indicia apud uos, & exempla profero. neque enim ita se gessit in his rebus: tanquam rationem aliquando esset redditu= turus: sed prorsus ita, quasi aut reus nunquam esset fu= turus: aut quo plura abstulisset, eo minore periculo in iu dicium esset uenturus: qui hæc quæ dico iam, non oc= culte, non per amicos, atq; interpretes, sed palàm de lo co superiore ageret, pro imperio, & potestate. Catinam cum uenisset, oppidũ locuples, honestũ, copiosum: Dio= nysiarchum ad se Praetorum hoc est summum magi= stratum uocari iubet. ei palàm imperat: ut omne argen tum, quod apud quenq; esset Catinæ, conquirendum cu=

raret, & ad se transferendum. Philarchum Centuripinum primariũ hominẽ genere, uirtute, pecunia, nõ hoc idem iuratum dicere audistis? sibi istũ negocium dedisse, atq; imperauisse: ut Centuripinis, in ciuitate totius Siciliæ multo maxima & locupletißima, omne argentum conquireret, et ad se cõportari iuberet. Agyrio similiter istius imperio uasa Corinthia per Apollodorũ, quem testem audistis, Syracusas deportata sunt. Illa uero optima, quod cum ad Haluntiũ uenisset Prætor laborioſus, & diligens: ipse in oppidum accedere noluit: quod erat difficili ascensu, atq; arduo: Artagathum Haluntinum, hominem non solum domi suæ, sed tota Sicilia in primis nobilem, uocari iußit. ei negociũ dedit: ut quicquid Halunti esset argenti cœlati, aut siquid etiam Corinthiorum: ut omne statim ad mare ex oppido deportaretur. ascendit in oppidum Artagathus: homo nobilis, qui à suis & amari, & diligi uellet: ferebat grauiter, illam sibi ab isto prouinciã datam: nec quid faceret, habebat. pronunciat quid sibi imperatum esset: iubet omnes proferre, quæ haberent. metus erat summus. ipse enim tyrannus non discedebat longius: Artagathum, & argentum in lectica cubans, ad mare infra oppidum expectabat. quem concursum factum in oppido putatis? quem clamorem? quem porrò fletum mulierum? qui uiderent, equum troianum introductum, urbem captam esse, dicerent. efferri sine thecis uasa: extorqueri alia de manibus mulierum: effringi multorum fores: reuelli claustra. quid enim putatis? scuta siquando cõquiruntur à priuatis in bello, ac tumultu: tamen homines inuiti dant: & si ad salutem communem dari sentiunt: ne quem putetis sine maximo dolore argentũ cælatum domo, quod alter

eriperet, protulisse. omnia deferuntur. Cybiratæ fratres uocantur: pauca improbant. quæ probarant, ijs crustæ, aut emblemata detrahuntur. sic Haluntini excußis delicijs, cum argento puro domum reuerterunt. Quod unquam iudices huiusce modi euerriculum ulla prouincia fuit? auertere aliquid de publico quamobscurißime per magistratum solebant. etiam aliquid de priuato nonnunquam occulte auferebant. & illi tamen condemnabantur. & si quæritis ut egomet mihi detrahã: illos ego accusatores puto fuisse: qui huiusmodi hominum furta odore, aut aliquo leuiter presso uestigio, persequebantur. nam nos quidem quid facimus in Verre? quem in luto uolutatum totius corporis uestigium inuenimus? per magnum est in eum dicere aliquid? qui præteriens, lectica paulisper deposita, non per præstigia, sed palàm per potestatem, uno imperio ostiatim totum oppidum compilarit. Attamen ut possit se dicere emisse: Artagatho imperat: ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis * causa daret. inuenit Artagathus paucos. qui uellẽt accipere, his dedit. eos nummos tamen iste Artagatho non reddidit. uoluit Romæ petere Artagathus. Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit: sicut ipsum dicere audistis. atq; hac tota de re audistis Artagathi, & Lentuli testimoniũ. Et ne forte hominẽ existimetis hanc tantam uim emblematum sine causa coaceruare uoluisse: uidete quanti uos, quanti existimationem populi Romani, quanti leges, & iudicia, quãti testes Siculos, negociatoresq; fecerit. poste aq̃ tantam multitudinem collegerat emblematum: ut ne unum quidem cuiquam reliquisset: instituit officinam Syracusis. in Regiam maximam, palàm artifices omnes, cælatores, ac uascularios conuo

cari iubet: & ipse suos complures habebat. eò conducit magnam hominum multitudinem. menses octo continuos opus his non defuit: cum uas nullum fieret nisi aureum. tum illa, ex patellis, & thuribulis quæ uellerat: ita scite in aureis poculis illigabat: ita apte in scyphis aureis includebat: ut ea ad illam rem nata esse diceres. ipse tamen Prætor, qui sua uigilantia pacem in Sicilia dicit fuisse: in hac officina maiorem partẽ diei cum tunica pulla sedere solebat, & pallio. Hæc ego Iudices non auderem proferre: ni uererer ne forte plura de isto ab alijs in sermone, quàm à me in iudicio audisse uos diceretis. quis enim est, qui de hac officina, qui de uasis aureis, qui de istius pallio, tunica pulla non audierit? quem uoles de conuentu Syracusanorũ uirum bonum nominato: producam. nemo erit quin hoc se aut uidisse, aut audisse dicat. O' tempora: O' mores. nihil nimium uetus proferã. sunt uestrum Iudices quammulti: qui L. Pisonem cognouerunt, huius L. Pisonis, qui prætor fuit, patrem. is cum esset in Hispania Prætor, qua in prouincia occisus est: ne scio quo pacto dum armis exercetur: annulus aureus, quem habebat, fractus est, & comminutus. cum uellet sibi annulum facere: aurificem iussit uocari in foro, ad sellam, Cordubæ: & ei palàm appendit aurum. hominem in foro sellam iubet ponere: & facere annulum omnibus præsentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. hactenus reprehendat siquis uolet, nihil amplius. uerum fuit ei concedendum: filius enim L. Pisonis erat eius: qui primus de pecunijs repetundis legem tulit. ridiculum est nunc de Verre me dicere: cum de Pisone frugi dixerim. ueruntamen quantũ intersit, uidete. iste cum aliquot abacorum faceret uasa aurea, non

laborauit, quin nonmodo in Sicilia, uerum etiam Romæ in iudicio audiret. ille in auri semuncia totam Hispaniam scire uoluit: unde prætori annulus fieret. nimirum ut hic nomen suum comprobauit: sic ille cognomen. nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti. genera ipsa cupio breuiter attingere. ut hoc modo me commonuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat. Quam multis istum putatis hominibus honestis, de digitis annulos aureos abstulisse? nunquam dubitauit, quotiensçunq; alicuius aut gemma, aut annulo delectatus est. incredibilem rem dicam: sed tam claram, ut ipsum negaturum non arbitrer. Cum Valentio eius interprete epistola Agrigenti allata esset: casu signum iste animaduertit in cretula: placuit ei: exquisiuit unde esset epistola: respondit Agrigento. iste literas ad quos solebat, misit: ut is annulus ad se primo quoq; tẽpore afferretur. ita literis istius patrisfamilias L. Titio cuidam, ciui Ro. annulus de digito detractus est. Illa uero eius cupiditas incredibilis est. nam ut in singula conclauia, quæ iste nonmodo Romæ, sed omnibus in uillis habet: tricenos lectos optime stratos cum cæteris ornamentis conuiuij quæreret: nimium multa comparare uideretur. nulla domus in Sicilia locuples fuit: ubi iste non textrinam instituerit. Mulier est Segestana perdiues, & nobilis Lamia nomine. per trienniũ isti plena domo telarum, stragulam uestem confecit, nihil nõ in conchilio tinctum. Attalus homo pecuniosus nec uulgo Lilybei: Critolaus Ennæ: Syracusis Aeschrio, Cleomenes, Theomnastus: Pelori Archonides, Megistus. uox me citius defecerit quàm nomina. ipse dabat purpuram tantum: amici operas. credo: iam enim non libet omnia cri-

minari. quasi uero hoc mihi non satis sit ad crimen: habuisse tam multum, quod daret: uoluisse deportare tam multa: hoc deniq; quod concedit, amicorũ operis esse in huiuscemodi rebus usum. Iam uero lectos æratos, & candelabra ænea, num cui præter istum Syracusis per triennium facta esse existimatis? emebat credo. sed tantum uos certiores Iudices facio: quid iste in prouincia prætor egerit: ne cui forte nimium negligens fuisse uideatur: neq; se satis, cum potestatem habuerit, instruxisse, & ornasse. Venio nunc non iam ad furtum, non ad auariciam, non ad cupiditatem: sed ad eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi, atq; inesse uideantur: in quo dij immortales uiolati: existimatio, atq; authoritas nominis populi Romani imminuta: hospitium spoliatum, ac proditum: abalienati scelere istius à nobis omnes reges amicissimi, nationesq;, quæ in eorum regno, ac ditione sunt. Nam reges Syriæ regis Antiochi filios pueros scitis Romæ nuper fuisse: qui uenerant non propter Syriæ regnum. nam id sine controuersia obtinebant, ut à patre, et à maioribus acceperant. sed regnum Aegypti ad se, et ad Selenem matrem suam pertinere arbitrabantur. Hi postq̃ temporibus populi Ro. excluſi, per Senatum agere quæ uoluerant, non potuerunt: in Syriam in regnum patrium profecti sunt. eorum alter, qui Antiochus uocatur, iter per Siciliam facere uoluit. itaq; isto prætore uenit Syracusas. Hic Verres hæreditatẽ sibi uenisse arbitratus est: qd' in eius regnum, ac manus uenerat is, quem iste & audierat multa secum præclara habere, & suspicabatur. mittit homini munera satis large: hæc ad usum domesticum, uini, olei, quod usum erat: etiam tritici, quod satis esset, de his decumis.

deinde ipsum Regem ad cœnam uocauit. exornat ample, magnificeq; triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima, ac pulcherrima uasa argentea: nãq; hæc aurea nondum fecerat. omnibus curat rebus instructũ, & paratum ut sit conuiuium. quid multa? rex ita discessit: ut & istum copiose ornatum, & se honorifice acceptum arbitraretur. Vocat ad cœnam deinde ipse Prætorem: exponit suas copias omnes: multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ ut mos est regius, & maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. erat etiam uas uinarium ex una gemma pergrandi, trulla excauata cum manubrio aureo: de qua credo satis idoneum, satis grauem testem Q. Minutium dicere audistis. Iste unumquodq; uas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere prætori Pop. Rom. satis iucundum, & gratum illud esse conuiuium. postea quam inde discessum est: cogitare iste nihil aliud, quàm id quod ipsa res declarauit: nisi quemadmodum Regem ex prouincia spoliatum, expilatumq; dimitteret. mittit rogatum uasa ea, quæ pulcherrima apud illum uiderat: ait se suis cælatoribus uelle ostendere. Rex, qui istum non nosset: sine ulla suspicione, libentissime dedit. mittit etiam trullam gemmeam rogatum: uelle eam se diligentius considerare. ea quoq; ei mittitur. nunc reliquum Iudices attendite: de quo & uos audistis, & populus Ro. non nunc primum audiet: & in exteris nationibus usq; ad ultimas terras peruagatum est. Candelabrum è gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, Reges hi, quos dico, Romam cum attulissent: ut in Capitolio ponerent: quod nondum etiam perfectum templum offenderant: neq; ponere, neq; uulgo ostendere, ac proferre uoluerũt:

ut & magnificentius uideretur: cum suo tempore in cel
la Iouis optimi Maximi poneretur: & clarius, cum pul=
chritudo eius recens ad oculos hominum, atq; integra
perueniret. statuerunt id secum in Syriam reportare:
ut, cum audissent simulacrum Iouis optimi Maximi
dedicatum, legatos mitterent: qui cum cæteris rebus il=
lud quoq; eximium, atq; pulcherrimum donum in Ca=
pitolium afferrent. Peruenit res ad istius aures nescio
quomodo. nam Rex id cœlatum uoluerat: non quo quic
quam metueret, aut suspicaretur: sed ut ne multi illud an
te perciperent oculis, quàm populus romanus. iste petit
à Rege, & eum pluribus uerbis rogat, uti ad se mittat:
cupere se dicit inspicere: neq; se alijs uidendi potestatem
esse facturum. Antiochus qui animo & puerili esset, &
regio: nihil de istius improbitate suspicatus est. imperat
suis ut id in prætorium inuolutum quamoccultissime
deferrent. quo postaquam attulerunt, inuolucrisq; re=
iectis constituerunt: iste clamare cœpit: dignam rem esse
regno Syriæ: dignam regio munere: dignam Capitolio:
etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis, & pluri=
mis gemmis esse debebat: ea uarietate operum, ut ars cer
tare uideretur cum copia: ea magnitudine, ut intelligi
posset non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi
templi ornamentum esse factum. quod cum satis iam per
spexisse uideretur, tollere incipiunt, ut referrent. iste ait,
se uelle illud etiam, atq; etiam considerare: nequaquam
se esse satiatum. iubet illos discedere, & candelabrum re
linquere. sic illi tum inanes ad Antiochum reuertuntur.
Rex primo nihil metuere, nihil suspicari. dies unus, al=
ter, plures: non referri. tum mittit Rex ad istum: si sibi ui
deatur, ut reddat. iubet iste posterius ad se reuerti. mi=

rum illi uideri. mittit iterum. non redditur. ipse homi=
nem appellat: rogat, ut reddat. os hominis, insignemq;
impudentiam cognoscite. quod sciret, quodq; ex ipso
Rege audisset, in Capitolio esse ponendum: quod Ioui
optimo maximo, quod populo romano seruari uideret:
id sibi ut donaret rogare, & uehementer petere cœpit.
Cum ille se, & religione Iouis Capitolini, & hominum
existimatione impediri diceret: quod multæ nationes
testes essent illius operis, ac muneris: iste homini minari
acerrime cœpit. Vbi uidet eũ nihilo magis minis, quàm
precibus permoueri: repente hominem de prouincia iu=
bet ante noctem discedere. ait se comperisse ex eius re=
gno, piratas in Siciliam esse uenturos. Rex maximo cõ=
uentu Syracusis, in fõro, ne quis forte me in crimine ob=
scuro uersari, atq; affingere aliquid suspicione hominũ
arbitretur: Syracusis inquam flens, ac deos, hominesq;
contestans clamare cœpit: Candelabrum factum è gem=
mis, quod in Capitolium missurus esset: quod in templo
clarissimo, populo Ro. monumentũ suæ societatis, ami=
citiæq; esse uoluisset: id sibi C. Verrem abstulisse. de cæte
ris operibus ex auro, & Gemmis, quæ sua penes illum
essent, se non laborare. hoc sibi eripi miserum esse, &
indignum. id etsi antea iam mente, & cogitatione sua,
fratrisq; sui consecratũ esset: tamen tum se in illo cõuen
tu ciuium Ro. dare, donare, dicare, cõsecrare Ioui Opt.
maximo, testemq; ipsum Iouem suæ uoluntatis, ac re=
ligionis habere. Quæ uox? quæ latera? quæ uires hu=
ius unius criminis querimoniam possint sustinere? Rex
Antiochus, qui Romæ ante oculos omniũ nostrum bien
nium ferè comitatu regio, atq; ornatu fuisset: is cum ami
cus, & socius populi romani esset: amicissimo patre,

tuo, maioribus, antiquißimis, & clarißimis Regibus, opulentißimo, & maximo regno, præceps è prouincia populi Ro. exturbatus est. Quemadmodum hoc acceptu ras nationes exteras: quemadmodum huius tui facti fa mam in regna aliorum, atq; in ultimas terras peruentu rã putasti? cũ audierint à Prætore populi Ro. in prouin cia uiolatum Regem: spoliatum hospitem: eiectum sociũ populi romani, atq; amicum? Nomen uestrum populiq; Ro. odio, atq; acerbitati scitote nationibus exteris Iudi ces futurum: si istius hæc tanta iniuria impunita discesse rit. sic omnes arbitrabuntur, præsertim cum hæc omni no fama de nostrorum hominum auaricia, & cupidita te percrebuerit: non istius solius hoc esse facinus, sed eo rum etiam, qui approbarint. multi Reges, multæ liberæ ciuitates, multi priuati opulenti, ac potentes habẽt pro fecto in animo Capitolium sic ornare: ut templi digni tas, imperijq; nostri nomen desiderat. qui si intellexe rint, interuerso regali hoc dono, grauiter uos tulisse: grata fore uobis populoq; Ro. sua studia, ac dona arbi trabuntur. Sin hoc uos, in Rege tam nobili, in re tam exi mia, in iniuria tam acerba neglexisse audierint: non erunt tam amentes, ut operam, curam, pecuniam, im pendant in eas res: quas uobis gratas fore non arbi trentur. Hoc loco Q. Catule te appello. loquor enim de tuo clarißimo, pulcherrimoq; monumento. non iudi cis solum seueritatem in hoc crimine, sed propè inimi ci, atq; accusatoris uim suscipere debes. tuus est enim honos in illo templo Senatus populiq; ro. beneficio: tui nominis æterna memoria simul cum templo illo conse cratur. tibi hæc cura suscipienda: tibi hæc opera sumen da est: ut Capitolium quomodo magnificentius est re

stitutum, sic copiosius ornatum sit: quam fuit: ut illa flam ma diuinitus extitisse uideatur: non quæ deleret Iouis opt. max. templum: sed quæ præclarius magnificen tiusq; deposceret. Audisti Q. Minutium Rufum dice re domi suæ diuersatum esse Antiochum regem Syracu sis: se illud scire ad istum esse delatum: se scire non red ditum. audisti, & audies omnes è conuentu Syracusa no, qui ita dicant: sese audientibus illud Ioui Opt. Max. dicatum esse ab Rege Antiocho, & consecratum. Si iudex non esses, & hæc ad te delata res esset: te po tissimum hoc persequi, te petere, & agere oporteret. quare non dubito, quo animo iudex huius criminis esse debeas: qui apud alium iudicem multo acrior, quàm ego sum, actor, accusatorq; esse deberes. Vobis autem Iu dices, quid hoc indignius, aut quid minus ferendum ui deri potest? Verres ne habebit domi suæ candelabrum Iouis Opt. Max. è gemmis, auroq; perfectum? cuius ful gore collucere, atq; illustrari Iouis Opt. Max. templum oportebat: id apud istum in eiusmodi conuiuijs constitue tur, quæ domesticis stupris, flagitijsq; flagrabunt? in istius lenonis turpissimi domo simul cum cæteris Che lidonis hæreditarijs ornamentis, Capitolij ornamenta ponentur? quid huic sacri unquam fore, aut quid fuisse re ligiosi putatis? qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in iudicium ueniat, ubi ne precari qui dem Iouem Opt. Max. atq; ab eo auxilium petere mo re omnium possit? à quo etiam dij immortales sua repe tunt in eo iudicio: quod hominibus ad suas res repetun das est constitutum. Miramur Athenis Mineruam, Deli Apollinem, Iunonem Sami, Pergæ Dianam, multos præterea ab isto deos tota Asia, greciaq; uiolatos: qui à

capitolio manus abstinere nõ potuerit? quod priuati hõmines de suis pecunijs ornant, ornaturiq; sunt: id C. Verres ab regibus ornari non est passus. Itaq; hoc nefario scelere concepto, nihil postea tota in Sicilia neq; sacri, neq; religiosi esse duxit. ita se se in ea prouincia per triennium gessit: ut ab isto non solum hominibus, uerum etiam dijs immortalibus bellum indictum putaretur. Segesta est opidum peruetus in Sicilia Iudices: quod ab Aenea fugiente à Troia, atq; in hæc loca ueniente, conditum esse demonstrant. Itaq; Segestani non solum perpetua societate, atq; amicitia, uerum etiam cognatione se cum Populo Romano coniunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, cum illa ciuitas cum Pœnis suo nomine, ac sua sponte bellaret: à Carthaginensibus ui captum, atq; deiectum est: omniaq;, quæ ornamento ibi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. fuit apud Segestanos ex ære Simulachrum Dianæ tum summa, atq; antiquissima præditum religione, tum singulari opera, artificioq; perfectum. hoc translatum Carthaginem locum tantum, hominesq; mutarat: religionem quidem pristinam conseruabat. nam propter eximiam pulchritudinem, etiam hostibus digna, quam sanctissime colerent, uidebatur. Aliquot seculis post, P. Scipio bello punico tertio Carthaginem cœpit. quæ in uictoria, uidete hominis uirtutem, & diligentiam: ut & domesticis præclarissimæ uirtutis exemplis gaudeatis: & eò maiore odio dignam istius incredibilem audaciam iudicetis, conuocatis Siculis omnibus, quod diutissime, sæpissimeq; Siciliam uexatam à Carthaginensibus nouerat, iubet omnia conquiri: sibi pollicetur magnæ curæ fore: ut omnia ciuitatibus, quæ cuiusq; fuissent:

fuissent, restituerentur. tum illa quæ quondam fuerant Himera sublata, de quibus antea dixi: Thermitanis sunt reddita. tum alia Gellensibus, alia Agrigentinis. in quibus, etiam ille nobilis Taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur: quo uiuos supplicij causa dimittere homines, & subijcere flammam solebat. quem Taurum Scipio cum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur: æquum esse illos cogitare: utrum esset Siculis utilius, suis ne seruire, an populo Ro. obtemperare? cum idem monumentum & domesticæ crudelitatis, & nostræ mansuetudinis haberent. Illo tempore Segestanis maxima cum cura hæc ipsa Diana, de qua dicimus, redditur. reportatur Segestam: in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione ciuium, & lætitia reponitur. Hæc erat posita Segestæ, sanè excelsa in basi: in qua grandibus literis P. Africani nomen erat incisum: eumq; Carthagine capta restituisse perscriptum. Colebatur à ciuibus: ab omnibus aduenis uisebatur. cum quæstor essem, nihil mihi ab illis est demonstratũ prius. erat admodum amplum, & excelsum signum cum stola: ueruntamen inerat in illa magnitudine ætas, atq; habitus uirginalis: sagittæ pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum: dextra ardentem facem præferebat. Hæc cum iste sacrorum omnium hostis, religionumq; prædo uidisset: quasi ipsa illa face percussus esset, ita flagrare cupiditate, atq; amentia cœpit. imperat magistratibus iste, ut eã demoliantur, & sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. illi uero dicere id sibi nefas esse: seq; cum summa religione, tum summo metu legum, & iudiciorum teneri. iste tum petere ab illis, tum minari, tum spem, tum metum ostendere. opponebant illi

interdum nomen Africani:donum populi Ro. illud esse dicebant:nihil se in eo potestatis habere:quod imperator clarissimus,urbe hostium capta, monumentum victoriæ populi Rom.esse uoluisset. Cum iste nihilo remissius, atq; etiam multo uehementius instaret quotidie,res agitur in Senatu:uehementer ab omnibus reclamatur.itaq; illo tempore,ac primo istius aduentu pernegatur. postea quicquid erat oneris in nautis, remigibusq; exigendis, in frumento imperando, Segestanis præter cæteros imponebat aliquanto amplius,quàm ferre possent.præterea magistratus eorum euocabat:optimum & nobilissimum quenq; ad se accersebat: circum omnia prouincia fora rapiebat: sigillatim unicuiq; calamitati fore se denunciabat: uniuersam se funditus illam euersurum esse ciuitatem minabatur. Itaq; aliquando multis malis, magnoq; metu uicti Segestani prætoris imperio parendum esse decreuerunt, magno cum luctu,& gemitu totius ciuitatis,multis cum lachrymis, & lamentatione uirorum,mulierumq; omnium.simulacrum Dianæ tollendum locatur. Videte quanta religione fuerit.apud Segestanos repertum esse Iudices scitote neminem neq; liberum,neq; seruum,neq; ciuem,neq; peregrinum,qui illud signum auderet attingere. barbaros quosdam Lilybeo scitote aduocatos esse operarios.hi deniq; illud ignari totius negocij,ac religionis, mercede accepta sustulerunt. Quod cum ex oppido exportaretur:quem conuentum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum maiorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana Segestam Carthagine reuecta,uictoriã populi Ro.reditu suo nunciasset.quàm dissimilis hic dies illi tempori uidebatur?tum

Imperator populi Ro.uir clarissimus deos patrios reportabat Segestanis,ex urbe hostium recuperatos. nunc ex urbe sociorum prætor eiusdem populi turpissimus, atq; impurissimus,eosdem illos deos nefario scelere auferebat.quid hoc tota Sicilia est clarius? quàm omnes Segestanas matronas,& uirgines conuenisse,cum Diana exportaretur ex oppido?unxisse unguentis?complesse coronis,et floribus?thure odoribusq; incensis, usq; ad agri fines prosecutas esse? Hanc tu tantam religionem si tum in imperio propter cupiditatem,atq; audaciam nõ pertimescebas:ne nunc quidẽ in tanto tuo,liberorumq; tuorum periculo perhorrescis? quem tibi aut hominem,inuitis dijs immortalibus,aut uero deum tantis eorum religionibus uiolatis auxilio futurum putas?tibi illa Diana in pace, atque in ocio religionem nullam attulit? quæ cum duas urbes,in quibus locata fuerat,captas incensasq; uidisset: bis ex duorum bellorum flamma, ferroq; seruata est: quæ Carthaginensium uictoria loco mutato, religionem tamen non amisit: P. Africani uirtute, religionem simul cum loco recuperauit. Quo quidem scelere suscepto,cum inanis esset basis: & in ea P.Africani nomen incisum, res indigna, atque intoleranda uidebatur omnibus:non solum religiones esse uiolatas, uerum etiam P. Africani uiri fortissimi,rerum gestarum gloriam, memoriam uirtutis, monumenta uictoriæ, C. Verrem sustulisse. Quod cum isti renunciaretur de basi,ac literis: existimauit homines in obliuionem totius negocij esse uenturos: si etiam basim tanquam indicem sui sceleris,sustulisset. itaq; tollendam istius imperio locauerunt. quæ uobis locatio ex publicis Segestanorum literis priore actione recitata est. Te nunc

P. Scipio, te inquam lectissimum, ornatissimumq; adolescentem appello: abs te officium tuum debitum generi, & nomini requiro: & flagito. cur pro isto, qui laudem honoremq; familiæ uestræ depeculatus est: pugnas? cur eum defensum esse uis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus sustineo? M. Tullius P. Africani monumenta requirit: P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit. cum mos à maioribus traditus sit: ut monumenta maiorum ita suorum quisq; defendat: ut ea ne ornari quidem nomine alieno sinat: tu isti aderis? qui non obtrusit aliqua ex parte monumenta P. Scipionis: sed funditus sustulit, ac deleuit. Quis nam igitur per deos immortales tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? quis monumenta, atq; indicia uirtutis? si tu ea relinquis, ac deseris: neq; solum spoliata illa patiere, sed etiam eorum spoliatorem uexatoremq; defendes? Adsunt Segestani clientes tui, socij Populi Rom. atq; amici: certiorem te faciunt, P. Africanum Carthagine deleta simulacrum Dianæ maioribus suis restituisse: idq; apud Segestanos eius imperatoris nomine positum, ac dedicatum fuisse: hoc Verrem demoliendum, & asportandum, nomenq; omnino P. Scipionis delendum, tollendumq; curasse. orant te atq; obsecrant: ut sibi religionem, generi tuo laudem, gloriamq; restituas: ut quod ex urbe hostium per P. Africanum recuperarint: id per te ex prædonis domo conseruare possint. quid aut his respondere honeste potes, aut illi facere? nisi ut te, ac fidem tuam implorent? adsunt, & implorant. potes domesticæ laudis amplitudinem Scipio tueri, potes. omnia in te sunt: quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur. non præcerpo fructum officij tui: non alienam mihi lau-

dem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione florentissimo adolescente uiuo & incolumi, me propugnatorem monumentorum P. Scipionis, defensoremq; profiteri. quamobrem si suscipis domesticæ laudis patrocinium: me non solum silere de uestris monumentis oportebit, sed etiam lætari, P. Africani eiusmodi esse fortunas mortui: ut eius honos ab ijs, qui ex eadem familia sint, defendatur: neque ullum aduenticium requiratur auxilium. Si istius amicitia te impediet: si hoc, quod abs te postulo, ad officium tuum minus pertinere arbitrabere: succedam ego uicarius tuo muneri: suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar: ne ista præclara nobilitas desinat queri, populum Rom. hominibus nouis, atq; industrijs libenter honores mandare, semperq; mandasse. Non est querendum in ea ciuitate, quæ propter uirtutem omnibus nationibus imperat, uirtutem plurimum posse. sit apud alios imago P. Africani: ornentur alij mortui uirtute, ac nomine. talis ille uir fuit: ita de populo Rom. meritus est: ut non uni familiæ, sed uniuersæ ciuitati commendatus esse debeat. Est aliqua mea pars uirilis, quod eius ciuitatis sum: quam ille amplam, illustrem, claramq; reddidit: præcipue quod in his artibus pro mea parte uersor: quarum ille princeps fuit: æquitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum: quæ cognatio studiorum, & artium propemodum non minus est coniuncta, quàm ista, qua uos delectamini generis, & nominis. Repeto abs te Verres monumentum P. Africani: causam Siculorum, quam suscepi, relinquo: iudicium de pecunijs repetundis ne sit hoc tempore: Segestanorum iniuriæ negligantur: basis P. Africani restituatur: nomen inuictissimi Imperæ

toris incidatur: signum pulcherrimum Carthagine captum reponatur. hæc abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant: sed is, qui laudem, gloriamq; P. Africani tuendam, conseruandamq; suscepit. non uereor ne hoc officium meum P. Seruilio iudici non probem: qui cum res maximas gesserit, monumentaq; suarum rerum maxime constituat, atq; in his elaboret: profecto uolet hæc non solum suis posteris, uerum etiam omnibus uiris fortibus, & bonis ciuibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non uereor ne tibi. O Catule displiceat, cuius amplissimum in orbe terrarum, clarissimumq; monumentum est: quamplurimos esse custodes monumentorum: & putare omnes bonos alienæ gloriæ defensionem, ad officium suum pertinere. Et quidem cæteris istius furtis, atq; flagitijs ita moueor: ut ea reprehendenda tantum putem. hic uero tantum dolore afficior: ut nihil mihi indignius ferendum uideatur. Verres Africani monumentis domum suam plenam stupri, plenam flagitij, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatissimi, sanctissimiq; uiri monumentum, Dianæ simulacrum uirginis, in ea domo collocabit? in qua semper meretricum lenonumq; flagitia uersantur? At hoc solum Africani monumentum uiolasti? quid? à Tindaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurij pulcherrime factum sustulisti? at quemadmodum dij immortales? quàm audacter, quàm libidinose, quàm impudenter? audistis nuper dicere legatos Tindaritanos, homines honestissimos, ac principes ciuitatis, Mercurium, qui sacris anniuersarijs apud eos, ac summa religione colretur: quem P. Africanus Carthagine ca-

pta Tindaritanis non solum suæ uictoriæ, sed etiam illorum fidei, societatisq; monumentum, atq; indicium dedisset: huius ui, scelere, imperioq; esse sublatum. qui ut primum in illud oppidum uenit: statim tanquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset: tanquam hoc Senatus mandasset, populusq; Ro. iussisset: ita continuo signum ut demolirentur, & Messanam deportarent, imperauit. quod cum illis, qui aderant, indignum: qui audiebant, incredibile uideretur: non est ab isto primo illo aduentu perfectum. discedens mandat Proagoro Sopatro, cuius uerba audistis, ut demoliatur. cum recusaret, uehementer minatur. ita tum ex illo oppido proficiscitur. Proagorus refert rem ad Senatum: uehementer undiq; reclamatur. ne multa. iterum iste aliquanto post ad illos uenit: quærit continuo de signo. respondetur ei, Senatum non permittere: pœnam capitis constitutam, si iniussu Senatus quisquam attigisset. simul religio commemorabatur. Tum iste, quam mihi religionem narras? quam pœnam? quem Senatum? uiuum te non relinquam: moriere uirgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad Senatum defert istius cupiditatem, minasq; demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat: sed commotus, perturbatusq; discedit. Ille prætoris accersitus nuncio, rem demonstrat: negat ullo modo fieri posse. Atq; hæc, nihil enim prætermittendum de istius impudentia uidetur, agebantur in cõuentu palàm, de sella, ac de loco superiore. Erat hyems summa: tempestas, ut ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida: imber maximus, cum iste imperat licторibus ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, præcipitem in forum deiciant, nudumq; constituant. uix erat hoc planè etiam

imperatum, cum illum spoliatum, stipatumq; lictoribus uideres. omnes ideo putabant, ut miser atq; innocens uirgis cederetur. fefellit hæc homines opinio. uirgis iste cederet sine causa socium populi Ro. atq; amicum? nõ usq; eo est improbus: nõ omnia sunt in eo uno uitia: nunquam fuit crudelis. leuiter hominem, clementerq; accepit. eque stres sunt medio in foro Marcellorum statuæ: sicuti ferè cæteris in oppidis Siciliæ. ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit: cuius officia in illa ciuitate, totaq; prouincia recentissima erant, & maxima. in ea Sopatrum hominem, tum domi nobilem, tum summo magistratu præditum diuaricari, ac deligari iubet. Quo cruciatu sit affectus uenire in mentem necesse est omnibus: cum esset uinctus, nudus, in aere, in hymbri, in frigore. neq; tamen finis huic iniuriæ, crudelitatiq; fiebat: donec populus, atq; uniuersa multitudo atrocitate rei, misericordiaq; cõmota, Senatum clamore coegit: ut ei simulachrũ illud Mercurij polliceretur. clamabant fore, ut ipsi sese dij immortales ulciscerentur: hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens Senatus ad eũ uenit: pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, cum iam penè obriguisset: uix uiuus aufertur. Non possum dispositè istum accusare, si cupiam. opus est non solum ingenio, uerum etiam artificio quodam singulari. unum hoc crimen uidetur esse: & à me pro uno ponitur de Mercurio Tindaritano. plura sunt. sed ea quo pacto distinguere, ac separare possim, nescio. est pecuniarum captarum: quod signum à socijs pecuniæ magnæ sustulit. est peculatus: quod publice populi Ro. signum, de præda hostium captum, positum Imperatoris nostri nomine, non dubitauit auferre. est maiestatis: qd

imperij nostri gloriæ, rerumq; gestarum monumenta euertere, atq; asportare ausus est. est sceleris: quod religiones maximas uiolauit. est crudelitatis: quod in hominem innocentem, in socium nostrum, atq; amicum, nouum, ac singulare supplicij genus excogitauit. illud uero quid sit, iam non queo dicere: quo nomine appellem, nescio, quod in C. Marcelli statua. quid est hoc? patronus ne quod erat? quid tum? quo id spectat? utrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium, atq; hospitum ualere debebat? an ut hoc ostenderes? contra uim tuam in patronis nihil præsidij esse? quis hoc non intelligeret: in improbi præsentis imperio maiorem esse uim, quàm in bonorum absentium patrocinio? an uero ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia? detrahere uidelicet aliquid te de magnitudine Marcellorum putasti. itaq; nunc Siculorum Marcelli non sunt patroni: Verres in eorum locum substitutus est. quam in te tantam uirtutem esse, aut dignitatem arbitratus es? ut conarere clientelam tam illustrem, tam splendidæ prouinciæ, transducere ad te: auferre à certissimis antiquissimisq; patronis? tu ista stultitia, nequitia, inertia, nonmodo totius Siciliæ, sed unius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem illi habuerant, supplicia quærebas? quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrabare? an uero id quod accidit? Nam Tindaritani statuam istius, quam sibi propter Marcellos, altiore etiã basi poni iusserat, deturbarunt, simulac successum isti audierunt. Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem: ut cuius ad statuam Siculi te prætore alliga

bantur: eius religioni te eundem uinctum, astrictumq; dedamus. Ac primo Iudices hoc signum Mercurij dicebat iste, Tindaritanos C. Marcello huic Aesernino uendidisse: atq; hoc sua causa etiam Marcellum ipsum sperabat esse dicturum. quod mihi nunquam uerisimile uisum est: adolescentem illo loco natum, patronum Siciliæ, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. ueruntamen ita res mihi tota præuisa, atq; præcauta est: uti si maxime esset inuentus: qui in se suscipere istius culpam, crimenq; cuperet: tamen is proficere nihil posset. eos enim testes deduxi, & eas literas deportaui: ut de istius facto dubium nemini esse posset. Publicæ literæ sunt, deportatum esse Mercurium Messanam sumptu publico: dicunt quanti: præfuisse huic negocio publice legatum Poleam. quid is? ubi est? præsto est: testis est. Proagori Sopatri iussu. quis est hic? qui ad statuam astrictus est. quid is? ubi est? testis est. uidistis hominem: & uerba eius audistis. demoliendum curauit Demetrius Gymnasiarchus: quod is ei loco præerat. quid? hoc nos dicimus? immo uero ipse præsens: Romæ, nuper istum esse pollicitum, sese id signum legatis esse redditurum: si eius rei testificatio tolleretur, cautumq; esset eos testimonium non esse dicturos. Dixit hoc apud uos Zosippus, & Hismenias homines nobilissimi, & principes Tindaritanæ ciuitatis. Quid Agrigento? nonne eiusdem P. Scipionis monumentum, signum Apollinis pulcherrimum, cuius in femine literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum: ex Aesculapij religiosissimo fano sustuliſti? quod iste Iudices cum clàm fecisset: cum ad suum scelus illud, furtumq;, nefarios quos-

dam homines improbos duces, atq; adiutores adhibuisse, uehementer commota ciuitas est. uno eodem tempore Agrigentini, beneficium Africani, religionem domesticam, ornamentum urbis, indicium uictoriæ, testimonium societatis, requirebant. itaq; ab illis, qui principes in ea ciuitate erant, præcipitur, & negocium datur quæstoribus, & ædilibus: ut noctu uigilias agerent ad ædes sacras. etenim iste Agrigenti, credo propter multitudinẽ illorum hominum, atq; uirtutem, & quod ciues Ro. uiri fortes, ac strenui, & honesti permulti in illo oppido coniunctissimo animo cum ipsis Agrigentinis uiuunt, ac negociantur: non audebat palàm tollere, aut poscere, quæ placebant. Herculis templum est apud Agrigentinos, non longe à foro, sanè sanctum apud illos, & religiosum. ibi est ex ære simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quicquam dixerim me uidisse pulchrius. tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quàm multa uidi. usq; eo Iudices, ut rictus eius, ac mentum paulo sit attritius: quod in precibus, & gratulationibus non solum id uenerari, uerum etiam osculari solent. Ad hoc templum, cum esset iste Agrigenti: duce Timarchide repente nocte intempesta seruorum armatorum fit concursus, atq; impetus. clamor à uigilibus, faniq; custodibus tollitur. qui primo cum obsistere, ac defendere conarentur, male multati clauis, ac fustibus repelluntur. postea conuulsis repagulis, effractisq; ualuis, demoliri signum, ac uectibus labefactare conantur. interea ex clamore fama tota urbe percrebuit: expugnari deos patrios, non hostium aduentu, neq; repentino prædonum impetu: sed ex domo, atq; cohorte prætoria manum fugitiuorum instructam, armatamq; uenisse.

nemo Agrigenti neq; ætate tam affecta, neq; uiribus tam infirmis fuit: qui non illa nocte eo nuncio excitatus, surrexerit: telumq;, quod cuiq; fors offerebat, arripuerit. itaq; breui tempore ad fanum ex urbe tota concurritur. Hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur: illud interea nulla lababat ex parte: cum alij uectibus subiectis conarentur commouere, alij deligatum omnibus membris rapere ad se funibus: repente Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio: dant sese in fugam istius præclari imperatoris nocturni milites. duo tamen sigilla perparuula tollunt: ne omnino inanes ad istum prædonem religionum reuerterentur. nunquam tantum mali est Siculis, quin aliquid facete, & commode dicant. uelut in hac re. aiebant in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem, q̃ illum aprum Erimanthium referri oportere. Hanc uirtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini postea uiri fortes, & fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neq; tam ex nobili ciuitate: Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. Is apud illos habetur deus: & religione maxima colitur. fanum est eius in agro, propter ipsam uiam, qua Assoro itur Ennam. in eo Chrysæ est simulachrum præclare factum è marmore. id iste poscere Assorinos propter singularem eius fani religionem non ausus est. Tlepolemo dat, Hieroniq; negocium. illi noctu facta manu, armatiq; ueniunt: fores ædis effringunt. æditui, custodesq; mature sentiunt: signum, quod erat notum uicinitati, buccina datur: homines ex agris concurrunt: eijcitur. fugaturq; Tlepolemus: neq; quicquam ex fano Chrysæ, præter unum perparuulum signum ex ære, desideratum est. Matris ma

gnæ fanum apud Enguinos est. iam enim mihi nonmodo breuiter de unoquoq; dicendum est: sed etiam prætreunda uidentur esse permulta: ut ad maiora istius, & illustriora in hoc genere furta, & scelera ueniamus. In hoc fano loricas, galeasq; æneas, cælatas opere corinthio, hydriasq; grandes simili in genere, atq; eadem arte perfectas, idem ille P. Scipio, uir omnibus rebus præcellentissimus posuerat, & suum nomen inscripserat. quid iam de isto plura dicam, aut querar? omnia illa iudices abstulit: nihil in religiosissimo fano, præter uestigia uiolatæ religionis, nomenq; P. Scipionis reliquit. hostiũ spolia, monumenta imperatorum, decora, atq; ornamenta fanorum, posthac his præclaris nominibus amissis in instrumento, ac suppellectili C. Verris numerabuntur. tu uidelicet solus uasis corinthijs delectaris? tu illius æris temperationem: tu operum liniamenta solertissime perspicis? hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus, atq; humanissimus? tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis, intelligis, & iudicas? uide ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia te, atq; istos, qui se elegantes dici uolunt, uicerit. nam quia quàm pulchra essent intelligebat, iccirco existimabat ea, non ad hominum luxuriem, sed ad ornatum fanorum, atq; oppidorum esse facta: ut posteris nostris monimenta religiosa esse uideantur. Audite etiam singularem eius iudices cupiditatem, audaciam, amentiam: in his præsertim sacris polluendis: quæ nonmodo manibus attingi, sed ne cogitatione quidẽ uiolari fas fuit. Sacrarium Cereris est apud Catinenses, eadem religione qua Romæ, qua in cæteris locis, quæ propè in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit

signum Cereris perantiquum: quod uiri, nonmodo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant. aditus enim in id sacrarium non est uiris. sacra per mulieres, ac uirgines confici solent. hoc signum noctu clàm istius seruui, ex illo religiosissimo, atq; antiquissimo fano sustulerunt. postridie sacerdotes Cereris, atq; illius fani antistites, maiores natu, probatæ, ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt. omnibus acerbum, indignum, luctuosum deniq; uidebatur. tum iste permotus illa atrocitate negocij, ut ab se sceleris istius suspicio remoueretur: dat hospiti suo cuidam negocium: ut aliquem reperiret, quem ea fecisse insimularet, daretq; operam, ut is eo crimine damnaretur: ne ipse esset in crimine. res non procrastinatur. nam cum iste Catinam profectus esset: serui cuiusdam nomen defertur. is accusatur: ficti testes in eum dantur: rem cunctus Senatus Catinensium, legibus iudicat. sacerdotes uocantur: ex his quæritur secreto in curia, quid esset factum: quemadmodum arbitrarentur signum esse ablatum. respondent illæ, prætoris in illo loco seruos esse uisos. res, quæ esset antea non obscura: Sacerdotũ testimonio perspicua esse cœpit. itur in consilium: seruus ille innocens omnibus sententijs absoluitur, quo facilius uos hunc omnibus sententijs cõdemnare possetis. qd enim postulas Verres? quid speras? qd spectas? quem tibi aut deorum, aut hominum auxilio putas futurum? eò ne tu seruos ad spoliandũ fanum immittere ausus es? quo liberos adire ne orandi quidem causa fas erat? his ne rebus manus afferre non dubitasti? à quibus etiam oculos cohibere te religionum iura cogebant? tametsi, ne oculis quidem captus in hanc fraudem, tam sceleratam, ac tam nefariam decidisti. nam id concupi-

sti, quod nunquam uideras: id inquam adamasti, quod antea non aspexeras. auribus tu tantam cupiditatem concepisti: ut eam non metus, non religio, non deorum uis, non hominum existimatio contineret. At ex uiro bono audieras credo, & bono authore. qui id potest? qui ne ex uiro quidem audire potueris. audisti igitur ex mulieribus: quoniam id uiri neq; uidisse, neq; nosse poterant. quælem porrò illam fœminam fuisse putatis Iudices? quàm pudicam, quæ cum Verre loqueretur? quàm religiosam, quæ sacrariũ spoliandi ostenderet rationem? at minime mirum: quæ sacra per summam castimoniam uirorum, ac mulierum erant: eadem per istius stuprum, ac flagitium esse uiolata. Quid ergo? hoc solum auditione expetere cœpit: cum id ipse non uidisset? imo uero alia complura. ex quibus eligam spoliationem nobilissimi, atq; antiquissimi fani: de qua priore actione testes dicere audistis. nunc illa eadem quæso audite, & diligenter, sicut adhuc feciſtis, attendite. Insula est Melita Iudibus, satis lato ab Sicilia mari, periculosoq; disiuncta: in qua est eodem nomine oppidum: quo iste nunquam accessit. quod tamen isti textrinum per triennium ad muliebrem uestem conficiendam fuit. Ab eooppido non longe, in promontorio fanum est Iunonis antiquum: quod tanta religione semper fuit: ut nonmodo illis punicis bellis, quæ in his ferè locis nauali prælio gesta, atq; uersata sunt: sed etiam in hac prædonum multitudine semper inuiolatum, sanctumq; fuerit. quin etiam hoc memoriæ proditum est, classe quondam Masinissæ regis ad eum locum appulsa, præfectum regium dentes eburneos incredibili magnitudine è fano sustulisse: & eos in Africam portasse, Masinissæq; donasse. regẽ quidem pri-

mo delectatũ esse munere: post, ubi audisset unde essent, statim certos homines in qnqueremi misisse: qui eos dentes reportarent. itaq; in his inscriptũ literis punicis fuit: Regem Masinissam imprudẽtem accepisse: re cognita reponendos, restituendosq; curasse. Erat praterea magna uis eboris: multa ornamenta: in quibus eburneæ uictoriæ antiquo opere, ac summa arte perfectæ. Hæc iste omnia, ne multis morer, uno impetu, atq; uno nuncio per seruos Venerios, quos eius rei causa miserat, tollẽda, atq; asportanda curauit. Pro dij immortales quem ego hominem accuso? quem legibus, ac iudiciali iure persequor? de quo uos sententiam per tabellam feretis? dicunt legati Melitẽses publice, spoliatum templum esse Iunonis: nihil istum in religiosissimo fano reliquisse: quem in locum classes hostiũ sæpe accesserint: ubi piratæ ferè quot annis hyemare solebãt: quod neq; prædo uiolauerit antea, neq; hostis attigerit: id ab uno isto sic spoliatum esse: ut nihil omnino sit relictũ. hic nunc aut iste reus, aut ego accusator, aut hoc iudiciũ appellabitur? criminibus enim coarguitur: aut suspicionibus in iudicium uocatur. dij ablati, fana uexata, nudatæ urbes reperiuntur. earum autem rerum nullam sibi iste neq; inficiandi rationem, neq; defendẽdi facultatem reliquit: omnibus in rebus coarguitur à me: conuincitur à testibus: urgetur cõfessione sua: manifestis in maleficijs tenetur: & manet etiam, ac tacitus facta mecum sua recognoscit. Nimium mihi diu uideor in uno genere uersari criminum: sentio Iudices occurrendum esse satietati aurium, animorumq; uestrorum. quamobrem multa prætermittam. ad ea autem, quæ dicturus sum, reficite uos quæso Iudices per deos immortales: per eos ipsos, de quorum religione iam dij-

dicimus:

dicimus, dum id eius facinus cõmemoro, et profero: quo prouincia tota cõmota est. de quo si paulo altius ordiri, ac repetere memoriã religionis uidebor, ignoscite. rei magnitudo me breuiter perstringere atrocitatem criminis non sinit. Vetus est hæc opinio Iudices: quæ constat ex antiquissimis græcorũ literis, atq; monumẽtis: insulam Siciliã totam esse Cereri, et Liberæ cõsecratam. hoc cum cæteræ gentes sic arbitrantur: tum ipsis Siculis tã persuasum est, ut animis eorum insitum, atq; innatum esse uideatur. nam & natas esse has in his locis deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur: & raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam uocant: ex Ennensium nemore: qui locus, quod in mediã est insula situs, umbilicus Siciliæ nominatur. quam cum inuestigare, & conquirere Ceres uellet, dicitur inflam masse thædas ijs ignibus: qui ex ætnæ uertice erumpunt: quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum. Enna autem, ubi ea, quæ dico gesta esse memorantur, est loco præcelso, atque edito: quo in summo est æquata agri planicies, & aquæ perennes: tota uero omni aditu circuncisa, atq; direpta est. quam circa lacus, luciq; sunt plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni: locus ut ipse raptum illum uirginis, quem iam à pueris accepimus, declarare uideatur. Etenim propter est spelunca quædam, conuersa ad aquilonem, infinita altitudine: qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptãq; ex eo loco uirginem secum asportasse: & subito non longe à Syracusis penetrasse sub terras: lacumq; in eo loco repente extitisse: ubi usq; ad hoc tempus Syracusani festos dies anniuersarios agunt, celeberrimo uirorum, mulierumq;

conuentu. propter huius opinionis uetustatem, quod eorum in his locis uestigia, ac propè incunabula reperiuntur deorum: mira quædam tota Sicilia priuatim, ac publice religio est Cereris Ennensis. etenim multa sæpe prodigia uim eius, numenq; declarant: multis sæpe in difficilimis rebus præsens auxilium eius oblatum est: ut hæc insula ab ea non solum diligi, sed etiam incoli, custodiriq; uideatur. nec solum Siculi, uerum etiam cæteræ gentes, nationesq; Ennensem Cererem maxime colunt. etenim si Athenienſium sacra summa cupiditate expetuntur: ad quos Ceres in illo errore uenisse dicitur, frugesq; attulisse: quantam esse religionem conuenit eorum: apud quos etiam natam esse, & fruges inuenisse constat? itaq; apud patres nostros atroci, ac difficili Reipub. tempore, cum Tib. Graccho occiso magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur: P. Mutio, L. Calphurnio Conss. aditum est ad libros Sybillinos: in quibus inuentum est Cererem antiquissimam placari oportere. tum ex amplissimo collegio decemuirali Sacerdotes populi Ro. cum esset in urbe nostra Cereris pulcherrimum, & magnificentissimum templum: tamen usque Ennam profecti sunt. tanta enim erat authoritas, & uetustas illius religionis: ut cum illuc irent, non ad ædem Cereris, sed ad ipsam Cererem proficisci uiderentur. Non obtundam diutius aures uestras: iam dudum uereor, ne oratio mea aliena ab iudiciorum ratione, & quotidiana dicendi consuetudine esse uideatur. hoc dico, hanc ipsam Cererem, antiquissimam, religiosissimam, principem omnium sacrorum, quæ apud omnes gentes, nationésque fiunt: à C. Verre ex suis templis, ac sedibus esse sublatam. Qui acces-

sis Ennam, uidistis simulacrum Cereris è marmore: & in altero templo Liberæ. sunt ea perampla, atq; præclara, sed non ita antiqua. ex ære fuit quoddam modica amplitudine, ac singulari opere, cum facibus, perantiquum, omnium illorum, quæ sunt in eo fano, multo antiquissimum. id sustulit. ac tamen eo contentus non fuit. ante ædem Cereris in aperto, ac propatulo loco signa duo sunt, Cereris unum, alterum Triptolemi, & pulcherrima, & perampla. his pulchritudo periculo, amplitudo saluti fuit: quod eorum demolitio, atque asportatio perdifficilis uidebatur. insistebat in manu Cereris dextra simulacrum pulcherrime factum uictoriæ. hoc iste è signo Cereris auellendum, asportandumq; curauit. Qui tandem istius animus est nunc in recognitione scelerum suorum? cum ego ipse in commemoratione eorum non solum animo commouear: uerum etiam corpore perhorrescam. Venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem: uersantur ante oculos omnia: dies ille, quo ego Ennam cum uenissem: præsto mihi Sacerdotes Cereris cum infulis, ac uerbenis fuerunt: concio, conuentusq; ciuium: in quo ego cum loquerer: tanti fletus, gemitusq; fiebant, ut acerbissimus tota urbe luctus uersari uideretur. non illi Decumarum imperia, non bonorum direptiones, non iniqua iudicia, non importunissimas istius libidines, non uim, non contumelias, quibus operti oppressiq; erant, conquerebantur: Cereris numen, sacrorum uetustatem, fani religionem, istius sceleratissimi, atque audacissimi supplicio expiari uolebant. omnia se cætera pati ac negligere dicebant. hic dolor erat tantus, ut Verres alter Orcus uenisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam

abripisse Cererem uideretur. etenim urbs illa, non urbs uidetur, sed fanum Cereris esse. habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur. ut mihi non ciues illius ciuitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolæ, atq; antistites Cereris esse uideantur. Ennæ tu simulacrum Cereris tollere audebas? Ennæ tu de manu Cereris uictoriam diripere, & deam deæ detrahere conatus es? quorum nihil uiolare, nihil attingere ausi sunt, in quibus erant omnia quæ sceleri propriora sunt, quàm religioni. Tenuerunt enim P. Popilio, P. Rupilio Conss. illum locum serui, fugitiui, barbari, hostes. sed neque tam serui illi dominorum, quàm tu libidinum: neque tam fugitiui illi à dominis, quàm tu à iure, & à legibus: neque tam barbari lingua & natione illi, quàm tu natura, & moribus: neq; illi tam hostes hominibus: quàm tu dijs immortalibus. quæ deprecatio est igitur ei reliqua? qui indignitate seruos, temeritate fugitiuos, scelere barbaros, crudelitate hostes uicerit? Audistis Theodorum, & Numinium, & Nicasionem Legatos Ennenses publice dicere: sese à suis ciuibus hæc habere mandata: ut ad Verrem adirent: & eum simulacrum Cereris, & Victoriæ reposcerent: id si impetrassent, tum ut morem ueterem Ennensium conseruarent: publice in eum, tametsi uexasset Siciliam: tamen, quoniam hæc à maioribus constituta accepissent, testimonium ne quod dicerent. sin autem ea non reddidisset: tum ut iudicio adessent: tum uti de eius iniurijs iudices docerent: sed multo maxime de religione quererentur. quas illorum querimonias nolite per deos immortales aspernari: nolite contemnere, ac negligere Iudices. Aguntur iniuriæ sociorum: agitur ius legum: agitur existimatio, ueritasq; iudiciorum.

quæ sunt omnia permagna, uerum illud maximum. tanta religione obstricta tota prouincia est: tãta superstitio ex istius facto mentes omnium Siculorum occupauit: ut quæcunq; accidant publice, uel priuatim incommoda: propter eam causam scelere istius euenire uideantur. Audistis Centuripinos, Agyrinenses, Catinenses, Herbitenses, Ennenses, complures alios, publice dicere, quæ solitudo esset in agris, quæ uastitas, quæ fuga aratorum: quàm deserta, quàm inculta, quàm relicta omnia. ea tãetsi istius multis, & uarijs iniurijs acciderũt: tamen hæc una causa in opinione Siculorum plurimum ualet: quod Cerere uiolata, omnes cultus, fructusq; Cereris, in his locis interijsse arbitrantur. Medemini religioni sociorum Iudices: conseruate uestram authoritatem. neque enim hæc externa nobis est religio, neq; aliena. quod si esset, si suscipere eã nolletis: tamen in eo, q̃ uiolasset, sancire uos uelle oporteret. nunc uero in communi omnium gentium religione, inq; his sacris, quæ maiores nostri ab exteris nationibus adscita, atque accersita coluerunt: quæ sacra, ut erant re uera, sic appellari Græca uoluerunt: negligentes, ac dissoluti, si cupiamus esse, qui possumus? Vnius etiam urbis omnium pulcherrimæ, atq; ornatissimæ Syracusarum direptionem commemorabo: & in medium proferam Iudices: ut aliquando totam huius generis orationem concludam, ac definiam. Nemo ferè uestrum est, quin, quemadmodum captæ sint à M. Marcello Syracusæ, sæpe audierit: nonnunquam etiam in annalibus legerit. conferte hanc pacem, cum illo bello: huius prætoris aduentum, cum illius imperatoris uictoria: huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidines, cum illius continentia. ab il

lo, qui cœpit conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Nunc iam illa omitto: quæ dispersè à me multis locis dicentur, ac dicta sunt: forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli à plurima cæde seruatum est: id aduentu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse: portum Syracusanorum, qui tum & nostris classibus, & Carthaginensium clausus fuisset: eum isto prætore Cilicum myoparoni, prædonibusq; patuisse, mitto adhibitam uim ingenuis: matres familias uiolatas. quæ tum urbe capta commissa non sunt, neque odio hostili, neq; licentia militari, neq; more belli, neq; iure uictoriæ. mitto inquam hæc omnia: quæ ab isto per triennium perfecta sunt. ea, quæ coniuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. Vrbem Syracusas maximam esse græcarum urbium, pulcherrimamq; omnium sæpe audistis. est Iudices ita, ut dicitur. nam et situ est communito, tum ex omni aditu, uel terra, uel mari præclaro ad aspectum: & portus habet propè in ædificatione, aspectuq; urbis inclusos: qui cum diuersos inter se aditus habeant, in exitu coniunguntur, & confluunt. eorum coniunctione, pars oppidi, quæ appellatur insula: mari disiuncta angusto, ponte rursum adiungitur, & continetur. Ea tanta est urbs: ut ex quatuor urbibus maximis cõstare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, Insula: quæ duobus portubus cincta, in utrisq; portus ostium, aditumq; proiecta est: in qua domus est quæ Regis Hieronis fuit: qua prætores uti solent. in ea sunt ædes sacræ complures: sed duæ, quæ longe cæteris antecellunt: Dianæ una, & altera, quæ fuit ante istius aduentum ornatißima, Mineruæ. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est: incredibili magnitudine, plenißimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione, ac mole lapidum à mari disiunctus esset. Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatißimum prytaneum, amplißima est curia, templumq; egregium Iouis Olympij: cæteraq; urbis partes una lata uia perpetua, multisq; transuersis duisæ, priuatis ædificijs continentur. Tertia est urbs: quæ quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit: Tyche nominata est: in qua & gymnasium amplißimum est, & complures ædes sacræ: colituræq; ea pars, & habitatur frequentißime. Quarta autem est urbs: quæ quia postrema ædificata est: Neapolis nominatur: quam ad summam Theatrum est maximum: præterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberæ, signumq; Apollinis qui Thesmotes uocatur pulcherrimum, & maximum: quod iste si portare potuisset, non dubitasset auferre. Nunc ad Marcellum reuertar: ne hæc à me sine causa commemorata esse uideantur. qui cum tam præclaram urbem ui, copijsq; cœpisset, non putauit ad laudem populi Ro. hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præsertim nihil periculi ostenderetur, delere, & extinguere. itaq; ædificijs omnibus, publicis & priuatis, sacris, & profanis sic pepercit: quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda uenisset. in ornatu urbis habuit uictoriæ rationẽ, habuit humanitatis. uictoriæ putabat esse: multa Romam deportare, quæ ornamento urbi esse possent. humanitatis, non plane spoliare urbem: præsertim quã conseruare uoluisset. In hac partitione ornatus, nõ plus uictoria Marcelli pop. Ro. appetiuit: quàm humanitas Syracusanis reseruauit. Ro

mam quæ asportata sunt, ad ædem Honoris, atq; Virtutis, itemq; alijs in locis uidemus. nihil in ædibus, nihil in hortis posuit: nihil in suburbano. putauit si urbis ornamenta domum suam non contulisset: domum suam urbi ornamento futuram. Syracusis autem permulta atq; egregia reliquit: deum uero nullum uiolauit: nullum attigit. Conferte Verrem: non ut hominem cum homine comparetis: nequa tali uiro mortuo fiat iniuria: sed ut pacem cum bello, leges cum ui, forum & iurisdictionem cum ferro & armis, aduentum & comitatum cum exercitu & uictoria conferatis. Aedes Mineruæ est in insula, de qua ante dixi: quam Marcellus non attigit: quam plenam, atq; ornatam reliquit. quæ ab isto sic spoliata, atq; direpta est: non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionum, & consuetudinis iura retineret: sed ut à barbaris prædonibus uexata esse uideatur. Pugna erat equestris Agathoclis regis in tabulis picta præclare. his autem tabulis interiores templi parietes uestiebantur. nihil erat ea pictura nobilius: nihil Syracusis, quod magis uisendum putaretur. has tabulas M. Marcellus, cum omnia illa uictoria sua profana fecisset: tamen religione impeditus non attigit. iste, cum iam illa propter diuturnam pacem, fidelitatemq; populi Syracusani sacra, religiosaq; accepisset: omnes eas tabulas abstulit: parietes, quorũ ornatus tot secula manserat, tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit. Et Marcellus, qui si Syracusas cœpisset: duo templa dedicaturum se Romæ uouerat: id qd' erat ædificaturus, his rebus ornare quas coperat, noluit. Verres, qui nõ Honori, neq; Virtuti, ut ille, sed Veneri, et Cupidini uota deberet: is Mineruæ templum spoliare conatus est. Ille deos deorum spolijs orna

re noluit. hic ornamenta Mineruæ uirginis in meretriciam domum transtulit. Viginti & septem præterea tabulas pulcherrime pictas ex eadem æde sustulit: in quibus erant imagines Siciliæ Regum, ac Tyrannorũ: quæ non solum pictorum artificio delectabant: sed etiam commemoratione hominum, & cognitione formarum. Ac uidete quanto tetrior hic tyrannus Syracusanis fuerit, quàm quisquã superiorum: cum illi tamen ornarint templa deorum immortalium: hic etiam deorum monumenta, atq; ornamenta sustulerit. Iam uero quid ego de ualuis illius templi commemorem? uereor, ne hæc qui non uiderunt: omnia me nimis augere atq; ornare arbitrentur. quod tamen nemo suspicari debet: tam esse me cupidum: ut tot uiros primarios uelim, præsertim ex iudicum numero, qui Syracusis fuerint, qui hæc uiderint: esse temeritati, & mendacio meo conscios. Confirmare hoc liquido Iudices possum: ualuas magnificentiores ex auro, atq; ebore perfectiores nullas unquã ullo tempore fuisse. incredibile dictu est, quã multi græci de harum ualuarum pulchritudine scriptum reliquerint. nimium forsitan hæc illi mirentur, atq; efferant: esto, uerunta-men honestius est Reip. nostræ Iudices ea, quæ illis pulchra esse uideantur: Imperatorem nostrum in bello reliquisse: quàm prætorem in pace abstulisse. Ex ebore diligentißime perfecta argumenta erant in ualuis: ea detrahenda curauit omnia. Gorgonis os pulcherrimum, cinctum anguibus, reuellit: atq; abstulit. & tamen indicauit, se non solum artificio, sed etiam precio, quæstuq; duci. nam bullas omnes aureas ex his ualuis, quæ erant & multæ & graues, non dubitauit auferre: quarum iste non opere delectabatur, sed pondere. itaq; eiusmodi ual

uas reliquit: ut quæ olim ad ornandum templum erant maxime: nunc tantum ad claudendum factæ esse uideantur. Etiam ne gramineas hastas? uidi enim uos in hoc non minime, cum testes dicerent, cõmoueri: quod erant huiusmodi, ut semel uidisse satis esset: in quibus neq; manu factum quicquam, neq; pulchritudo erat ulla: sed tantum magnitudo incredibilis: de qua, uel audire satis esset: nimium, uidere plusquam semel. etiam ne id concupisti? nam Sappho, quæ sublata de Prytaneo est, dat tibi iustam excusationem: propè ut concedendum, atq; ignoscendũ esse uideatur. M. Syllanionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quisquam non modo priuatus, sed populus potius haberet, quàm homo elegantißimus atq; eruditißimus Verres? nimirum contradici nihil potest. nostrum enim unusquisq;, qui tam beati quàm iste est, non sumus: tam delicati esse non possumus: si quando aliquid istiusmodi uidere uolet: eat ad ædem Felicitatis, ad monumentum Catuli, in porticum Metelli: det operam, ut admittatur in alicuius istorum Thusculanum: spectet eorum ornatum, si quid iste suorum, Aedilibus accommodauit: Verres hæc habeat domi: Verres ornamentis fanorum, atq; oppidorum habeat plenam domum, uillas refertas. Etiam ne huius operarij studia, ac delicias Iudices perferetis? qui ita natus est, ita educatus, ita factus, & animo, & corpore: ut multo appositior ad deferenda, quàm ad auferenda signa esse uideatur. Atq; hæc Sappho sublata quantum desiderium sui reliquerit, dici uix potest. nam tum ipsa fuit egregie facta: tum epigramma græcum pernobile incisum habuit in Basi: quod iste eruditus homo, & græculus, qui hæc subtiliter iudicat, qui solus intelligit, si

unam literam græcam scisset, non sustulisset. nunc enim quod inscriptum est inani in basi, declarat quid fuerit: & id ablatum indicat. Quid? signum Pæanis ex æde Aesculapij præclare factum, sacrum, & religiosum non sustulisti? quod omnes propter pulchritudinẽ uisere, propter religionem colere solebant. Quid? ex æde Liberi simulacrum Aristei non tuo imperio palàm ablatum est? Quid? ex æde Iouis religiosißimum simulacrum Iouis Imperatoris, quem Græci Vrion nominant, pulcherrime factum nonnè abstulisti? Quid ex æde Liberi paruum illud caput pulcherrimum, quod uisere solebamus, num dubitasti tollere? Atq; ille Pæan sacrificijs anniuersarijs simul cum Aesculapio apud illos colebatur. Aristæus, qui, ut græci ferunt: Liberi filius inuentor olei esse dicitur: una cum Libero patre apud illos eodem erat in templo consecratus. Iouem autem Imperatorem quanto honori in suo templo fuisse arbitramini? hinc colligere potestis, si recordari uolueritis quanta religione fuerit eadem specie, atq; forma signũ illud: quod ex Macedonia captum, in Capitolio posuerat Flaminius. etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Iouis Imperatoris uno in genere pulcherrime facta. unum, illud Macedonicum, quod in Capitolio uidemus. alterũ in pontiore, & angustijs. tertium, quod Syracusis ante Verrem prætorem fuit. illud Flaminius ita ex æde sua sustulit: ut in Capitolio, hoc est in terrestri domicilio Iouis poneret. quod autem est ad introitum Ponti, id cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porrò in pontum inuecta sint, usq; ad hanc diem integrum inuiolatumq; seruatum est. hoc tertium, quod erat Syracusis, quod M. Marcellus armatus, & uictor uiderat,

quod religioni concesserat, quod ciues, atq; incolæ Syracusani colere, aduenæ non solum uisere, uerum etiam uenerari solebant, id Verres ex templo Iouis sustulit. Vt sæpius ad M. Marcellũ reuertar Iudices: sic habetote: plures esse à Syracusanis istius aduentu Deos, quàm uictoria Marcelli homines desideratos. Etenim ille requisisse dicitur etiam Archimedem illũ, summo ingenio hominem, ac disciplina: eumq; cum audisset interfectum, permoleste tulisse. Iste omnia quæ requisiuit: non ut seruaret, uerum ut asportaret, requisiuit. Iam illa, quia leuiora uidebuntur, si hoc loco dicerẽtur, ideo præteribo: quod iste mensas delphicas è marmore, crateras ex ære pulcherrimas, uim maximam uasorum Corinthiorum, ex omnibus ædibus sacris Syracusis abstulit. Itaq; Iudices hi qui hospites ad ea, quæ uisenda sunt, ducere solẽt, & unumquicq; ostendere: quos illi Mystagogos uocant, conuersam iam habent demonstrationem suam. nam ut ante demonstrabant, quid ubiq; esset: ita nunc quid undiq; ablatum sit, ostendunt. Quid tum? mediocri ne tandem dolore eos affectos esse arbitramini? non ita est Iudices: primũ, quod omnes religione mouentur, & deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos esse arbitrantur. deinde hic ornatus, hæc opera, atq; artificia, signa, tabulæ pictæ, græcos homines nimio opere delectant. Itaq; ex illorũ quærimonijs intelligere possumus, hæc illis acerbissima uideri: quæ forsitan nobis leuia, & contemnenda esse uideantur. mihi credite Iudices, tametsi uosmetipsos hæc eadem audire certo scio. cum multas acceperint per hosce annos socij, atq; exteræ nationes calamitates, & iniurias: nullas græci homines grauius tulerunt, nec ferunt:

quàm huiusce modi spoliationes fanorum, atq; oppidorum. Licet iste dicat, emisse se, sicuti solet dicere: credite mihi Iudices: nulla unq̃ ciuitas tota Asia, & Græcia signum ullũ, tabulas pictas, ullum deniq; ornamentum urbis, sua uoluntate cuiquam uendidit. nisi forte existimatis, posteaquam iudicia seuera Romæ fieri desierint: græcos homines hæc uendere cœpisse: quæ tum, non modo non uendebãt, cum iudicia fiebant: uerum etiam coemebant. nisi arbitramini L. Crasso, Q. Scæuolæ, C. Claudio potentissimis hominibus, quorũ ædilitates ornatissimas uidimus: cõmercium istarũ rerũ cum græcis hominibus nõ fuisse: his qui post iudiciorũ dissolutiones, ædiles facti sunt, fuisse. Acerbiorem etiam scitote esse ciuitatibus fallam istam, & simulatam emptionem: quam si quis clàm surripiat: aut eripiat palàm, atq; auferat. nam turpitudinem summam esse arbitrantur, referri in literas publicas precio adductam ciuitatem: & precio paruo ea, quæ accepissent à maioribus, uẽdidisse, atq; alienasse. etenim mirandum in modũ græci rebus istis, quas nos contemnimus, delectantur. itaq; maiores nostri facile patiebãtur, hæc esse quamplurima apud socios: ut imperio nostro quamornatissimi florentissimiq; essent. apud eos autem quos uectigales, aut stipendarios fecerant: tamen hæc relinquebant: ut illi, quibus ea iucunda sunt, quæ nobis leuia uidebantur: haberent hæc oblectamenta, & solatia seruitutis. Quid arbitramini Rheginos, qui iam ciues Ro. sunt, mereri uelle: ut ab ijs marmorea Venus illa ne auferatur? quid Tarentinos? ut ne Europam in tauro sedentem amittant? ut Satyrum, qui apud illos in ædibus sacris est? ut cætera? quid Thespienses? ut Cupidinis signum: propter quod unum uisuntur Thespiæ?

quid Gnydios? ut Venerem marmoream? quid ut pictam, Cons? quid Ephesios? ut Alexandrum? quid Cyzicenos? ut Aiacem, aut Medeam? quid Rhodios? ut Ialysium? quid Athenienses? ut ex marmore Iachum, aut Parhalum pictum, aut ex ære Myronis bucculam? longum est, & non necessarium commemorare, quæ apud quosq; uisenda sunt tota Asia, & Græcia. uerum illud est quamobrem hæc commemorarim, quod existimare uos hoc uolo: mirum quendam dolorem accidere ijs, ex quorum urbibus hæc auferantur. atq; ut cæteros omittamus, de ipsis Syracusanis cognoscite. Ad quos ego cum uenissem: sic primo existimabam, ut Romæ ex istius amicis acceperam, ciuitatem Syracusanã, propter Heraclij hæreditatem, non minus esse isti amicam: quàm Mamertinam propter prædarum, ac furtorum omnium societatem. simul & uerebar, ne mulierum nobilium, & formosarum gratia, quarum iste arbitrio præturam per triennium gesserat, uirorumq;, quibus cum nuptæ erant, nimia in istum non lenitudine, sed etiam liberalitate oppugnarer: si quid ex literis Syracusanorum conquirerem. itaq; Syracusis cum ciuibus romanis eram: eorum tabulas scribebam: iniurias cognoscebam. cum diutius in eo negocio, curaq; fueram: ut requiescerem, curamq; animi remitterem, ad Carpinatij præclaras tabulas reuertebar. ubi cum Equitibus Ro. ex illo conuentu honestissimis, illos Verrutios, de quibus ante dixi, explicabã. à Syracusanis prorsus nihil adiumẽti neq; publice, neq; priuatim expectabam: neq; erat in animo postulare. Cum hæc agerem: repente ad me uenit Heraclius is: qui tum magistrũ Syracusis habebat: homo nobilis, qui Sacerdos Iouis fuisset: qui honos apud Syracusanos est am-

plissimus. agit mecũ, & cũ fratre meo: ut, si nobis uidere tur, adiremus ad eorũ Senatũ: frequentes esse in curiæ: so iussu Senatus à nobis petere, ut ueniremus. Primo nobis fuit dubiũ, quid ageremus. deinde cito uenit in mentem, nõ esse uitandũ nobis illũ conuentum, & locum. itaq; in curiam uenimus: honorifice sanè cõsurgitur. nos rogatu magistratus assedimus. Incipit is loqui, qui & authoritate, & ætate, &, ut mihi uisum est, usu rerũ antecedebat Diodorus Timarchides, cuius omnis oratio hãc habuit primo sententiã: S. P. q; Syracusanũ molestè grauiterq; ferre: quod ego, cũ in cæteris Siciliæ ciuitatibus S. P. q; docuissem, quid eis utilitatis, quid salutis afferrem: & cũ ab omnibus mandata, legatos, literas, testimoniaq; sumpsissem: in illa ciuitate nihil eiusmodi facerem. respondi, neq; Romæ in cõuentu Siculorũ, cum à me auxilium cõmuni omniũ legationum consilio petebatur, causaq; totius ad me Siciliæ deferebatur, legatos Syracusanorum affuisse: neq; me postulare, ut quicq; contra C. Verrem decerneretur, in ea Curia, in qua inauratam C. Verris statuam uiderem. Quod postaq; dixi: tantus est gemitus factus aspectu statuæ, & commemoratione: ut illud in Curia positum monumentum scelerum, non beneficiorũ uideretur. Tum pro se quisq;, quantũ dicendo assequi poterat, docere me cœpit ea, quæ pauloante cõmemoraui: spoliatã urbẽ: sana direpta: ex Heraclij hæreditate, quã palestritis cõcessisset multo maximã partẽ ipsum abstulisse, neq; postulandum fuisse, ut ille palestritas deligeret: qui etiam inuentorẽ olei deũ sustulisset: neq; illam statuã esse ex pecunia publica, neq; publice datam: sed eos qui hæreditatis diripiendæ participes fuissent, faciendam, statuendamq; curasse. eosdem Romæ fuisse legatos, illius

adiutores improbitatis, socios furtorũ, conscios flagitiorum: eò minus mirari me oportere: si illi cõmuni legatorum uoluntati, & saluti Siciliæ defuissent. Vbi eorũ dolorem ex illius iniurijs nonmodo non minorẽ, sed propè maiorem, quàm cæterorum Siculorum esse cognoui: tum meum animum in illos, tum ego mei consilij, negocijq; totius susceptι causam, rationemq; proposui: tum eos hortatus sum, ut causæ cõmuni, salutiq; ne deessent: ut ei illam laudationem, quam se ui, ac metu coactos paucis illis diebus decresse dicebant, tollerent. Itaq; Iudices Syracusani hæc faciunt istius clientes, atq; amici: primum mihi literas publicas, quas in ærario sanctiore conditas habebant, proferunt: in quibus ostendunt omnia, quæ dixi ablata, esse perscripta: & plura etiã, quàm ego potui dicere. perscripta autem hoc modo: quod ex æde Mineruæ hoc et illud abesset: quod ex æde Iouis, quod ex æde Liberi. ut quisq; eis rebus tuendis cõseruandisq; præfuerat, ita perscriptum erat: cum rationem ex lege redderet: &, quæ acceperat, deberet tradere: petisse, ut sibi, quod hæ res abessent, ignosceretur. itaq; omnes liberatos discessisse, & esse ignotum omnibus. quas ego literas obsignandas publico signo, deportandasq; curaui. De laudatione autem ratio sic reddita est. primum cum à Verre literæ aliquanto ante aduentum meum de laudatione uenissent, nihil esse decretum. deinde, cum quidam ex illis amicis commonerent, oportere decerni: maximo esse clamore, & conuicio repudiatos. et postea quã meus aduentus appropinquarit, imperasse eum, qui summam potestatem haberet, ut decernerent. decretum ita esse: ut multo plus illa laudatio mali, quàm boni posset afferre. Id adeo Iudices, ut mihi ab illis demonstratum est:

tum est: sic uos ex me cognoscite. Mos est Syracusijs, ut si qua de re ad Senatum referatur: dicat sententiam qui uelit: nominatim nemo rogatur. et tamen, ut quisq; honore, & ætate antecedit: ita primus solet sua sponte dicere: idq; à ceteris ei conceditur. siquando taceant omnes: tũc sortito cogũtur dicere. Cum hic mos esset, refertur ad Senatũ de laudatione Verris. in quo primum, ut aliquid esse moræ, multi interpellant: de Sex. Peduceo, qui de illa ciuitate, totaq; puincia optime meritus esset: sese antea, cum audissent ei negocium facessitum: cumq; eum publice, pro plurimis eius, & maximis meritis laudare cuperent: à C. Verre prohibitos esse: iniquum esse, tametsi Peduceus eorum laudatione iam nõ uteretur: tamen non id prius decernere quod aliquãdo uoluissent: quàm quod tũ cogerentur. conclamant omnes, et approbãt, ita fieri oportere. refertur de Peduceo. ut quisq; ætate, et honore antecedebat: ita sentẽtiam dixit ex ordine. Id adeo ex ipso S. C. cognoscite. nam principium sententiæ perscribi solet. Recita. QVOD VERBA FACTA SVNT DE SEX. PEDVCEO. dicit qui primi suaserint. decernitur. refertur deinde de Verre. dic quæso quomodo. QVOD VERBA FACTA SVNT DE C. VERRE. quid postea scriptum est? CVM SVRGERET NEMO: NEQVE SENTENTIAM DICERET. quid hoc est? SORS DVCITVR. quamobrem? nemo erat uoluntarius laudator Præturæ tuæ? defensor periculorum tuorum? præsertim cum inire à Prætore gratiam posset? nemo. ipsi illi tui conuiuæ, consiliarij, & conscij uerbum facere non audebant. In qua Curia statua tua stabat, & nuda in ea filij: nemo fuit ne quem

nudus quidem filius, in ea nuda prouincia cõmoueret. Atq; etiã hoc me docent: eiusmodi senatusconsulto sese fecisse laudationem: ut omnes intelligere possent: nõ laudationem, sed potius irrisionem esse illam: quæ commonefaceret istius turpem calamitosamq; præturã. etenim scriptum esse ita: quod iste uirgis neminẽ cecidisset: à quo cognoscitis, nobilissimos homines, atq; innocẽtissimos securi esse percussos. quod uigilanter prouinciam administrasset: cuius omnes uigilias in stupris constat, adulterijsq; esse consumptas. hoc autem scriptũ esse: quod proferre non auderet reus: accusator recitare non desineret. quod prædones procul ab insula Sicilia, phibuisset Verres. quos etiam intra Syracusanam insulam recepisset. Quæ postaquam, ex illis cognouit: discessi cum fratre e Curia: ut nobis absentibus, siquid uellẽt, decernerent. decernunt statim: primum, ut L. Fratri hospitium publice fieret: quod is eandem uoluntatem erga Syracusanos suscepisset, quã ego semper habuissem. Id nonmodo tum scripserunt: uerum etiam in ære incisum nobis tradiderunt. Valde hercle te Syracusani tui, quos crebro commemorare soles, diligunt: qui cum accusatore tuo satis iustam causam coniungendæ necessitudinis putãt, quod te accusaturus sit: & quod ad inquirendum in te uenerit. postea decernitur, ac nõ uarie, sed propè coniunctis sententijs: ut laudatio, quæ C. Verri decreta esset, tolleretur. At uero cum iam nõ solum discessio facta esset: sed etiam perscriptum, atq; in tabulas relatum: Prætor appellatur. at quis appellat? magistratus aliquis? nemo. Senator? ne id quidem. Syracusanorum aliquis? minime. quis igitur Prætorem appellat? qui quæstor istius fuerat, Cecilius. O' rem ridiculam: O' desertum hominem: O'

desperatũ. acrelictum. à magistratu Siculo, ne Senatusconsultum Siculi homines facere possent: ne suũ ius suis moribus, suis legibus, obtinere possent: nõ amicus istius, non hospes, non deniq; aliquis Siculus, sed Quæstor Prætorem appellat. quis hoc uidit? aut quis audiuit? Prætor æquus, & sapiens dimitti iubet Senatum. concurrit ad me maxima multitudo. primum Senatores clamare: eripi sibi ius: eripi libertatem: populus Senatum laudare: gratias agere: ciues Romani à me nusquam discedere. quo quidem die, nihil ægrius factum est multo labore meo: quàm ut manus ab illo appellatore abstinerentur. Cum ad prætorem in ius adissemus: excogitat sanè diligenter, & caute quid decernat. nam, antequã uerbum facerem: de sella surrexit, atq; abijt. Itaq; tum de foro, cum iam adueſperasceret, discessimus. postridie mane ab eo postulo: ut Syracusanis liceret senatus consultum, quod pridie fecissent, mihi reddere. Ille enimuero negat: & ait indignum facinus esse: quod ego in Senatu græco, uerba fecissem: quod quidem apud Græcos græce locutus essem: id ferri nullo modo posse. respondi homini ut potui, ut uolui, ut debui. tum multa, tum etiam hoc me memini dicere: facile esse perspicuum, quantum inter hunc, & illum Numidicum uerum & germanum Metellum interesset. illum noluisse sua laudatione iuuare L. Lucullum sororis uirum: qui cum optime conuenisset. hunc homini alienissimo, à ciuitatibus laudationes peruim, et metum comparare. Quod ubi intellexi, multum apud illum recentes nuncios, multum tabulas non commendaticias, sed tributarias ualuisse: admonitu ipsorum Syracusanorum, impetum in eas tabulas facio: in quibus singula perscripta

erant. Ecce autem noua turba atq; rixa: ne tamen istum omnino Syracusis sine hospitibus planè nudum esse ac desertum putetis. retinere cœpit tabulas Theomnastus quidam, homo ridicule insanus: quem Syracusani Theoractum uocant: qui illic eiusmodi est, ut eum pueri sectentur: ut omnes, cum loqui cœperit, irrideāt. Huius tamen insania, quæ ridicula est alijs: mihi tum molesta sanè fuit. nam cum spumas ageret in ore, arderent oculi, uoce maxima uim me sibi afferre clamaret, copulati in ius peruenimus. Hic ego postulare cœpi: ut mihi tabulas obsignare, ac deportare liceret. ille contra. instare ego, omnium mihi tabularum, & literarum fieri potestatem oportere. Ille cōtra furiosus urgere, nihil ad se uestras leges pertinere. Prætor intelligens, negare sibi placere, quod S.C. ratum esse non deberet: id me Romam deportare. quid multa? nisi uehemētius homini minatus essem: nisi legum sanctionem, pœnāq; recitassem: tabularū mihi potestas facta non esset. Ille autem insanus, qui pro isto contra me uehementißime declamasset: postquā non impetranit: credo ut in gratiam mecum rediret: libellum mihi dat: in quo istius furta Syracusana perscripta erant: quæ ego antea iam ab illis cognoram: & acceperam. Laudent te sanè iam Mamertini: qui ex tanta prouincia soli sunt: qui te saluum uelint: ita tamen laudent: ut Heius, q̄ eius princeps legationis est, adsit: ita laudent: ut ea quæ rogati erunt, mihi parati sint respondere. ne subito à me opprimantur: hæc sum rogaturus. nauem debeant ne. fatebuntur. præbuerint ne prætore C. Verre. negabunt. ædificauerint ne nauem onerariam maximam publice, quam Verri dederunt. negare non poterunt. frumentum ne ab his sumpserit Verres: quod

populo Ro. mitteret, sicuti superiores. negabūt. quid militum, aut nautarum per triennium dederunt. nullum datum dicent. fuisse Messanam omnium istius furtorum, ac prædarum receptricem. negare non poterunt. permulta multis nauibus illinc exportata. hanc deniq; nauem maximam à Mamertinis datam, onustam cum isto prætore profectam: fatebuntur. Quamobrem tibi habe sanè istam laudationē Mamertinam: Syracusanam quidem ciuitatem, ut abs te affecta sit, ita in te esse animatam uidemus. apud quos etiam Verrea illa flagitiosa sublata sunt. etenim minime conueniebat, ei deorū honores haberi: qui simulacra deorum sustulisset. Etiam mehercule illud in Syracusanis merito reprehenderetur: si cum diem festum ludorū de fastis suis sustulissent celeberrimū, & sanctißimum: quod eo ipso die Syracusæ à Marcello captæ esse dicuntur: ijdem diē festum Verris nomine agerent: cum iste Syracusanis quæ ille calamitosus dies reliquerit, ademisset. At uidete hominis impudentiam, atq; arrogantiam Iudices: qui nō solum Verrea hæc turpia, hæc ridicula ex Heraclij pecunia constituerit: uerum etiam Marcellea tolli imperarit: ut ei sacra facerent quotannis: cuius opera omnium annorum sacra, deosq; patrios amiserant: eius autem familiæ dies festos tollerent: per quam cæteros quoq; festos dies recuperarant.

ACTIONVM IN C. VERREM LIBER VII.

ORATIO X.

NEMINI uideo dubiũ esse Iudices: quin apertissime C. Verres in Sicilia sacra, prosanáq; omnia & priuatim, & publice spoliarit: uersatusq; sit sine ulla nonmodo religione, uerum etiam dissimulatione in omni genere furandi, atq; prædandi. Sed quædam mihi magnifica, & præclara eius defensio ostenditur: cui quemadmodum resistam, multo mihi ante est Iudices prouidendum. ita enim causa constituitur: prouinciam Siciliam uirtute eius, & uigilantia singulari dubijs formidolosisq; temporibus à fugitiuis, atq; à belli periculis tutam esse seruatam. quid agam Iudices: quo accusationis meæ rationẽ conferam? quo me uertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatoris opponitur. noui locum: uideo ubi se iactaturus sit Hortensius. belli pericula, tempora Reipublicæ, Imperatorum penuriam commemorabit. tum deprecabitur à uobis: tum etiam pro suo iure contendet: ne patiamini talem imperatorem, populo Romano Siculorum testimonijs eripi: néue obteri laudem imperatoriam criminibus auariciæ uelitis. Non possum dissimulare Iudices: timeo, ne C. Verres propter hanc uirtutem eximiam in re militari, omnia, quæ fecit, impune fecerit. uenit enim mihi in mentẽ, in iudicio M. Aquilij quantũ authoritatis, quantũ momenti oratio M. Antonij habuisse existimata sit. qui ut erat in dicendo non solum sapiens,

sed etiam fortis: causa propè perorata, ipse arripuit M. Aquilium, cõstituitq; in conspectu omnium: tunicamq; eius à pectore abscidit, ut cicatrices populus Ro. iudicesq; aspicerent, aduerso corpore exceptas. simul & de illo uulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit: eoq; adduxit eos, qui erant iudicaturi: uehementer ut uererentur, ne quem uirũ fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse nõ pepercisset: hic nõ ad populi Ro. laudem, sed ad iudicum crudelitatem uideretur esse seruatus. Hæc eadem nunc ab illis defensionis ratio, uiaq; tentatur: idem quæritur. sit fur: sit sacrilegus: sit flagitiorum omnium, uiciorumq; princeps: at est bonus imperator, & felix, & ad dubia Reip. tempora reseruandus. Non agam summo iure tecum: non dicam id, quod debeam forsitan obtinere: cum iudicium certa lege sit constitutum: non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodum manus ab alienis pecunijs abstinueris, abs te doceri oportere. non inquam sic agam. sed ita quæram, quemadmodum te uelle intelligo, quæ tua opera, & quanta fuerit in bello? quid dices? an bello fugitiuorum Siciliam uirtute tua liberatam? magna laus, & honesta oratio. sed tamen quo bello? nos enim post id bellum, quod M. Aquilius confecit: sic accepimus, nullum in Sicilia fugitiuorum bellum fuisse. at in Italia fuit. fateor: & magnum quidem, ac uehemens. num igitur ex eo bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius uictoriæ gloriam cum M. Crasso, aut Cn. Pompeio communicandam putas? non arbitror hoc etiam deesse tuæ impudentiæ: ut quicquam eiusmodi dicere audeas. obstitisti uidelicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitiuorum copiæ possent. ubi? quando? qua

ex parte? cum aut nauibus, aut ratibus conarentur accedere? nos enim nihil unquam prorsus audiuimus: & illud audiuimus, M. Crassi fortissimi uiri uirtute, consilioq; factum: ne ratibus cõiunctis freto fugitiui ad Messanam transire possent. à quo illi conatu non tantopere prohibendi fuissent: si ulla in Sicilia præsidia ad illorum aduentum opposita putarẽtur. At cum in Italia bellum tam propè à Sicilia, tamen in Sicilia non fuit? quid mirum? ne cum in Sicilia quidem fuit eodẽ interuallo, pars eius belli in Italiam ulla peruasit. etenim propinquitas ad utram partem hoc loco profertur? utrum aditum facilem hostibus, an contagionem imitandi eius belli periculosam fuisse? aditus omnis, hominibus sine ulla facultate nauium nonmodo disiunctus, sed etiam clausus fuit: ut illis, quibus Siciliam propinquam fuisse dicis: facilius fuerit ad oceanum peruenire, quàm ad Peloridem accedere. Contagio autem ista seruilis belli, cur abste potius, quàm ab his omnibus, qui cæteras prouincias obtinuerunt, prædicatur? an quod in Sicilia iam ante bella fugitiuorum fuerunt? at ea ipsa causa est, cur ipsa prouincia minimo in periculo sit, & fuerit. nam postea quam illinc M. Aquilius decessit: omnium instituta, atque edicta prætorum fuerunt eiusmodi: ut ne quis cum telo seruus esset. Vetus est quod dicam: & propter seueritatem exempli nemini fortasse uestrum inauditum: L. Domitium prætorem in Sicilia, cum aper ingens ad eum allatus esset: admiratum requisisse, quis eum percussisset. cum audisset pastorẽ cuiusdam fuisse: eum ad se uocari iussit: illũ cupide ad prætorem quasi ad laudem, atque ad præmium accurrisse. quæsisse Domitium, qui tantam bestiam percussisset? illum respondisse, uenabulo. statim deinde iussu prætoris in crucem esse sublatum. durum hoc fortasse uideatur: neq; ego ullam in partem disputo: tantum intelligo maluisse Domitium crudelem in animaduertendo, quàm in prætermittendo dissolutum uideri. Ergo his institutis prouinciæ, iam tum, cum bello fugitiuorum tota Italia arderet homo non acerrimus, nec fortissimus, Cn. Norbanus in summo ocio fuit. perfacile enim sese Sicilia tuebatur: ne quod in ipsa bellum posset existere. Etenim cum nihil tã coniunctum sit, quàm negociatores nostri cum Siculis, usu, re, ratione, concordia: & cum ipsi Siculi res suas ita constitutas habeant: ut his pacem expediat esse: imperium autem populi Ro. sic diligant: ut id imminui, aut commutari minime uelint: cumq; hæc ab seruorum bello pericula, & prætorum institutis, et dominorum disciplina prouisa sint: nullum est malum domesticum, quod ex ipsa prouincia nasci possit. Quid igitur? nulli ne motus in Sicilia seruorum Verre prætore? nullæ ne consensiones factæ esse dicuntur? nihil sanè quod ad S. P. q; R. peruenerit: nihil quod iste Romam publice cõscripserit. & tamen cœptum esse in Sicilia moueri aliquot locis seruitium suspicor. id adeo non tam ex re, quàm ex istius factis, decretisq; cognosco. Acuidete quàm non inimico animo sim acturus. ego ipse hæc, quæ ille quærit, quæ adhuc nunquam audistis, cõmemorabo: et proferam. In Tricalino, quem locum fugitiui iam ante tenuerunt: Leonidæ cuiusdam Siculi familia in suspicionem est uocata coniurationis. res delata est ad istum. statim, ut par fuit, iussu eius homines qui nominati erant, comprehensi sunt: adductiq; Lilybeum: domino denunciatum est, ut adesset: causa dicta damnati sunt. quid dein-

de? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam. nolite usquequaq; eadem hic quærere. in metu belli, furandi qui locus potest esse? etiam si qua fuit in hac re occasio, prætermissa est. tum potuit à Leonida nummorum aliquid auferre, cum denunciauit, ut adesset. fuit nundinatio aliqua, & isti non noua, ne causam diceret. etiam alter locus: ut absoluerentur. damnatis quidem seruis, quæ prædandi potest esse ratio? produci ad supplicium necesse est. testes enim sunt, qui in consilio fuerunt: testes publicæ tabulæ: testis splendidissima ciuitas Lilybetana: testis honestissimus, maximusq; cõuentus ciuium romanorum. nihil potest. producendi sunt itaq;. producuntur: & ad palum alligantur. etiam nunc mihi expectare uidemini Iudices, quid deinde factum sit: quod iste nihil unquam fecit sine aliquo quæstu, atq; præda. quid in eiusmodi re fieri potuit? quod commodum est? expectate facinus quàm uultis improbum: uincam tamẽ expectationem omnium. nomine sceleris, coniurationisq; damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repente multis millibus hominum inspectantibus soluti sunt, & Leonidæ illi domino redditi. quid hoc loco potes dicere homo amentissime? nisi id, qd ego non quæro: quod deniq; in re tam nefaria, tametsi dubitari non potest: tamen, ne si dubitetur quidem, quæri oporteat, quid, aut quantum, aut quomodo acceperis. remitto tibi hoc totum, atq; ista te cura libero. nec; enim metuo ne hoc cuiquam persuadeatur: ut ad quod facinus nemo, præter te, ulla pecunia adduci potuerit: id tu gratis suscipere conatus sis. Verum de ista furandi prædandiq; ratione nihil dico: de hac imperatoria iam tua laude disputo. quid ais bone custos, defensorq; prouinciæ? tu quos seruos arma capere, ac bellum facere in Sicilia uoluisse cognoras: et de consilij sententia iudicaras: hos ad supplicium iam more maiorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere ac liberare ausus es? ut quam damnatis seruis crucem fixeras: hanc indemnatis ciuibus R.o. reseruares? Perditæ ciuitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere: ut damnati in integrũ restituantur: uincti soluantur: exules reducantur: res iudicatæ rescindantur. quæ cũ accidunt, nemo est, quin intelligat ruere illam rempublicã. hæc ubi ueniunt: nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur. atq; hæc sicubi facta sunt: facta sunt ut homines populares, aut nobiles supplicio, aut exilio leuarentur: ut non ab his ipsis, qui iudicassent, ut non statim, ut non eorum facinorum damnati, quæ ad uitam & fortunas omnium pertinerent. hoc uero nouum, & eiusmodi est: ut magis propter reum, quàm propter rem ipsam credibile esse uideatur: ut homines seruos, ut ipse qui iudicarat, ut statim è medio supplicio dimiserit: ut eius facinoris dãnatos seruos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertineret. O' præclarum Imperatorem: nec iam cum M. Aquilio fortissimo uiro, sed uero cum Paulis, Scipionibus, Marijs conferendum. tantum ne uidisse in metu, periculoq; prouinciæ? cum seruiciorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiæ fugitiuorum uideret: ne quis se commouere auderet, quantum terroris iniecit? comprehendi iussit. quis non pertimescat? causam dicere dominos. quid seruis tam formidolosum? fecisse uideri pronunciauit. exortam uidetur flammam paucorum dolore, ac morte restinxisse. quid deinde sequitur? uerbera, atque

ignes, & illa extrema ad supplicium damnatorum, metum cæterorum, cruciatus, & crux. hisce omnibus supplicijs sunt liberati. Quis dubitet, quin seruorũ animos summa formidine oppresserit? cum uiderent ea facilitate prætorem: ut ab eo seruorum sceleris coniurationisq; damnatorum uita, uel ipso carnifice internuncio redimeretur. Quid? hoc in Apollonienſe Aristodamo? quid? in Leonte Magarensi non idem feciſti? quid? iſte motus seruorum, bellique subita suspicio, utrum tibi tandem diligentiam custodiendæ prouinciæ, an nouam rationem improbißimi quæstus attulit? Halicyensis Eumenidæ nobilis hominis, & honesti magnæ pecuniæ uillicus, cum impulsu tuo insimulatus esset: HS LX à domino accepisti. quod nuper ipse iuratus docuit quemadmodum gestum esset. Ab Equite Ro. C. Matrinio absente, cum is esset Romæ: quod eius uillicos, pastoresq; tibi in suspicionem uenisse dixeras: HS centies abstuliſti. Dixit hoc L. Flauius, qui tibi eam pecuniam numerauit: procurator C. Matrinij: dixit ipse C. Matrinius: dicet uir clarißimus Cn. Lentulus Censor: qui Matrinij honoris causa, recenti negocio ad te literas misit, mittendas q; curauit. Quid? de Apollonio Diocli filio Panormitano, cui Gemino cognomen est, præteriri potest? ecquid hoc tota Sicilia clarius? ecquid indignius? ecquid manifestius proferri potest? quem is, uti Panormum uenit: ad se uocari, & de tribunali citari iußit, concursu magno, frequentiaq; conuentus. homines statim loqui: mirari, quod Apollonius homo pecuniosus tam diu ab isto maneret integer: excogitauit: nescio quid attulit: profecto homo diues, repente à Verre non sine causa citatur: expectatio summa omnium, quid nam id esset: cum

exanimatus subito ipse accurrit cum adolescente filio. nam pater grandis natu iam diu lecto tenebatur. nominat iste seruum: quem magistrum pecoris esse diceret: eũ dicit coniurasse, & alias familias concitasse. is omnino seruus in familia non erat. eum statim exhiberi iubet. Apollonius affirmat seruum se omnino illo nomine habere neminem. iste hominem arripi à tribunali, & in carcerem conijci iubet. ille clamare, cum raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisisse: pecuniam sibi esse in nominibus: numeratam in præsentia non habere. hæc cum maxime summa hominum frequentia testificaretur: ut quiuis intelligere posset, eum, quod pecuniam non dedisset: iccirco illa tam acerba iniuria afficì: cum maxime ut dico, hoc de pecunia clamaret, in uincla coniectus est. Videte constantiã prætoris, & eius prætoris, qui nunc reus non ita defendatur, ut mediocris prætor: sed ita laudetur, ut optimus Imperator. Cum seruorum bellum metueretur: quo supplicio dominos indemnatos afficiebat: hoc seruos damnatos liberabat. Apollonium locupletißimum hominem, qui, si fugitiui bellum in Sicilia facerent: ampliſsimas fortunas amitteret: belli fugitiuorum nomine indicta causa, in uincla cõiecit: seruos, quos ipse cum consilio belli faciendi causa consensisse iudicauit: eos sine consilij sententia, sua sponte omni supplicio liberauit. quid? si ab Apollonio aliquid commissum est: quamobrem iure in eum animadueretur, tamen ne hanc rem sic agemus? ut crimini, aut inuidiæ reo putemus esse oportere: si quo de homine seuerius iudicauit? non agam tam acerbe: non utar ista accusatoria consuetudine: si quid est factum clementer, ut dissolute factum criminer: si quid uindicatum

ſeuere eſt: ut ex eo crudelitatis inuidiam colligam. non agam iſta ratione: tua ſequar iudicia: tuam defendam authoritatem, quoad tu uoles. ſimulac tu te cœperis tuæ iudicia reſcindere, mihi ſuccenſere deſinito. meo iure enim contendam: eum, qui ſuo iudicio condemnatus ſit, iuratorum iudicum ſententijs damnari oportere. Non defendam Apollonij cauſam amici, atq; hoſpitis mei: ne tuum iudicium uidear reſcindere: nihil de hominis frugalitate, uirtute, diligentia, dicam: prætermittam illud etiam, de quo antea dixi: fortunas eius ita conſtitutas fuiſſe, familia, pecore, uillis, pecunijs creditis, ut nemini minus expediret, ullum in Sicilia tumultum, aut bellum commoueri: non dicam ne illud quidem, ſi maxime in culpa fuerit Apollonius: tamen in hominem honeſtiſſimum, ciuitatis honeſtiſſimæ, tam grauiter animaduerti cauſa indicta non oportuiſſe: nullam inuidiam in te, ne ex illis quidem rebus concitabo: cum eſſet talis uir in carcere, in tenebris, in ſqualore, in ſordibus, tyrannicis interdictis tuis patri exacta ætate, & adoleſcenti filio adeundi ad illum miſerum poteſtatem nunquam eſſe factam. Etiam illud præteribo: quotienſcunq; Panormum uenieris illo anno & ſex menſibus, nam tam diu fuit in carcere Apollonius, totiens ad te Senatum Panormitanum adiiſſe ſupplicem cum magiſtratibus, ſacerdotibus q; publicis, orantem, atq; obſecrantem: ut aliquando ille miſer, atq; innocens calamitate illa liberaretur. relinquã hæc omnia: quæ ſi uelim perſequi, facile oſtendam tua crudelitate in alios, omnes tibi aditus miſericordiæ iudicium iam pridem eſſe præcluſos. omnia igitur iſta concedam, & remittam. præuideo enim quid ſit defenſurus Hortenſius. fatebitur apud iſtum, neq; ſenectutem patris, neq; adoleſcentiã filij, neq; lachrymas utriuſq; pluris ualuiſſe: q̃ utilitatem, ſalutem q; prouinciæ. dicet Remp. adminiſtrari ſine metu, ac ſeueritate non poſſe. quæret quamobrem faſces prætoribus præferantur? cur ſecures datæ? cur carcer ædificatus? cur tot ſupplicia ſint in improbos more maiorum conſtituta? quæ cum omnia grauiter, ſeuereq; dixerit: quæram cur hunc eundem Apollonium Verres idem, repente, nulla noua re allata, nulla defenſione, ſine cauſa de carcere emitti iuſſerit? tantumq; in hoc crimine ſuſpicionis eſſe affirmabo, ut iam ipſis iudicibus ſine mea argumentatione coniecturam facere permittam: quod hoc genus prædandi, quàm improbum, quàm indignum, quamq; ad magnitudinem quæſtus immenſum, infinitumq; eſſe uideatur. nam quæ iſte in Apollonio fecit: ea primum breuiter cognoſcite quot, & quanta ſint: deinde hæc expendite, atq; æſtimate pecunia: reperietis iccirco hæc in uno homine pecunioſo tot conſtituta: ut cæteris formidines ſimilium incommodorum, atq; exempla periculorum proponerentur. Primum inſimulatio eſt repentina, capitalis, atq; inuidioſi criminis. ſtatuite quanti hoc putetis, & quàm multo redemiſſe. deinde crimen ſine accuſatore, ſententia ſine conſilio, damnatio ſine defenſione. æſtimate harum rerum omnium precia: & cogitate in his iniquitatibus unum hæſiſſe Apollonium: cæteros profecto multos ex his incommodis pecunia ſe liberaſſe. poſtremo tenebræ, uincla, carcer incluſum ſupplicium, atq; à conſpectu parentum, ac liberum, deniq; à libero ſpiritu, et communi luce ſecluſum. hæc uero, quæ uel uita redimi recte poſſunt, æſtimare pecunia non queo. hæc omnia ſexto redemit Apollonius, iam mœrore, ac miſerijs per-

ditus: sed tamen cæteros docuit, ante istius auariciæ, ac sceleri occurrere. Nisi uero existimatis hominẽ pecunio sissimum sine aliqua causa quæstus iniectum ad tam incredibile crimen: aut sine eadem causa repente è carcere emissum: aut hoc prædandi genus ab isto in illo uno adhibitum, ac tentatum: & non per illum, omnibus pecuniosis Siculis metum propositum, & iniectum. Cupio mihi Iudices ab illo subijci, quoniam de militari eius gloria dico, siquid forte prætereo. nam mihi uideor de omnibus iam rebus eius gestis dixisse: quæ quidem ad belli fugitiuorum pertinerent suspitionem, certe nihil sciens prætermisi. Habetis hominis consilia, diligentiã, uigilantiã, custodiam, defensionemq; prouinciæ. Summa illuc pertinet, ut sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorũ, ex quo genere iste sit. ne diutius in tanta penuria uirorum fortium talem imperatorem ignorare possitis: non ad Q. Maximi sapientiam, neq; ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neq; ad huius, qui postea fuit, singulare consilium, neq; ad Pauli rationem, ac disciplinam, neq; ad C. Marij uim, atq; uirtutem, sed ad aliud genus imperatorum sane diligenter retinendum, & conseruandum, quæso cognoscite. Itinerum primum laborem, qui uel maximus est in re militari Iudices, & in Sicilia maxime necessarius: accipite quàm facilem sibi iste, & iucundum ratione, consilioq; reddiderit. Primum temporibus hybernis ad magnitudinem frigorum, & ad tempestatum uim, ac fluminum, præclarum sibi hoc remedium comparat. urbem Syracusas elegerat, cuius hic situs, atq; hæc natura esse loci, cœliq; dicitur: ut nullus unquam dies tam magna, turbulentaq; tempestate fuerit: quin aliquo tempore solẽ eius

diei homines uiderent. hic ita uiuebat iste bonus Imperator hybernis mensibus: ut eum non facile, nonmodo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam uideret. ita diei breuitas conuiuijs, noctis longitudo stupris, & flagitijs conterebatur. Cum autem uer esse cœperat: cuius initium iste, non à fauonio, neq; ab aliquo astro notabat, sed cum rosam uiderat: tunc incipere uer arbitrabatur: dabat se labori, atq; itineribus: in quibus usq; eo se præbebat patientem, atq; impigrum: ut eum nemo unquam in equo sedentem uideret. nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur: in qua puluinus erat perlucidus melitensi rosa farctus. Ipse autem coronam habebat unam in capite: alteram in collo: reticulumq; ad nares sibi apponebat tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ. sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum uenerat, eadem lectica usq; ad cubiculum deferebatur. Eò ueniebant Siculorum magistratus: ueniebant Equites Romani, id quod ex multis iuratis audietis: controuersiæ secreto deferebantur: paulopost palàm decreta auferebantur. deinde ubi paulisper in cubiculo precio, nõ æquitate iura descripserat, Veneri iam, & Libero reliquũ tempus deberi arbitrabatur. quo loco mihi non prætermittenda uidetur præclari Imperatoris egregia, ac singularis diligentia. nam scitote esse oppidum in Sicilia nullum, ex ijs oppidis, in quibus Prætores consistere, & conuentum agere solent: quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili, delecta ad libidinem mulier esset. itaq; nonnullæ ex eo numero in conuiuium adhibebantur palàm. si quæ castiores erant, ad tempus ueniebant, lucem cõuentumq; mitabant. erant autem conuiuia non illo silentio Præto-

rum,atq; Imperatorum:neq; eo pudore, qui in magistra
tuum conuitijs uersari solet: sed cum maximo clamo=
re,atq; conuitio.nonnunquam etiam res ad manus, atq;
ad pugnam ueniebat. iste enim prætor seuerus, ac dili=
gens,qui populi Ro. legibus nunquam paruisset,illis di=
ligenter legibus,quæ in poculis ponebantur, obtempera
bat.itaq; erant exitus eiusmodi:ut alius inter manus è
conuiuio, tanquam è prælio auferretur: alius tanquam
occisus relinqueretur: plerique fusi sine mente, ac sine ul=
lo sensu iacerent. quiuis ut cum aspexisset: non se præ=
toris conuiuium,sed ut Cannensem pugnam nequitiæ ui=
dere arbitraretur. Cum uero æstas summa esse iam cœ=
perat:quod tempus omnes semper Siciliæ prætores in iti
neribus consumere cõsueuerunt:propterea quod tum pu
tant obeundam esse maxime prouinciam: cum in areis
frumenta sunt:quod & familiæ congregantur, & ma=
gnitudo seruitij perspicitur:& labor operis maxime of
fenditur:& frumenti copia commonet:tempus anni non
impedit:tum inquam,cum concurrant cæteri prætores:
iste nouo quodam ex genere Imperator pulcherrimo
Syracusarum loco statiua sibi castra faciebat. nam in
ipso aditu,atq; ore portus, ubi primum ex alto sinus ad
urbem ab litore inflectitur,tabernacula carbaseis inten
ta uelis collocabat,huc ex illa domo Prætoria, quæ Re=
gis Hieronis fuit, sic emigrabat: ut per eos dies nemo
istum extra illum locum uidere posset. in eum autem
ipsum locum aditus erat nemini:nisi qui aut socius, aut
minister libidnis esse posset.huc omnes mulieres,quibus
cũ iste consueuerat,cõueniebant.quarum incredibile est
quanta multitudo fuerit Syracusis. huc homines digni
istius amicitia,digni uita illa,conuiuijsq; ueniebant.in=

ter eiusmodi uiros, ac mulieres adulta ætate filius uer=
sabatur:ut eum, etiam si natura à parentis similitudine
abriperet,consuetudo tamen,ac disciplina patri similem
esse cogeret.Huc Tertia illa perducta per dolum,atque
insidias ab Rhodio tibicine,maximas in istius castris ef=
fecisse turbas dicitur:cum indigne pateretur uxor Cleo=
menis Syracusani,nobilis mulier,itemq; Aeschrionis ho
nesto loco nata, in conuentum suum mimi Isidori filiam
uenisse.iste autem Hannibal,qui in suis castris uirtute pu
taret oportere,non genere certari:sic hanc Tertiam di=
lexit:ut eam secum ex prouincia exportaret. ac per eos
dies cum iste cum pallio purpureo talariq; tunica uer=
saretur in conuiuijs muliebribus:non offendebantur ho=
mines in eo, neq; moleste ferebant: abesse à foro magi=
stratum:non ius dici: non iudicia fieri. lucum illum li=
toris,percrepare totum mulierum uocibus,cantuq; sym
phoniæ:in foro silentium esse summum causarum, atq;
iuris:non ferebant homines moleste. non enim ius abes=
se uidebatur à foro,neq; iudicia, sed uis, & crudelitas,
& bonorum acerba, atq; indigna direptio. Hunc igi=
tur tu Imperatorem esse defendis Hortensi? huius fur=
ta,rapinas,cupiditatem, crudelitatem,superbiã,scelus,
audaciam,rerum gestarum magnitudine, atq; Imperato
rijs laudibus tegere conaris? hic scilicet est metuendum,
ne ad exitum defensionis tuæ, uetus illa Antoniana di=
cendi ratio,atq; authoritas proferatur:ne excitetur Ver
res:ne denudetur à pectore:ne cicatrices populus Rom.
aspiciat,ex mulierum morsu uestigia libidnis, atq; ne=
quitiæ. dij faciant,ut rei militaris, ut belli mentionem fa
cere audeas. cognoscentur enim omnia istius æra illa ue=
tera:ut non solum in imperio, uerum etiam in stipen=

dijs qualis fuerit intelligatis. renouabitur prima illa mi-
litia: cum iste è foro abduci, non, ut ipse prædicat, per-
duci solebat. aleatoris Placentini castra cõmemorabun
tur: in quibus cum frequens fuisset: tamen ære dirutus
est. multa eius in stipendijs damna proferentur: quæ ab
isto ætatis fructu dissoluta, & compensata sunt. Iam ue-
ro, cum in eiusmodi patientia turpitudinis, aliena, non
sua facietate obduruisset: qui uir fuerit: quot præsidia, q̃
munita pudoris, & pudicitiæ ui, & audacia cœperit,
quid me attinet dicere? aut coniungere cum istius flagi-
tio cuiusquam præterea dedecus? non faciam Iudices,
omnia uetera prætermittam. duo sola recentia sine cu-
iusquam infamia ponam: ex quibus coniecturam face-
re de omnibus possitis. Vnum illud, quod ita fuit illustre,
notum q̃; omnibus: ut nemo tam rusticanus homo L. Lu-
cullo, et M. Cotta Conss. Romam ex ullo municipio uadi
monij causa uenerit: quin sciret, iura omnia populi Ro.
nutu, atq; arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari. al
terum, quod cum paludatus exisset, uotaq; pro imperio
suo, communiq; populi Ro nuncupasset: noctu stupri cau
sa lectica in urbem introferri solitus est ad mulierem,
nuptam uni, propositam omnibus, contra fas, contra au-
spicia, cõtra omnes diuinas, atq; humanas religiones. O
dij immortales, quid interest inter mentes hominum, &
cogitationes. ita mihi meam uoluntatem, spem q̃; reliquæ
uitæ uestra populiq; Ro. existimatio comprobet: ut ego
quos adhuc mihi magistratus populus Ro. mandauit: sic
eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione
arbitrarer. Ita quæstor sum factus: ut mihi honorem il-
lum tum non solum datum: sed etiam creditum, ac com-
missum putarem. sic obtinui quæsturam in prouincia

Sicilia: ut omnium oculos in me unum coniectos arbitra
rer: ut me, quæsturam q̃; meam, quasi in aliquo orbis ter-
ræ theatro uersari existimarem: ut omnia semper, quæ
iucunda uidentur esse: nonmodo his extraordinarijs cu-
piditatibus, sed etiam ipsi naturæ, ac necessitati denega-
rem. Nunc sum designatus ædilis: habeo rationem quid
à populo Ro. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxi-
ma cum cerimonia Cereri, Libero, Liberæq; faciendos:
mihi Floram matrem populo, plebiq; Ro. ludorum cele-
britate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi
Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac re-
ligione Ioui, Iunoni, Mineruæq; esse faciendos: mihi sa-
crarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuen
dam esse commissam: ob earum rerum laborem, & solli-
citudinem fructus illos datos: antiquiorem in Senatu sen
tentiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curu-
lem, ius, imagines ad memoriam, posteritatem q̃; proden-
dam. Ex his ego rebus omnibus Iudices, ita mihi deos
omnes propicios esse uelim: tu, tametsi mihi iucundissi-
mus est honos populi: tamen nequaquam tantũ capio uo
luptatis: quantum sollicitudinis, & laboris: ut hæc ipsa
ædilitas, non quia necesse fuerit, alicui candidato data,
sed quia sic oportuerit, recte collata, & iudicio popu-
li in loco posita esse uideatur. Tu cum esses prætor renun
ciatus quoquo modo, mitto enim, & prætereo, quid tum
sit actum, sed cum esses renunciatus, ut dixi: non ipsa præ
conis uoce excitatus es? qui te totiens seniorum, iunio-
rum q̃; centurijs illo honore affici pronunciauit: ut hoc
putares, aliquam Reip. partem tibi creditam? annũ tibi
illum unum, domo carendum esse meretricis? cum tibi
forte obtigisset, ut ius diceres: quantum negocij, quid one

vis haberes, nunquam cogitasti: neq; illud rationis habuisti, si forte expergefacere te posses: eam prouinciam quam tueri singulari sapientia, atq; integritate difficile esset, ad summam stulticiam, nequitiamq; uenisse. Itaq; non modo domo tua Chelidonem in prætura extrudere noluisti: sed in Chelidonis domum prætura tuam totam detulisti. Secuta prouincia est, in qua tibi nunquam uenit in mentem: non tibi iccirco fasces, & secures, & tantam imperij uim, tantamq; ornamentorum omnium dignitatem datam: ut earum rerum ui, & authoritate omnia repagula iuris, pudoris, & officij perfringeres: ut omnium bona prædam tuam duceres: nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius uita septa, nullius pudicitia munita, contra tuam cupiditatem, & audaciam posset esse. in qua tu te ita gessisti, ut cum omnibus tenearere rebus, ad bellum fugitiuorum confugias: ex quo iam intelliges, non modo tibi nullam defensionem, sed maximam uim criminum exortam. Nisi forte Italici belli fugitiuorum reliquias, atq; illud Thempsanum incommodum proferes. ad quod recens, cum te peropportune fortuna obtulisset, si quid in te uirtutis, atq; industriæ fuisset: idem, qui semper fueras, inuentus es. cum ad te Valentini uenissent, & pro his homo disertus, & nobilis M. Marius loqueretur, ut negocium susciperes: ut, cum penes te prætorium imperium, ac nomen esset, ad illam paruam manum extinguendam ducem te, principemq; præberes: nõ modo id refugisti, sed eo ipso tempore, cum esses in litore, Tertia illa tua, quam tecum deportabas, erat in omnium conspectu. ipsis autem Valentinis ex tam illustri, nobiliq; municipio, tantis de rebus responsum nullum dedisti, cum esses cum tunica pulla, & pal-

lio. Quid hunc proficiscentem, quid in ipsa prouincia fecisse existimatis? qui cum iam ex prouincia non ad triũphum, sed ad iudicium decederet: ne illam quidem infamiam fugerit, quam sine ulla uoluptate capiebat. O diuina Senatus frequentis in æde Bellonæ admurmuratio. memoria tenetis Iudices, cum adueſperasceret, & paulo ante esset de hoc Thempsano incommodo nuncium: cum inueniretur nemo qui in illa loca cum imperio mitteretur: dixisse quendam Verrem esse non longe à Thempsa? quam ualde uniuersi admurmurarint? quam palàm principes contradixerint. Et is tot criminibus, testimonijsq; conuictus in eorum tabellis spem sibi aliquam ponit: quorum omnium palàm causa incognita uoce damnatus est. Eo nihil ex fugitiuorum bello, aut suspicione belli, laudis adeptus est: quod neq; bellum eius modi, neq; belli fuit periculum in Sicilia: neq; ab isto prouisum est, ne quod esset. at uero contra bellum prædonum classem habuit ornatam, diligentiamq; in eo singularem. itaq; isto prætore præclare defensa prouincia est. Sic de bello prædonum. sic de classe Sicilienſi Iudices dicam: ut hoc iam ante confirmem: in hoc uno genere omnes inesse culpas istius maximas auariciæ, maiestatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis. hæc dum breuiter expono, quæso, ut feciſtis adhuc, diligenter attendite. Rem naualem primum ita dico esse administratam: non uti prouincia defenderetur, sed ut classis nomine pecunia quæreretur. Superiorum prætorum consuetudo cum hæc fuisset: ut naues ciuitatibus, certusq; numerus nautarum, militumq; imperaretur: maximæ, & locupletissimæ ciuitati Mamertinæ nihil horum imperauisti. ob quam rem quid tibi Mamertini pecuniæ clã

dederint, post uidebitur: ex ipsorum literis & testibus quæremus. nauem uero Cybeam maximam triremis mastar pulcherrimam, atq; ornatißimam, palàm ædificatam sumptu publico sciente Sicilia, per magistratum, senatumq; Mamertinum, tibi datam, donatamq; esse dico. hæc nauis onusta præda Sicilienſi, cum ipsa quoq; esset ex præda: simul cum iste decederet: appulsa Veliam est, cum plurimis rebus, & ijs quas ante Romam mittere cum cæteris furtis noluit: quod erant carißimæ, maximeq; eum delectabant. Eam nauem nuper egomet uidi Veliæ: multiq; alij uiderunt, pulcherrimam, atq; ornatißimam Iudices. quæ quidem omnibus, qui eam aspexerant: prospectare iam exilium atq; explorare fugam domini uidebatur. Quid mihi hoc loco respondebis? nisi forte id, quod tametsi probari nullo modo potest. tamen dici quidem in iudicio de pecunijs repetundis necesse est: de tua pecunia constare ædificatam esse eam nauem. Aude hoc saltem dicere, quod necesse est. noli metuere Hortensi ne quæram, qui licuerit ædificare nauem Senatori. antiquæ sunt istæ leges, & mortuæ, quemadmodum tu soles dicere, quæ uetant. fuit ista reprehensio quondam, fuit ista seueritas in iudicijs: ut istam rem accusator in magnis criminibus obijciendam putaret. quid enim tibi naue opus fuit? qui si quo publice proficiscereris: & præsidij, & uecturæ causa sumptu publico nauigia præberentur. priuatim autem nec proficisci quoquam potes: nec accersere res transmarinas ex ijs locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet. deinde cur quicquam contra leges parasti? ualeret hoc crimen: in illa ueteri seueritate, ac dignitate Reipublicæ. nunc nonmodo te hoc crimine non arguo: sed ne illa qui-

dem communi uituperatione reprehendo. Postremò tu tibi hoc nunquã criminosum, nũquã inuidiosum fore putasti? celeberrimo loco palàm tibi ædificari onerariam nauẽ in ea prouincia, quam tu cum imperio obtinebas? quid eos loqui, qui uidebant. quid existimare eos, qui audiebant, arbitrabare? inanem te nauem esse in Italiam deducturum? nauicularia te, cum Romam uenisses, esse facturum? ne illud quidem quisquam poterat suspicari: te habere in Italia maritimum fundum: & ad fructus deportandos onerariam nauem comparare. eiusmodi de te uoluisti sermonem esse omnium? palàm ut loquerentur, te illam nauem parare: quæ prædam ex Sicilia deportaret, & quæ ad ea furta, quæ reliquisses, cõmearet? Verum hæc omnia, si doces nauem de tua pecunia ædificatã, remitto atq; cõcedo. sed hoc homo amentißime non intelligis priore actione ab istis ipsis tuis Mamertinis laudatoribus esse sublatum. nam dixit Heius princeps ciuitatis, princeps istius legationis, quæ ad tuã laudationem missa est: nauẽ tibi operis publicis Mamertinorum esse ædificatam: eiq; faciendæ Senatorem Mamertinum publice præfuisse. Reliqua est materies: hanc Rheginis, ut ipsi dicunt, tametsi tu negare non potes, publice, quod Mamertini materies non habent, imperauisti. Si ex eo quo fit nauis, & qui faciunt, imperio tibi tuo non precio præsto fuerunt: ubi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? At Mamertini in tabulis nihil habent. primum uideo potuisse fieri, ut ex ærario nihil darent. etenim uel Capitolium, sicut apud maiores nostros factum est, publice gratis coactis fabris, operisq; imperatis, exædificari, atq; effici potuit. deinde id, quod perspicio, & quod ostendam, cum istos

produxero, ipsorum ex literis: multas pecunias isti erogatas in operum locationes falsas atq; inanes, esse perscriptas. nam illud minime mirum est: Mamertinos, à quo summum beneficium acceperant, quem sibi amiciorem quàm populo Ro. esse cognouerant, eius capiti literis suis peperciſſe. Si argumento est, Mamertinos pecunias tibi non dedisse: quia scriptum non habent: sit argumento, tibi gratis constare nauem: quia quid emeris, aut quid locaueris, scriptum proferre non potes. At enim iccirco nauē Mamertinis non imperasti, quod sunt fœderati. dij approbent. habemus hominem in fœcialium manibus educatum: unum, præter cæteros, in publicis religionibus fœderum, sanctum & diligentem. omnes q ante te, Prætores fuerunt, dedantur Mamertinis: quod ijs nauē contra pactionem fœderis imperarint. sed tamē tu sancte homo, ac religiose, cur Tauromenitanis itē fœderatis nauem imperasti? an hoc probabis? in æqua causa populorum, sine precio uarium ius, & disparem conditionem fuisse? Quid si eiusmodi esse hæc duo fœdera duorum populorum iudices doceo: ut Tauromenitanis nominatim cautum, & exceptum sit fœdere, ne nauem dare debeant? Mamertinis in ipso fœdere sanctum, atq; perscriptum sit: uti nauem dare necesse sit? istum autem contra fœdus, & Tauromenitanis imperasse, & Mamertinis remisisse? num cui dubium poterit esse, quin Verre prætore plus Mamertinis Cybea, quàm Tauromenitanis fœdus opitulatum sit? Recitentur fœdera. Isto igitur tuo, quemadmodū ipse prædicas, beneficio, ut res indicat, precio, atq; mercede, minuisti maiestatem reipublicæ: minuisti auxilia populi Romani: minuisti copias, maiorum uirtute, ac sapientia comparatas: sustuliſti ius imperij, conditionem

sociorum, memoriam fœderis. Qui ex fœdere ipso nauem uel usq; ad oceanum, si imperasſemus, sumptu, periculoq; suo armatam, atq; ornatam mittere debuerunt: ibi ne in freto ante sua tecta & domos nauigarent: ne sua mœnia, portusq; defenderent: precio abs te ius fœderis & imperij conditionē emerunt. Quid censetis in hoc fœdere faciundo uoluisse Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis ascriberetur, si id ullo modo possent à nostris maioribus impetrare? nam cum hoc munus imperaretur tam graue ciuitati: inerat, nescio quomodo in illo fœdere societatis quasi quædam nota seruitutis. Quod tum recentibus suis officijs, intergre, nullis populi Ro: difficultatibus, à maioribus nostris fœdera assequi non potuerunt: id nunc nullo nouo officio suo, tot annis post, iure imperij nostri quotannis usurpato, ac semp retento, summa in difficultate nauium, à C. Verre precio assecuti sunt. At nō hoc solum assecuti, ne nauē darent. ecquē nautam, ecquem militem, qui aut in classe aut in præsidio esset, te prætore p triennium Mamertini dederūt? deniq; cū ex senatus cōsulto, itemq; ex lege Terentia & Cassia, frumentum æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ ciuitatibus oporteret: id quoque munus leue, atq; commune Mamertinis remisisti. Dices frumentum Mamertinos non debere. quomodo non debere? an ut ne uenderent? non enim erat hoc genus frumenti ex eo genere, quod exigeretur: sed ex eo, quod emeretur. Te igitur authore, & interprete, ne foro quidem, & cōmeatu Mamertini populū ro. iuuare debuerunt. Quæ tandem ciuitas fuit, quæ deberet? qui publicos agros arant, certum est quid ex lege Censoria dare debeant. cur ijs quicquam præterea, ex alio genere imperauisti?

quid decumani? nunquid præter singulas decumas ex lege Hieronica debent? cur ijs quoq; statuisti: quantũ ex hoc genere frumenti empti darent? q sunt immunes, ij certe nihil debent. at ijs nonmodo imperasti: uerũ etiam quo plus darent, quàm poterant, hæc sexagena millia modium, quæ Mamertinis remiseras, addidisti. neq; hoc dico, cæteris non recte imperatũ esse. Mamertinis, qui erant in eadẽ causa: & quibus superiores omnes prætores item, ut cæteris, imperarant, pecuniãq; ex senatus consulto, & ex lege dissoluerant: his dico nõ recte remissum. Et ut hoc beneficium, quemadmodũ dicitur, trabali clauo figeret cum consilio causam Mamertinorum cognouit: & de consilij sententia Mamertinis se frumentum non imperare pronunciat. audite decretum mercenarij prætoris ex ipsius commentario: & cognoscite quanta in scribendo grauitas, quanta in constituendo iure sit authoritas. Recita commentarium. R.C. libenter ait se facere, itaq; perscribit. quid si hoc uerbo non esses usus. libenter? nos uidelicet inuitum te quæstum facere putaremus? ac de consilij sententia, præclarum recitari consilium Iudices audistis. utrum uobis consilium recitari tandem prætoris uidebatur, cum audiebatis nomina? an prædonis improbissimi societas, atq; comitatus? an fœderum interpretes, societatis pactores, religionis authores? nunquam in Sicilia frumentum publice est emptum: quin Mamertinis pro portione imperaretur: antequam hoc delectum, præclarumq; consilium iste dedit: ut ab his nummos acciperet, ac sui similis esset. Itaq; tantum ualuit istius decreti authoritas: quantum debuit eius hominis, qui à quibus frumentum emere debuisset, ijs decretum uendidisset. nam statim L. Metellus, ut isti succesßit: ex C. Sacerdotis, & Sex. Peducei instituto, ac literis frumentum Mamertinis imperauit. tum illi intellexerunt, se id, quod à malo authore emissent, diutius obtinere non posse. Age porrò tu, qui te tam religiosum existimari uoluisti interpretem fœderum: cur Tauromenitanis frumentum, cur Netinis imperasti? quarum ciuitatum utraq; fœderata est. Ac Netini quidem sibi non defuerunt. nam simulac pronunciasti, libenter te Mamertinis quidem remittere, te adierunt, & eandem suam causam fœderis esse docuerunt. tu aliter decernere in eadem causa non potuisti: pronuncias Netinos frumentum dare non oportere: & ab his tamen exigis. Cedo mihi eiusdem prætoris literas, & rerum decretarum, & frumenti imperati, & rerum decretarum & tritici empti. quid potius in hac tanta, ac tam turpi inconstantia suspicari possumus Iudices, quàm id quod necesse est? aut istam à Netinis pecuniam cum posceret, non datam: aut id esse actum ut intelligerent Mamertini: se bene apud istum tam multa precia, ac munera collocasse: cum idem alij uiris ex eadem causa non obtinerent. Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinæ laudationis. in qua quàm multa sint uulnera, quis est uestrum Iudices quin intelligat? primum, ut in iudicijs, qui decem laudatores dare non potest: honestius est ei nullum dare, quàm illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere. tot in Sicilia ciuitates sunt: quibus tu per triennium præfuisti: arguunt cæteræ, paucæ, & paruæ metu repressæ silent: una laudat. hoc quid est? nisi intelligere quid habeat utilitatis uera laudatio? sed tamen ita Verres prouinciæ præfuisti: ut hac utilitate necessario tibi sit carendũ. Deinde id, quod alio loco ante dixi: quæ est ista tandem

laudatio? cuius laudationis legati principes, & publicè tibi nauem ædificatam, & priuatim seipsos abs te spoliatos, expilatosq; esse dixerunt? Postremo quid aliud isti faciunt, cum te soli ex Sicilia laudant: nisi testimonio nobis sunt: te omnia sibi esse largitum: quæ tu de republica nostra detraxeris? Quæ colonia est in Italia, tam bono iure? quod tam immune municipium? quod per hos annos tam commoda uacatione sit usum omnium rerum, q̃ Mamertina ciuitas per triennii? soli, ex fœdere quod debuerunt, non dederunt: soli isto prætore omnium rerum immunes fuerunt: soli in istius imperio ea conditione uitæ fuerunt: ut populo Ro. nihil darent. Verri nihil denegarent. Verum ut ad classem, quo ex loco sum digressus, reuertar: accepisti à Mamertinis nauem contra legem: remisisti contra fœdera. ita in una ciuitate bis improbus fuisti: cum & remisisti, quod non oportebat: & accepisti, quod non licebat. exigere te oportuit nauem, quæ contra prædones, non quæ cum præda nauigaret: quæ defenderet ne prouincia spoliaretur: non quæ noua prouinciæ spolia portaret. Mamertini tibi & urbem, quo furta undiq; portares, & nauem, qua exportares, præbuerunt. illud tibi oppidum receptaculum prædæ fuit: illi homines testes, custodesq; furtorum: illi tibi & locum furtis. & furtorum uehiculum comparauerunt. itaq; ne tum quidem cum classem auaricia, ac nequitia tua perdidisti: nauem Mamertinis imperare ausus es. quo tempore in tanta inopia nauium, tantaq; calamitate prouinciæ, etiam si precario essent rogandi, tamen abhis impetraretur. reprimebat enim tibi & imperandi uim, & rogandi conatum præclara illa non populo Ro. reddita biremis, sed prætori donata Cybea. Ea tui mer-

tes imperij, auxilium iuris, consuetudinis, fœderis. Habetis unius ciuitatis firmum auxilium amissum, ac uenditum precio: cognoscite nunc nouam prædandi rationem, ab hoc primum excogitatam. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, cæterisq; rebus, Nauarcho suo quæq; ciuitas semper dare solebat: is neq; ut accusaretur à nautis committere audebat: & ciuibus suis rationem referre debebat: in illo omni negocio non modo labore, sed etiam periculo suo uersabatur. Erat hoc, ut dico, factitatum semper: nec solum in Sicilia, sed in omnibus prouincijs: etiam in sociorum, & latinorum stipendio, ac sumptu, tum cum illorum auxilijs uti solebamus. Verres post imperium constitutum, primus imperauit: ut ea pecunia omnis à ciuitatibus sibi adnumeraretur: ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse præfecisset. cui potest esse dubium, quamobrem & omnium consuetudinem ueterem primus immutaris? & tantam utilitatem per alios tractandæ pecuniæ neglexeris? & tantam difficultatem cum crimine, molestiam cũ suspicione susceperis? Deinde alij quæstus instituantur: ex uno genere nauali uidete quàm multi: accipere à ciuitatibus pecunias, ne nautas darent: precio certo missos facere nautas: missorum omne stipendium lucrari: reliquis quod deberet, non dare. Hæc omnia ex ciuitatum testimonijs cognoscite. Recita testimonia ciuitatum. Hunccine hominem? hanccine impudentiam Iudices? hanccine audaciam? ciuitatibus pro numero militum pecuniarum summas describere: certo precio sexcẽtenos nummos nautarum missione constituere. quos q dederat commeatum totius æstatis abstulerat. iste quod & nautæ nomine pro stipendio, frumentoq; acceperat, lucrabatur. Itaq; quæ-

stius duplex uniùs missione fiebat. Atque hæc homo amentissimus in tanto prædonum impetu, tantoq; periculo prouinciæ, sic palàm faciebat: ut & ipsi prædones scirent, & tota prouincia testis esset. Cum propter istius hanc tantam auariciam, nomine classis, essent in Sicilia re quidem uera naues inanes, quæ prædam prætori, non quæ prædonibus metum afferrent: tamen, cum P. Cesecius, & P. Tadius decem nauibus his semiplenis nauigarent: nauem quandam piratarum præda refertam non cœperunt, sed abduxerunt onere suo plane captam, atq; depressam. Erat ea nauis plena iuuentutis formosissimæ, plena argenti facti, atq; signati, multa cũ stragula ueste. Hæc una nauis ex classe nostra nõ capta est, sed inuenta ad Megaridẽ: q locus est nõ longe à Syracusis. quod ubi isti nunciatum est: tametsi noctu cum mulierculis iacebat ebrius: erexit se tamen, & statim questori, legatoq; suo custodes misit complures: ut omnia sibi integra, quàm primum exiberentur. Appellitur nauis Syracusas: expectatur ab omnibus: supplicium sumi de captiuis putatur. iste quasi præda sibi aduecta, non prædonibus captis, si qui senes aut deformes erant, eos in hostium numero ducit. qui aliquid formæ, ætatis, artificijq; habebant, abducit omnes: nonnullos scribis suis, filio, cohortiq; distribuit: symphoniacos homines sex, cuidam amico suo Romam muneri misit. nox illa tota exinanienda naui consumitur. Archipiratam ipsum uidet nemo, de quo suplicium sumi oportuit: hodieq; omnes sic habent persuasum, quid eius sit, uos coniectura quoq; assequi debetis, istum clàm à piratis ob hunc Archipiratam pecuniam accepisse. coniectura bona est. iudex esse bonus nemo potest, qui suspicione certa non mouetur.

hominem

hominem nostis, consuetudinemq; omnium tenetis: qui ducem prædonum, aut hostium cœperit: quàm libenter eum palàm ante oculos omniũ esse patiatur. Hominem in tanto conuentu Syracusis uidi neminem Iudices: qui Archipiratam captum uidisse se diceret: cum omnes, ut mos est, ut solet fieri, concurrerent, quærerẽt, uidere cuperent. quid accidit, cur tantopere iste homo occultaretur, ut eum ne casu quidem quisquam aspicere posset? Homines maritimi Syracusis, qui sæpe istius ducis nomen audissent: cum eum sæpe timuissent: cum eius cruciatu, atq; supplicio pascere oculos, animumq; exaturare uellent: potestas aspiciendi nemini facta est. Vnus plures prædonum duces uiuos cœpit P. Seruilius, quàm omnes antea. ecquando igitur isto fructu quisquã caruit, ut uidere piratam captum non liceret? At contra, quacunq; iter fecit, hoc iucundißimũ spectaculũ omnibus, uinctorum, captorũq; hostium præbebat. itaq; ei concursus undiq; fiebant: ut nonmodo ex his oppidis, qua ducebantur: sed etiam ex finitimis uisendi causa conuenirent. ipse autem triumphus quamobrem omnium triumphorũ gratißimus populo Ro. fuit, atq; iucundißimus? quia nihil est uictoria dulcius. nullum est autem testimonium uictoriæ certius: quàm quos sæpe metueris, eos te uinctos ad supplicium duci uidere. Hoc tu quamobrem non fecisti? quamobrem ita iste pirata celatus est, quasi eum aspicere nefas esset? quamobrem suppliciũ non sumpsisti? quam ob causam hominẽ reseruasti? ecquẽ audisti in Sicilia antea captũ Archipiratam, qui nõ securi percussus sit? unũ cedo authorẽ tui facti: unius proferexemplum. uiuum tu Archipiratã seruabas, quem per triumphum credo, quem ante currum tuum duceres. neque

enim quicquam erat iam reliquum: nisi ut classe populi Ro. pulcherrima amissa, prouinciáq; lacerata, triumphus naualis tibi decerneretur. Age porro, custodiri ducem prædonũ nouo more, quàm securi feriri omniũ exemplo magis placuit. quæ sunt istæ custodiæ? apud quos homines? quemadmodum est asseruatus? Lautumias Syracusanas omnes audistis, pleriq; nostis. opus est ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum: totum est ex saxo, in miranda altitudinem depressum, & multorum operis penitus excisum. nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri, nec cogitari potest. in has Lautumias, si qui publice custodiendi sunt, etiã ex cæteris oppidis Siciliæ deduci imperantur. Eò quod multos captiuos ciues Romanos coniecerat, & quod eodem cæteros piratas contrudi imperarat: intellexit, si hunc subditicium Archipiratam in eandem custodiam dedisset: fore ut à multis illis in Lautumijs uerus ille dux quæreretur. itaq; hominem huic optimæ, tutißimæq; custodiæ non audet committere. deniq; Syracusas totas timet. amandat hominẽ. quo? Lilybeum fortasse. uideo: tamen homines maritimos non plane reformidat. minime Iudices. Panormum igitur? audio: quanquam Syracusis, quoniã in Syracusano captus erat, maxime si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. ne Panormum quidem. quid igitur? quo putatis? ad homines à piratarum metu, & suspitione alienißimos, à nauigando, rebúsque maritimis remotißimos, ad Centuripinos, homines maxime mediterraneos, summos aratores: qui nomen nunquam timuissent maritimi prædonis, unum te prætore horruissent Apronium terrestrem Archipiratam. Et ut quiuis

facile perspiceret, id ab isto actum esse: ut ille suppositus facile & libenter se illum qui non erat, esse simularet: imperat Centuripinis: ut is uictu, cæterisq; rebus quamliberalißime commodißimeq; habeatur. Interea Syracusani homines periti, & humani, qui non modo ea, quæ perspicua essent: uidere, uerumetiam occulta suspicari possent. habebãt rationem omnes quotidie piratarum, qui securi ferirẽtur: quàm multos esse oporteret, ex ipso nauigio, quod erat factum sex remorũ numero conijciebant. Iste quod omnes, qui artificij aliquid habuerant, aut formæ, remouerat, atq; abduxerat: reliquos si ut cõsuetudo est, uniuersos ad palum alligasset: clamorem populi fore suspicabatur: cum tanto plures abducti essent, quàm relicti. propter hanc causam cum instituisset alios alio tempore producere: tamen in tanto conuentu nemo erat, quin rationem numerumq; haberet: & reliquos, non desideraret solum, sed etiam posceret, et flagitaret. cum maximus numerus deesset: tum iste homo nefarius in eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat: substituere, & supponere cœpit ciues Roman. quos in carcerem antea cõiecerat, quorum alios Sertorianos milites fuisse insimulabat, & ex Hispania fugientes ad Siciliam appulsos esse dicebat: alios qui à prædonibus erant capti, cum mercaturas facerent: aut aliquam ob causam nauigarent, sua uoluntate cum piratis fuisse arguebat. Itaq; alij ciues Ro. ne cognoscerentur, capitibus obuolutis è carcere ad palum atq; ad necem rapiebantur. alij cum à multis ciuibus Ro. recognoscerentur, ab omnibus defenderentur, securi feriebãtur. quorũ ego de acerbißima morte, crudeliß imoq; cruciatu dicam: cum eũ locũ tractare cœpero: et ita dicã, ut si me in ea queri-

monia quam sum habiturus de istius crudelitate, & de ciuium Rom. indignissima morte: nonmodo uires, uerum etiam uita deficiat: id mihi præclarum, & iucundum putem. Hæc igitur est gestare res: hæc uictoria præclara: myoparone piratico capto, dux liberatus: symphoniaci Romam missi: formosi homines, & adolescentes, & artifices domum abducti: in eorum locum, et ad eorum numerum ciues Ro. hostilem in modum cruciati, & necati: omnis uestis ablata: omne aurum, & argentum, & ablatum, & auersum. At quemadmodum ipse sese induit priore actione? qui tot dies tacuisset: repete in M. Annij hominis splendidissimi testimonio, cum is ciues Ro. dixisset, & Archipiratam negasset, securi esse percussum: exiliuit conscientia sceleris, & furore ex maleficijs concepto, excitatus: dixit se, quod sciret sibi crimini datum iri pecuniam accepisse: neq; de uero Archipirata sumpsisse suppliciu: ideo securi nõ percussisse: domi esse apud sese archipiratas dixit duos. O' clementiam populi Romani, seu potius patientiã miram, ac singularem. ciuem Ro. securi esse percussum Annius eques Ro. dicit. taces. Archipiratam negat. fateris. fit in eo gemitus omnium, & clamor. cum tamen à præsenti supplicio tuo se continuit populus romanus, & repressit, & salutis tuæ rationem iudicum seueritati reseruauit. qui sciebas tibi crimini datum iri? quamobrem sciebas? quamobrem etiam suspicabare? inimicum habebas neminẽ. si haberes, tamen non ita uixeras ut metum iudicij propositũ habere debe res. an te, id quod fieri solet, conscientia timidum, suspiciosumq; faciebat? qui igitur cum esses cum imperio iamtum iudicium, & crimen horrebas: reus cum tot testibus coarguare, potes de damnatione dubitare? Verum si crimen hoc metuebas, ne quis abs te suppositũ esse diceret, qui pro archipirata securi feriretur: utrum tandem tibi ad defensionem firmius esse putasti? iudicio coactu atque eflagitatu meo producere ad ignotos, tanto post eum. quem archipiratam esse diceres: an recentire, Syracusis apud notos, inspectante Sicilia penè tota, securi ferire? uide quid interfit, utrum faciendum fuerit. in illo reprehensio nulla esse potuit. hic defensio nulla est. itaq; illud semper omnes fecerunt: hoc quis ante te, quis præter te fecerit, quæro. Piratam uiuum tenuisti. quem ad finem? dum cum imperio fuisti? quamobrem? quam ob causam? quo exemplo? cur tam diu? cur inquam, ciuibus Romanis, quos piratæ cœperant, securi statim percussis, ipsis piratis lucis usuram tam diuturnam dedisti? uerum esto: sit tibi illud liberum omne tempus, quod cum imperio fuisti. etiam ne priuatus? etiam ne reus? etiam ne penè damnatus, hostium duces priuata in domo retinuisti? Vnum, alterum mensem, propè annum, denique domi tuæ piratæ, à quo tempore capti sunt: quoad per me licitum est, fuerunt: hoc est quoad per M. Acilium Glabrionem licitum est: qui postulante me, produci, atque in carcerem condi imperauit. quod est huiusce rei ius? quæ consuetudo? quod exemplum? hostem acerrimum, atque infestissimum populi Ro. seu potius communem hostem gentium, nationumq; omnium quisquam omnium mortalium priuatus intra mœnia domi suæ retinere poterit? quid si pridie, quàm à me tu coactus es confiteri, ciuibus Ro. securi percussis, prædonum ducem uiuere, apud te habitare: si inquã pridie domo tua profugisset: si aliquam manum contra populum Ro. facere potuisset, quid diceres? apud me habitauit: me

eum fuit: ego illum ad iudicium meum, quo facilius crimen inimicorum diluere possem, uiuũ, atq; incolumem reseruaui. ita ne uero? tu tua pericula communi periculo defendes? tu supplicia, quæ debẽtur hostibus uictis, ad tuum non ad populi Ro. tempus cõferes? populi Ro. hostis priuatis custodijs asseruabitur? At etiam qui triumphant, eoq; diutius uiuos hostiũ duces seruant: ut his per triumphum ductis, pulcherrimum spectaculum fructumq; uictoriæ pop. Ro. percipere possit: tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent: idemq; dies & uictoribus imperij: & uictis uitæ finem facit. Et nunc credo esse dubium, quin tu id commissurus non fueris: præsertim cum statuisses, ut ais, tibi causam esse dicendam: ut ille Archipirata non potius securi feriretur: quàm quod erat ante oculos positum, tuo periculo uiueret. Si enim esset mortuus: tu qui crimen ais te metuisse: quæro cui probares? cum constaret istum Syracusis ab nullo uisum esse Archipiratam, ab omnibus desideratũ? Cum dubitaret nemo, quin abs te pecunia liberatus esset: cum uulgo loquerentur suppositum in eius locum, quem pro illo probare uelles: cum tute fassus est, te id crimen tanto ante metuisse, si eum diceres esse mortuum: quis te audiret? nunc cum uiuum istum nescio quem produces: tamen te derideri uides. quid si aufugisset? si uincla rupisset? ita ut Nico ille nobilißimus pirata fugit: quem P. Seruilius, qua felicitate cœperat, eadem recuperauit. quid diceres? uerum hoc erat, si ille semel uerus Archipirata securi percussus esset: pecuniam illam non haberes. si hic falsus esset mortuus, aut profugisset: non esset difficile alium in suppositi locum supponere.

Plura dixi, quàm uolui, de illo Archipirata: et tamen ea quæ certißima sunt huius criminis argumenta prætermisi. uolo enim mihi totum esse crimen hoc integrum. est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reseruetur. Hac tanta præda auctus, mancipijs, argento, ueste locupletatus, nihilo diligentior ad classem ornandam, milites reuocandos, alendosq; esse cœpit: cum ea res, non solum prouinciæ saluti, uerum etiam ipsi prædæ esse posset. Nam æstate summa, quo tempore cæteri Prætores obire prouinciam, & concursare consueuerunt: aut etiam in tanto prædonum metu, & periculo ipsi nauigare: eo tempore ad luxuriam, libidinesq; suas domo sua regia quæ Regis Hieronis fuit, qua prætores uti solent, contentus non fuit. tabernacula, quemadmodum consueuerat temporibus æstiuis, quod antea iam demonstraui, carbaseis intenta uelis collocari iussit in litore: quod est litus in insula Syracusis post Arethusæ fontem, propter ipsum introitum atque ostium portus, ameno sanè, & ab arbitris remoto loco. Hic dies æstiuos sexaginta Prætor populi Romani, custos, defensorq; prouinciæ sic uixit: ut muliebria quotidie conuiuia essent: uir accumberet nemo, præter ipsum, et prætextatum filium. tametsi recte sine exceptione dixeram: uirum, cum isti essent, neminem fuisse. nonnunquã etiam libertus Timarchides adhibebatur. mulieres aũt nuptæ nobiles, præter unã mimi Isidori filiã: quam iste propter amorẽ ab Rhodio tibicine abduxerat: Pippa quædam, uxor Aeschrionis Syracusani: de qua muliere plurimi uersus, qui in istius cupiditatẽ facti sunt, tota Sicilia percelebrantur. Erat Nice facie eximia, ut prædicatur: uxor Cleomenis Syracusani. hãc Cleomenes uir amabat:

ueruntamen huius libidini aduersari nec poterat, nec audebat: & simul ab isto donis, beneficijsq; plurimis deuinciebatur. illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis: ipse tamen cum uir esset Syracusis: uxorem eius parum poterat animo soluto, ac libero tot in acta dies secum habere. itaq; excogitat rem singularem. naues, quibus Legatus præfuerat, Cleomeni tradidit. Classi populi Rom. Cleomenem Syracusanum præesse iubet, atque imperat. hoc eò facit, ut ille nõ solum abesset à domo, tum cum nauigaret: sed etiam libenter cum magno honore, beneficioq; abesset. Ipse autem remoto atque ablegato uiro non liberius quàm ante: quis enim unquam istius libidini obstitit? sed paulo solutiore tamen animo secum illam haberet: si non tanquam uirum, at tanquam æmulum remouisset. Accipit nauem sociorum atque amicorum Cleomenes Syracusanus. Quid primum aut accusem, aut quærar Iudices? Siculo ne homini legati, quæstoris, populi Rom. denicq; potestatem, honorem, authoritatem dari? si te impediebat ista conuiuiorum, mulierumq; occupatio: ubi quæstores? ubi legati? ubi ternis denarijs æstimatum frumentum? ubi muli? ubi tabernacula? ubi tot tantaq; ornamẽta magistratibus, et legatis à Senatu populoq; Rom. permissa, & data? deniq; ubi præfecti, et tribuni tui? si ciuis Ro. dignus isto negocio nemo fuit: quid ciuitates quæ in amicitia fideq; populi Ro. perpetuo manserant? ubi Segestana? ubi Centuripina ciuitas? quæ tum officijs, fide, uetustate, tum etiam cognatione populi Ro. nomen attingunt? O' dij immortales. quid si harum ipsarũ ciuitatum militibus, nauibus, Nauarchis, Syracusanus Cleomenes iussus est imperare? non omnis honos ab isto di-

gnitatis, æquitatis, officijq; sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum geßimus? quin Centuripinis socijs, Syracusanis hostibus uteremur? atq; hæc omnia ad memoriam uetustatis, non ad contumeliam ciuitatis referri uolo. itaq; ille uir clarißimus, summusq; Imperator, M. Marcellus, cuius uirtute captæ, miseri:cordia conseruatæ sunt Syracusæ: habitare in ea parte urbis, quæ insula est, Syracusanum neminem uoluit. hodie inquam Syracusanum in ea parte habitare non licet. est enim locus, quem uel pauci possunt defendere. cõmittere igitur eum non fidelißimis hominibus noluit: simul quod ab illa parte urbis nauibus aditus ex alto est. quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant: ijs claustra loci committenda non existimauit. Vide quid interfit inter tuam libidinem, maiorumq; authoritatem: inter amorem, furoremq; tuum, & illorum consilium, atq; prudentiam. illi aditum litoris Syracusanis ademerunt. tu maritimum imperium concesisti. illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naues accedere possent, noluerunt. tu classi, & nauibus Syracusanum præesse uoluisti. quibus illi urbis suæ partem ademerunt: ijs tu nostri imperij partem dedisti: & quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt: eos Syracusanis dicto audientes esse iußisti. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu: sequitur Segestana nauis, Tyndaritana, Herbitensis, Heraclensis, Apollonensis, Haluntina, præclara classis in speciem, sed inops, & infirma propter dimißionem propugnatorum, atq; remigum. tandiu in imperio suo classem iste prætor diligens uidit: q̃ diu cõuiuium eius flagitioßißimum præterecta est: ipse autem qui uisus multis diebus non esset: tum se tamen in

conſpectum nautis pauliſper dedit. ſtetit ſoleatus Prætor populi R. cum palleo purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus in litore. iam hoc ipſo iſtum ueſtitu Siculi, ciuesq; Romani permulti ſæpe uiderunt. Poſtea quam paulum prouectu claſsis eſt: & Pachinum quinto die deniq; appulſa eſt: nautæ fame coacti, radices palmarum agreſtium, quarum erat in illis locis, ſicut in magna parte Siciliæ multitudo, colligebant: & his miſeri, perditiq; alebantur. Cleomenes autem, qui alterum ſe Verrem cum luxuria atq; nequitia, tum etiam imperio putaret: ſimiliter totos dies, in litore tabernaculo poſito, perpotabat. Ecce autem repente ebrio Cleomene, eſurientibus cæteris, nunciatur piratarum naues eſſe in portu Ediſſæ. nam ita is locus nominatur. noſtra autem claſsis erat in portu Pachini. Cleomenes autem, quod erat terreſtre præſidium non re, ſed nomine: ſperabat ijs militibus, quos ex eo loco deduxiſſet, explere ſe numerum nautarum, & remigum poſſe. reperta eſt eadem iſtius hominis auariſsimi ratio in præſidijs, quæ in claſsibus. nam erant perpauci reliqui, cæteriq; dimiſsi. princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, uela fieri, præcidi anchoras imperauit: & ſimul, ut ſe cæteri ſequerentur, ſignum dari iuſsit. hæc Centuripina nauis erat incredibili celeritate uelis. nam ſcire iſto prætore nemo poterat, quid quæq; nauis remis facere poſſet. & ſi in hac quadriremi propter honorem, & gratiam Cleomenis minime multi remiges, & milites decrant. Euolarat iam è conſpectu ferè fugiens quadriremis: cum etiam tunc cæteræ naues ſuo in loco moliebantur. Erat animus in reliquis. quanquam erant pauci: quoquo modo ſeſe res habebat, pugnare tamen ſe uelle clamabant: & quod reliquum uitæ, uiriũq; fames fecerat: id ferro potiſsimũ reddere uolebãt. Quod ſi Cleomenes nõ tanto ante fugiſſet aliqua tamen ad reſiſtendum ratio fuiſſet: erat enim ſola illa nauis conſtrata, & ita magna, ut propugnaculo cæteris poſſet eſſe: quæ, ſi in prædonum pugna uerſaretur, urbis inſtar habere inter illos piraticos myoparones uideretur. ſed tunc inopes relicti à duce, præfectoq; claſsis, eundem neceſſario curſum tenere cœperunt. Pelorũ uerſus, ut ipſe Cleomenes, ita cæteri nauigabant. neq; ita tamen tam prædonum fugiebant impetum, quàm Imperatorem ſequebãtur. Tum ut quiſq; in fuga poſtremus, ita periculo princeps erat. poſtremam enim quanq; nauem piratæ primam adoriebantur. ita prima Haluntinorum nauis capitur: cui præerat Haluntinus homo nobilis Philarchus: quem ab illis prædonibus Locrenſes poſtea publice redemerunt. ex quo uos priore actione iurato, rem omnem cauſamq; cognoſtis. deinde Apollonienſis nauis capitur, & eius præfectus Anthropinus occiditur. Dum hæc aguntur: interea Cleomenes iam ad Pelori litus peruenerat: iam ſeſe in terram è naui eiecerat: quadriremem q; in ſolo fluctuantem reliquerat. reliqui Præfecti nauium, cum in terram Imperator exiſſet: cum ipſi neq; repugnare, neq; mari effugere ullo modo poſſent, appulſis ad Pelorum nauibus Cleomenem perſecuti ſunt. Tunc prædonum dux Heracleo, repente præter ſpem, non ſua uirtute, ſed iſtius auaricia, nequitiaq; victor, claſſem pulcherrimam populi Ro. in litus expulſam, & eiectam, cum primum adueſperaſceret, inflammari, incendiq; iuſsit. O tempus miſerum, atq; acerbum prouinciæ Siciliæ. O caſum illum multis

innocentibus calamitosum, atq; funestum. O' istius nequitiam, ac turpitudinem singularem. una atq; eadem nox erat: qua prætor amoris turpissimi flamma, ac classis populi romani prædonum incendio conflagrabat. Asfertur nocte intempesta grauis huiusce mali nuntius Syracusas: curritur ad Prætorium, quo istum è conuiuio illo præclaro reduxerant pauloante mulieres cum cantu, atq; symphonia. Cleomenes, quanquam nox erat: tamen in publico esse non audet: includit se domi: neque aderat uxor, quæ consolari hominem in malis posset. Huius autem præclari Imperatoris ita erat seuera domi disciplina: ut in re tanta, in tam graui, nuntius nemo admiteretur: nemo esset, qui auderet aut dormientẽ excitare: aut interpellare uigilantem. Iam uero re ab omnibus cognita, cõcursabat urbe tota maxima multitudo. non enim, sicut antea consuetudo erat: prædonum aduentum significabat ignis è specula sublatus, aut tumulo: sed flamma ex ipso incendio nauium & calamitatem acceptam, & periculum reliquum nuntiabat. Cum prætor quæreretur, & constaret ei neminem nuntiasse: fit ad domum eius cum clamore concursus, atq; impetus. Tum iste excitatus exit: audit rem omnem ex Timarchide: sagum sumit. lucebat iam ferè: procedit in medium uini, somni, stupri plenus. Excipitur ab omnibus eiusmodi clamore: ut ei Lampsaceni periculi similitudo uersaretur ante oculos. hoc etiam maius hoc uidebatur: quod in odio simili, multitudo hominum hæc erat maxima. tum istius acta commemorabantur: tum flagitiosa illa conuiuia: tum appellabantur à multitudine mulieres nominatim: tum quærebatur ex ipso palàm, tot dies continuos, per quos nunquam

uisus esset, ubi fuisset, quid egisset? tum imperator ab isto præpositus Cleomenes flagitabatur: neq; quicquam propius est factum, quam ut illud Vticense exemplum de Adriano transferreretur Syracusas: ut duo sepulchra duorum Prætorum improborum, duabusq; in prouincijs constituerentur. uerum habita est à multitudine ratio temporis: habita est tumultus: habita etiam dignitatis, existimationisq; communis: quod is est conuentus Syracusis Ciuium Romanorum: ut non modo illa prouincia, uerum etiam hac ReP. dignissimus existimetur. Confirmant ipsi se, cum is etiam tum semisomnis stuperet. arma capiunt: totum forum, atq; insulam, quæ est urbis magna pars, complent. Vnam illam solam noctem prædones ad Pelorum commorati, cum fumantes etiam nostras naues reliquissent, accedere incipiũt ad Syracusas. qui uidelicet sæpe audissent, nihil esse pulchrius, q̃ Syracusarũ mœnia, ac portus: statuerant sese, si ea Verre prætore non uidissent, nunquã esse uisuros. ac primo ad illa æstiua Prætoris accedunt: ipsam illam ad partem litoris, ubi iste per eos dies tabernaculis positis castra luxuriæ collocarat. quem postaquam inanem locum offenderũt, et Prætorem commouisse ex eo loco castra senserunt: statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare cœperũt. cum in portum dico Iudices, explanandum est enim diligentius, eorum causa qui locum ignorant, in urbem dico, atq; in urbis intimã partem uenisse piratas. non enim portu illud oppidũ clauditur: sed urbe portus ipse cingitur, et concluditur: nõ ut alluantur à mari mœnia extrema, sed influat in urbis sinum portus. Hic te prætore Heracleo Archipirata cum quatuor myoparonibus paruis ad arbitrium suum nauigauit. Prò dij immortales, pi-

raticus myoparo, cum imperium Populi Romani, nomen ac fasces essent Syracusis, usq; ad forum, & ad omnes urbis crepidines accesit: quo neq; Carthaginensium gloriosissimæ classes, cum mari plurimum poterant, multis bellis sæpe conatæ, unquam aspirare potuerunt: neq; populi Ro. inuicta ante te prætorem gloria illa naualis unquam tot Punicis, Sicilienſibusq; bellis penetrare potuit: qui locus eiusmodi est, ut ante Syracusani in mœnibus suis, in urbe, in foro hostem armatum, ac uictorem, quam in portu ullam hostium nauem uiderent. hic te prætore prædonũ nauiculæ peruagatæ sunt: quo Athenienſium classis sola post hominum memoriam CCC nauibus ui, ac multitudine inuasit: quæ in eo ipso portu, loci ipsius, portusq; natura uicta, atq; superata est. hic primum opes ipsius ciuitatis uictæ, comminutæ, depressæq; sunt: in hoc portu Athenienſium nobilitatis, imperij, gloriæ naufragium factum existimatur. eo ne pirata penetrauit? quo simul atq; adesset: nõ modo à latere, sed etiam à tergo magnam partem urbis relinqueret. Insulam totam præteruectus est, quæ est urbis magna pars Syracusis suo nomine ac mœnibus. quo in loco maiores, ut ante dixi, Syracusanum quenquam habitare uetuerunt. quod qui illam partem urbis tenuerint: in eorum potestatẽ portum futurum intelligebant. At quemadmodum est peruagatus? radices palmarum agrestium, quas in nostris nauibus inuenerãt, iaciebant: ut omnes istius improbitatem, & calamitatem Siciliæ possent cognoscere. Siculos ne milites? aratorum ne liberos? quorum patres tantum labore suo frumenti exarabant: ut populo R. totiq; Italiæ suppeditare possent: eos ne in insula Cereris natos, ubi primum

fruges inuentæ esse dicuntur, eo cibo esse usos? à quo maiores eorum cæteros quoq; frugibus inuentis remouerunt. Te prætore Siculi milites palmarum stirpibus: prædones Siculo frumento alebantur. O' spectaculum miserum, atq; acerbum: ludibrio esse urbis gloriam, populi R. nomen: hominum conuentu, atq; multitudine piratico myparone, in portu Syracusano de classe populi R. triumphum agere piratam: cum Prætoris nequissimi, inertissimiq; oculos prædonum remi respergerent. Postea quam è portu piratæ non metu aliquo affecti, sed sacietate exierant: tum cœperunt quærere homines causam illius tantæ calamitatis: dicere omnes, & palàm disputare, minime esse mirandum: si militibus, remigibusq; dimissis, reliquis egestate, & fame perditis, prætore tot dies cum mulierculis perpotante, tanta ignominia, & calamitas esset accepta. hæc autem istius uituperatio, atq; infamia confirmabatur eorum sermone: qui à suis ciuitatibus illis nauibus præpositi fuerant: qui ex illo numero reliqui, Syracusas classe amissa refugerant. dicebant quos ex sua quisque naui missos sciret esse. res erat clara: neque solum argumentis sed etiam certis testibus istius audacia tenebatur. homo certior fit: agi nihil in foro, & conuentu toto die, nisi hoc queri à Nauarchis: quemadmodum classis esset amissa. illos respondere, & docere unumquenq;, missione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore, & fuga. Quod postea quam iste cognouit: hanc rationem habere cœpit. causam sibi dicendam esse statuerat iam ante, quàm hoc usu uenerit: ita ut ipsum priore actione dicere audistis. uidebat illis nauarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse: consi-

lium capit primo ſtultum, ueruntamen clemens: Cleomenem, & Nauarchos ad ſe uocari iubet. ueniunt. accuſat eos, quod huiuſmodi de ſe ſermones habuerint: rogat, ut id facere deſiſtant: & in ſua quiſq; naui dicat ſe tantum habuiſſe nautarum, quantum oportuerit, neque quenquã eſſe dimiſſum. Illi enim uero, ſe oſtendunt, quod uellet, eſſe facturos. Iſte non procraſtinat: aduocat amicos ſtatim: quærit ex his ſigillatim, quot quiſq; nautas habuerit. reſpondit unuſquiſq;, ut erat præceptum. iſte in tabellas refert: obſignat ſignis amicorum prouidens homo: ut contra hoc crimen, ſi quando opus eſſet, hac ui delicet teſtificatione uteretur. Deriſum credo eſſe hominem amentem à ſuis conſiliarijs: & admonitum, haſce ei tabellas nihil profuturas. etiam plus ex nimia Prætoris diligentia ſuſpitionis in eo crimine futurũ. Etiam iſte erat hac ſtultitia multis in rebus uſus: ut publice quoq;, quæ uellet in ciuitatum literis, & tolli, & referri iuberet. quæ omnia nunc intelligit ſibi nihil prodeſſe: poſtea quam certis literis, teſtibus, authoritatibuſq; conuincitur. ubi hoc uidet, illorum oõfeſſionem, teſtificationem ſuam, tabellas ſibi nullo adiumento futuras: init conſilium nõ improbi prætoris, nam id quidem eſſet ferendum, ſed importuni, atq; amentis tyranni. Statuit, ſi hoc crimen extenuare uellet, nam omnino tolli poſſe non arbitrabatur, Nauarchos omnes teſtes ſui ſceleris uita eſſe priuandos. Occurrebat illa ratio, quid Cleomeni fiet? potero ne animaduertere in eos, quos dicto audientes eſſe iuſſi? miſſum facere eum, cui imperium poteſtatemq; permiſi? potero ne eos afficere ſupplicio, qui Cleomenem ſecuti ſunt? ignoſcere Cleomeni: qui ſecum fugere, & conſequi iuſſit? potero ne in

eos eſſe

eos eſſe uehemens, qui naues inanes nõmodo habuerunt, ſed etiam apertas? in eum diſſolutus, qui ſolus habuerit conſtratam nauem, & minus exinanitam? pereat Cleomenes una. ubi fides? ubi execrationes? ubi dextræ, complexuſq;? ubi illud contubernium muliebris militiæ, in illo delicatiſſimo litore? fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem uocat: dicit ei, ſe ſtatuiſſe animaduertere in omnes Nauarchos: ita ſui periculi rationes ferre, ac poſtulare. tibi uni parcam: & totius iſtius culpæ crimen, uituperationemq; inconſtantiæ, potius ſuſcipiam: quam aut in te ſim crudelis, aut tot tam graues teſtes uiuos, incolumesq; eſſe patiar. agit gratias Cleomenes: approbat conſilium: dicit ita fieri oportere: admonet tamen illud, quod iſtum fugerat: in Phalargum Centuripinum nauarchum non poſſe animaduerti: propterea, quod ſecum fuiſſet unà in Centuripina quadriremi. quid ergo? iſte homo ex eiuſmodi ciuitate, adoleſcens nobiliſſimus, teſtis relinquetur? in præſentia inquit Cleomenes, quoniam ita neceſſe eſt. ſed poſt aliquid uidebimus, ne iſte nobis obſtare poſſit. Hæc poſteaquam acta, & conſtituta ſunt: procedit iſte repente è prætorio: inflammatus ſcelere, furore, crudelitate, in forum uenit: Nauarchos uocari iubet. qui nihil metuerent, nihil ſuſpicarentur, ſtatim accurrunt. iſte hominibus miſeris, innocentibuſq; injici cathenas imperat. implorare illi fidem populi Romani, & quare id faceret, rogare. tunc iſte hoc cauſæ dicit: quod claſſem prædonibus prodidiſſent. Fit clamor, & admiratio populi: tantam eſſe in homine impudentiam, atque audaciam: ut aut alijs cauſam calamitatis attribueret, quæ omnis propter auariciam ipſius accidiſſet: aut, cum ipſe prædo

num socius putaretur, alijs proditionis crimen inferret: deinde, hoc quintodecimo die crimen esse natum, postq̃ classis esset amissa. Cum hæc fierent, quærebatur ubi esset Cleomenes: non quo illum ipsum, cuiusmodi esset, quisquam supplicio propter illud incommodum dignum putaret. nam qd Cleomenes facere potuit. non enim possum quenquam insimulare falso, quid inquam magnopere potuit Cleomenes facere, istius auaricia nauibus exinanitis? atq; eum uident sedere ad latus prætoris, & ad aurẽ familiariter, ut solitus erat, insusurrare. tum uero omnibus indignißimũ uisum est: homines honestißimos, electos ex suis ciuitatibus, in ferrum, atq; in uincla coniectos: Cleomenem propter flagitiorũ, ac turpitudinis societatem familiarißimum esse prætoris. apponitur his tamen accusator Nœuius Turpio quidam, qui C. Sacerdote prætore, iniuriarum damnatus est: homo bene appositus ad istius audaciam: quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia, præcursorem habere solebat, & emissarium. Veniunt Syracusas parentes, propinquiq; miserorum adolescentium hoc repentino calamitatis suæ commoti nuncio: uinctos aspiciunt cathenis liberos suos: cum istius auariciæ pœnam, collo, & ceruicibus suis sustinerent, adsunt: defendunt: proclamant: fidem tuam, quæ nusquam erat, nec unquam fuit, implorant. Pater aderat Dexio Tindaritanus homo nobilißimus, hospes tuus, cuius tu domi fueras, quem hospitem appellaras. eum, cum illa authoritate, & miseria uideres præditum: non te eius lachrymæ, non senectus, non hospitij ius atq; nomen à scelere aliquam ad partem humanitatis reuocare potuit. Sed quid ego hospitij iura in hac tam immani bellua commemoro? qui

Sthenium Thermitanum hospitem suum, cuius domum per hospitium exhausit, & exinaniuit, absentem in reos retulerit: causa indicta capite damnarit: ab eo nunc hospitiorum iura, atq; officia quæramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fera atq; immani bellua? te patris lachrymæ de innocentis filij periculo non mouebant? cum patrem domi reliquisses: filium tecum haberes: te neque præsens filius de liberorum charitate, neq; absens pater, de indulgentia patria commonebat? Cathenas habebat hospes tuus Aristeus, Dexionis filius. quid ita? prodiderat classem. quod ob præmium? deseruerat exercitum. quid Cleomenes? ignauus fuerat. at eum tu ob uirtutem corona aurea donaras. dimiserat nautas. at ab omnibus tu mercedem missionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitensis Eubulida, homo domi suæ clarus, & nobilis: qui quia Cleomenem in defendendo filio læserat, nudus penè est destitutus. Quid erat autem quod quisquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. at causa cogit. moriere si appellaris. nunquam enim iste est cuiquam mediocriter minatus. At remiges non erant. prætorem tu accusas? frange ceruicem. Si neq; prætorẽ, neq; prætoris æmulum appellare licebit, cum in his duobus tota causa sit, quid futurum est? Dicit etiam causam Heraclius Segestanus homo domi suæ summo loco natus: audite, ut uestra humanitas postulat Iudices: audietis enim de magnis incommodis, iniurijsq; sociorum. Hunc scitote fuisse Heraclium in ea causa: qui propter grauem morbum oculorum, tum cum nauigarit: & iussu eius qui potestatem habuit, in commeatu Syracusijs remanserit. Iste certe neq; prodidit classem, neque metu

perterritus fugit: neque exercitum deseruit. etenim tunc esset hoc animaduersum: cum classis Syracusis proficiscebatur. is tamen in eadem causa fuit: quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus: in quem ne falso quidem causa conferri criminis potuit. Fuit in illis Nauarchis Heraclienſis quidam Furius, nam habent illi nonnulla huiusce modi latina nomina, homo quandiu uixit, domi suæ, non solum post mortem tota Sicilia clarus, & nobilis. in quo homine tantum animi fuit: non solum ut istum libere læderet, nam id quidem, quoniam moriendum uidebat, sine periculo se facere intelligebat, uerum morte proposita cum lachrymans in carcere mater noctes, diesq; assideret, defensionem causæ suæ scripsit: quam nunc nemo est in Sicilia, quin habeat, quin legat, quin tui sceleris, & crudelitatis ex illa oratione commonefiat. In qua docet, quot à ciuitate sua nautas acceperit: quot, & quanti quenq; dimiserit: quot secum habuerit. item de cæteris nauibus dicit. quæ cum apud te diceret, uirgis oculi uerberabantur. ille morte proposita, facile dolorem corporis patiebatur. clamabat, id quod scriptum reliquit: facinus esse indignum: plus impudicissimæ mulieris apud te de Cleomenis salute, quàm de sua uita lachrymas matris ualere. deinde etiam illud uideo esse dictum, quod, si recte uos populus Roma. cognouit, non falso ille iam in ipsa morte de uobis prædicauit: non posse Verrem testes interficiendo, crimina sua extinguere: grauiorem apud sapientes iudices sore ab inferis testem, quàm si uiuus in iudicium produceretur. tum audaciæ solum, si uiueret: nunc, cum ita esset necatus, sceleris, audaciæ, crudelitatis testem fore. Iam illa præclara, non testium modo cateruas, cum

tua res ageretur: sed tum à dijs manibus innocentium pœnas, sceleratorumq; furias in tuum iudicium esse uenturas. sese ideo leuiorem casum suum fingere, quod iam ante aciem securium tuarum, Sextiq; tui carnificis uultum, & manum uidisset: cum in conuentu ciuium Rom. iussu tuo securi ciues Ro. ferirentur. ne multa Iudices, libertatem quam uos socijs dedistis: hac ille in acerbissimo supplicio miserrimæ seruitutis abusus est. Condemnat omnes de consilij sententia: tamen neq; iste in tanta re, tot hominum totq; ciuium causa, P. Vectium ad se accersit quæstorem suum, cuius consilio uteretur: neque P. Ceruium talem uirum Legatum: qui, quia Legatus isto prætore in Sicilia fuit, primus ab isto iudex reiectus est: sed de latronum, hoc est de comitum suorum sententia condemnat omnes. Hic cuncti Siculi fidelissimi, atque antiquissimi socij, plurimis affecti beneficijs à maioribus nostris, grauiter commouentur: & de suis periculis, fortunisq; omnibus pertimescunt. Illam clementiam, mansuetudinemq; nostri Imperij in tantam crudelitatem, inhumanitatemq; esse conuersam? condemnari tot homines uno tempore nullo crimine? defensionem suorum furtorum prætorem improbum ex indignissima morte innocentium quærere? Nihil addi iam uidetur Iudices ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemq; posse & recte nihil uidetur. nam, si cum aliorum improbitate certet, longe omnes multumq; superabit. sed secum ipse certat: id agit, ut semper superius suum facinus nouo scelere uincat. Phalargum Centuripinum dixeram exceptum esse à Cleomene: quod in eius quadriremi Cleomenes uectus esset: tamen quia pertimuerat adolescens, quod eandem suam causam uide-

bat esse, quam illorum, qui innocentes peribant: ad hominem accedit Timarchides: à securi negat esse ei periculum: uirgis ne cæderetur, monet ut caueat. ne multa: ipsum dicere adolescentem audistis: se ob hunc uirgarum metum, pecuniam Timarchidi numerasse. Leuia sunt hæc in hoc reo crimina. metum uirgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis precio redemit. humanum alius ne condemnaretur pecuniam dedit. usitatum est. nõ uult populus Ro. obsoletis criminibus accusari Verrem. noua postulat: inaudita desiderat: non de prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fieri iudicium arbitratur. Includuntur in carcerem condemnati. supplicium constituitur in illos: sumitur de miseris parentibus Nauarchorum: prohibentur adire ad filios suos: prohibentur liberis suis cibum, uestitumq; ferre. patres hi, quos uidetis, iacebant in limine: matresq; miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberum exclusæ: quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors, terrorq; sociorum, & ciuium, lictor Sestius: cui ex omni gemitu, doloreq;, certa merces comparabatur. ut adeas, tantum dabis. ut cibum tibi introferre liceat, tantum. nemo recusabat. quid ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo? quid dabis, ne diu crucietur? ne sæpius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur. Etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur. O' magnum atque intolerandum dolorem: O' grauem acerbamq; fortunam. non uitam liberum, sed mortis celeritatem precio redimere cogebantur parentes. atq; ipsi etiam adolescentes cum Sestio de eadem plaga, &

de uno illo ictu loquebantur: idq; postremum parentes sus os liberi orabant: ut leuandi cruciatus sui gratia pecunia lictori daretur. Multi, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis, multi. ueruntamen mors sit extrema. non erit. est ne aliquid ultra, quo crudelitas progredi possit? reperietur. nam illorum liberi, cum eruunt securi percussi, ac necati, corpora feris obijcientur. hoc si luctuosum est parenti, redimat precio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum hominem nobilem dicere audistis: se ob sepulturam Heraclij Nauarchi pecuniam Timarchidi dinumerasse: hoc ne possis dicere. patres enim ueniunt amissis filijs irati: uir primarius, homo nobilissimus, dicit: neque de filio dicit. Iam hoc quis tum fuit Syracusis, qui non audierit, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturæ cum uiuis etiam illis esse factas. non palàm cum Timarchide loquebantur? non omnes hominum propinqui adhibebantur? non palàm uiuorum funera locabantur? quibus rebus omnibus actis, atque decisis, producuntur è carcere, & deligantur ad palum. Quis tam fuit illo tempore durus, & ferreus? quis tam inhumanus? præter unum te: qui non illorum ætate, nobilitate, miseria commoueretur? ecquis fuit, quin lachrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, ut fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur? Feriuntur securi. lætaris tu in omnium gemitu, & triumphas: testes auariciæ tuæ gaudes esse sublatos. Errabas Verres, et uehementer errabas: cum te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare: præceps amentia ferebare, q te existima-

res auariciæ uulnera crudelitatis remedijs posse sanare. etenim, quanquam illi sunt mortui sceleris tui testes: tamen eorũ propinqui neq; tibi neq; illis desunt: tamẽ ex illo ipso numero nauarchorũ aliq uiuunt, & adsunt: quos ut mihi uidetur ab illorum innocentium pœna fortuna ad hanc causam reseruauit. Adest Philarchus Haluntinus: qui quia cum Cleomene non nauigauit, oppressus à prædonibus, & captus est: cui calamitas saluti fuit, qui nisi captus à piratis esset, in hunc prædonem sociorum incidisset. dicet is pro testimonio de missione nautarum, de fame, de Cleomenis fuga. Adest Centuripinus Phalargus in amplissima ciuitate, amplissimo loco natus. eadem dicit: nulla in re discrepat. Per deos immortales Iudices quo tandem animo feretis? aut hæc quemadmodum auditis? Vtrum ego desipio, & plusquam satis opus est, doleo in tanta calamitate, miseriaq; sociorum? an uos quoq; hic acerbissimus innocẽtium cruciatus, & mœror pari sensu doloris afficit? ego enim cum Herbitensem, cum Heracliensem securi esse percussum dico: uersatur mihi ante oculos indignitas calamitatis. eorum ne populorum ciues, eorum ne agrorum colonos, ex quibus maxima uis frumenti quotannis plebi Romanæ illorum operis, ac laboribus quæritur: qui à parentibus spe nostri imperij, nostræq; æquitatis susceptiq; educatiq; sunt: ad C. Verris nefariam immanitatem, & ad eius securem funestam esse seruatos? cum mihi Tindaritani illius uenit in mentem, cum Segestani: tum iura simul ciuitatum, atq; officia considero. quas urbes P. Africanus etiam ornandas esse spolijs hostium arbitratus est: eas C. Verres non solum illis ornamentis, sed etiam uiris nobilissimis nefario scelere priuauit. en quod Tindaritani libenter

prædicent: nos in septemdecim populis Siciliæ non eramus: nos semper in omnibus Punicis Sicilienſibusq; bellis amicitiam fidemq; populi Ro. secuti sumus: à nobis omnia populo Ro. semper & belli adiumenta, & pacis ornamenta administrata sunt. Multum uero hæc his iura profuerunt in istius imperio ac potestate. Vestros quondam nautas contra Carthaginem Scipio duxit. at nunc naues contra prædones penè inanes Cleomenes ducit. Vobiscum Africanus hostium spolia, & præmia laudis communicauit. at nunc per me spoliati naue à prædonibus abducta, ipsi in hostium numero, locoq; ducemini. Quid uero illa Segestanorum non solum literis tradita, neq; commemorata uerbis, sed multis officijs illorum usurpata & comprobata cognatio, quos tandem fructus huiusce necessitudinis in istius imperio tulit? nempe hoc fuit iure Iudices: ut ex sinu patris nobilissimus adolescens, & è complexu matris ereptus innocens filius istius carnifici Sextio dederetur. Cui ciuitati maiores nostri maximos agros, atq; optimos concesserunt: quam immunem esse uoluerunt: hæc autẽ apud te cognationis, fidelitatis, uetustatis, authoritatis, ne hoc quidem iuris obtinuit: ut unius honestissimi atq; innocentissimi ciuis mortem, & sanguinem deprecaretur. Quo confugient socij? quem implorabunt? qua spe deniq; ut uiuere uelint tenebuntur, si uos eos deseritis? ad Senatum deuenient, qui de Verre supplicium sumat? non est usitatum, non Senatorium. ad populum Ro. confugient? facilis est causa populi. legem enim sociorum causa iussisse, & eius legis custodes, ac uindices præposuisse dicit. Hic locus est igitur unus, quo perfugiant: hic portus: hæc arx: hæc ara sociorum: quo quidem nunc non ita confu-

giunt, ut antea in suis repetendis rebus solebant. non ar-
gentum, non aurum, non uestem, non mancipia repe-
tunt: nõ ornamenta, quæ ex urbibus, fanisq; erepta sunt.
metuunt homines imperiti, ne iam hæc populus Ro. con
cedat, & iã fieri uelit. patimur enim iam multos annos,
& silemus: cum uideamus ad paucos homines omnes o-
mnium nationũ pecunias peruenisse. quod eo magis fer-
re æquo animo atque concedere uidemur: quia nemo
istorum dissimulat: nemo laborat, ut obscura sua cu-
piditas esse uideatur. in urbe nostra pulcherrima atque
ornatissima quod signum? quæ tabula picta est? quæ
non ab hostibus uictis capta, atq; apportata sit? at isto-
rum uillæ sociorum fidelissimorum & plurimis, &
pulcherrimis spolijs ornatæ refertæq; sunt. ubi pecu-
nias exterarum nationum esse arbitramini? quibus
nunc omnes egent: cum Athenas, Pergamum, Cyzicum,
Miletum, Chion, Samõ, totam deniq; Asiam, Achaiam,
Græciam, Siciliam iam in paucis uillis inclusas esse ui-
deatis. Sed hæc, ut dico, omnia iam socij uestri relin-
quunt & negligunt Iudices: ne publice à populo Rom.
spoliarentur, officijs ac fide prouiderunt. paucorum cu-
piditati, tum cum obsistere non poterant, tamen suffice-
re aliquo modo poterant. nunc uero iam adempta est
nonmodo resistendi, uerum etiam suppeditandi facul-
tas. Itaq; res suas negligunt: pecunias, quo nomine iu-
dicium hoc appellatur, non repetunt, relinquunt, & ne-
gligunt. hoc iam ornatu ad uos confugiunt. aspici-
te, aspicite Iudices squalorem, sordesq; sociorum. est
Sthenius hic Thermitanus cum hoc capillo, atq; uestr:
domo sua tota expilata, mentionem tuorum furtorum
non facit: sese ipsum abs te repetit, nihil amplius. totum

enim tua libidine, & scelere, ex sua patria, in qua mul-
tis uirtutibus, & beneficijs floruit princeps sustulisti.
Dexio hic, quem uidetis, non quæ publice Tyndari, non
quæ priuatim sibi eripuisti: sed unicum miser abs te fi-
lium optimum, atq; innocentissimum flagitat. non ex li-
tibus æstimatis tuis pecuniam, domum, sed ex tua calami
tate cineri, atq; ossibus filij sui solatiũ uult aliquod repor
tare. Hic iam grandis natu Eubulida hoc tantum exacta
ætate laboris, itinerisq; suscepit: non ut aliquid ex
suis bonis recuperaret: sed ut quibus oculis cruentas cer
uices filij sui uiderat: iisdem te condemnatum uide-
ret. Si per L. Metellum licitum esset Iudices: matres
illorum, uxores, sororesq; ueniebant. quarum una, cum
ego ad Heracliam noctu accederem: cum omnibus ma-
tronis eius ciuitatis, & cum multis facibus mihi ob-
uiam uenit: & ita me suam salutem appellans, te suum
carnificem nominans, filij nomen implorans, mihi ad
pedes misera iacuit: quasi ego excitare filium eius ab
inferis possem. faciebant hoc idem in cæteris ciuitati-
bus grandes natu matres, & item paruuli liberi mi-
serorum: quorum utrorumq; ætas laborem, & in-
dustriam meam, fidem, & misericordiam uestram
requirebant. Itaq; ad me Iudices præter cæteras hanc
querimoniam Sicilia detulit lachrymis. ego ad hoc non
gloria inductus accessi: sed ne falsa damnatio, ne car-
cer, ne cathenæ, ne uerbera, ne secures, ne cruciatus socio
rum, ne sanguis innocentium, ne deniq; etiam exangui-
um corpora mortuorum, ne mœror parentum, ac pro-
pinquorum magistratibus nostris quæstui posset esse.
Hunc ego si metum Siciliæ, damnatione istius per ue-
stram fidem, & uirtutem deiecero Iudices: satis offi-

cio meo, satis illorum uoluntati, qui à me hoc petiuerunt, factum esse arbitrabor. quapropter, si quẽ forte inueneris, qui hoc nauale crimen conetur defendere, ista defendat: illa communia, quæ ad causam nihil pertinent prætermittat: me culpam fortunæ assignare: calamitatem crimini dare: me amissionem classis obijcere: cum multi uiri fortes in communi, incertoq; periculo belli, & terra, & mari sæpe offenderint. Nullam tibi obijcio fortunam: nihil est, quod cæterorum res minus commode gestas proferas: nihil est, quod multorum naufragia fortunæ colligas. ego naues inanes fuisse dico: remiges, nautasq; dimissos: reliquos stirpibus uixisse palmarum: præfuisse classi populi Ro. Siculũ, perpetuo socijs, atq; amicis Syracusanum: te ipso illo tempore superioribusq; diebus omnibus in litore, cum mulierculis potasse dico. harum rerum omniũ authores, testesq; produco. Num tibi insultare in calamitate, num intercludere perfugium fortunæ, num casus bellicos exprobrare, aut obijcere uideor? tametsi solent hi fortunam sibi obijci nolle: qui se fortunæ commiserunt: qui in eius periculis sunt ac uarietate uersati. istius quidẽ calamitatis tuæ fortuna particeps non fuit. homines enim in prælijs, non in conuiuijs belli fortunam tentare, ac periclitari solẽt: in illa autem calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerem possumus dicere. quod si fortunam tibi obijcere non oportet: cur tu fortunæ illorum innocentiũ ueniam, ac locum non dedisti? Etiam illud prædicas licet: quod supplicium more maiorum sumpseris, securiq; percusseris: iccirco à me in crimen & inuidiam uocari. non in supplicio crimen meum uertitur: non ego securi nego quenquam feriri debere: non ego metum ex re militari,

non seueritatem imperij, non pœnam flagitij tolli dicõ oportere: fateor non modo in socios, sed etiam in ciues, milites q; nostros persæpe esse uere, ac uehementer uindicatum. quare hæc quoq; prætermittas licet. Ego culpam non in nauarchis, sed in te fuisse demonstro: precio milites, remigesq; dimisisse arguo. hoc Nauarchi reliqui dicunt: hoc Netinorũ fœderata ciuitas publice dicit: hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Ennenses, hoc Agyrinenses, Tindaritani, Locrenses publice dicunt: tuus deniq; testis, tuus Imperator, tuus hospes Cleomenes hoc dicit: sese in terra esse proiectum, uti Pachyno, è terrestri præsidio milites colligeret, quos in nauibus collocaret. quod certe non fecisset, si suum numerum naues haberent. ea est enim ratio instructarum, ornatarumq; nauium: ut nonmodo plures, sed ne singuli quidem possint accedere. dico præterea, illos ipsos reliquos nautas fame, atque inopia rerum omnium confectos fuisse, ac perditos. dico aut omnes extra culpam fuisse: aut si uni attribuenda culpa sit: in eo maximam fuisse, qui optimam nauem, plurimos nautas haberet, summum imperium obtineret. aut si omnes in culpa fuissent: non oportuisse Cleomenem constitui spectatorem illorum mortis, atque cruciatus. dico etiam, in illo supplicio mercedem lachrymarum, mercedem uulneris, atq; plagæ, mercedem funeris, ac sepulturæ constitui nefas fuisse. Quapropter si mihi respondere uoles, hoc dicito. classem instructam, atq; ornatam fuisse: nullum propugnatorem abfuisse: nullum uacuum tractum esse remum: rem frumentariã esse suppeditatã: mentiri Nauarchos: mentiri tot & tã graues ciuitates: mentiri etiam Siciliam totam: proditũ esse te à Cleome-

re: qui se dixerit exisse in terram: ut Pachyno deduceret milites: animum illis, non copias defuisse: Cleomenē acerrime pugnantem ab his relictum esse, atq; desertum: numum ob sepulturam datum nemini quæ si dices, tenebere. sin alia dices, quæ à me dicta sunt, non refutabis. Hic tu etiam dicere audebis? est in Iudicibus ille familiaris meus: est paternus amicus ille? non ut quisq; maxime est, qui cum tibi aliquid sit: ita tui huiusce modi criminis maxime eum pudet? Paternus amicus est. ipse pater si iudicaret per deos immortales quid facere posset, cum tibi hæc diceret? tu in prouincia populi Ro. prætor, cum tibi maritimum bellum esset administrandum: Mamertinis, ex fœdere quam deberent nauem, per triennium remisisti: tibi apud eosdem priuatim nauis oneraria maxima publice est ædificata: tu à ciuitatibus pecunias classis nomine coegisti: tu precio remiges dimisisti: tu cū nauis esset à quæstore, & ab Legato capta prædonum: archipiratam ab omnium oculis remouisti: tu, ciues Romani qui esse dicerentur, qui à multis cognoscerentur, securi ferire potuisti: tu tuam domum piratas abducere, in iudicium archipiratam domo producere ausus es: tu in prouincia tam splendida, apud socios fidelissimos, ciues Ro. honestissimos, in metu, periculoq; prouinciæ, dies continuos complures in litore, conuiuijsq; iacuisti: te per eos dies nemo domi tuæ conuenire, nemo in foro uidere potuit: tu sociorū, atq; amicorum ad ea conuiuia matres familias adhibuisti: tu inter eiusmodi mulieres prætextatū tuum filiū, nepotem meum, collocauisti: ut ætati maxime lubricæ atq; incertæ exempla nequitiæ parētis uita præberet: tu prætor in prouincia cum tunica pallioq; purpureo uisus es: tu propter amorem libidinemq; tuam, impe-

rium nauium Legato populi Rom. ademisti, Syracusano tradidisti: tui milites in prouincia Siciliæ frugibus, frumentoq; caruere: tua luxuria, atque auaricia classis populi R. à prædonibus capta & incensa est: post Syracusas conditas quem in portum nunquā hostis accesserat: in eo te prætore primū piratæ nauigauerūt: neq; hæc tot tanta q; dedecora dissimulatione tua, neq; obliuione hominum, ac taciturnitate, tegere uoluisti: sed etiā nauiū præfectos sine ulla causa, de complexu parentū suorū, hospitumq; tuorum, ad mortem cruciatumq; rapuisti: neq; in parentum luctu, atq; lachrymis, te mei nominis commemoratio mitigauit: tibi hominum innocentium sanguis non modo uoluptati, sed etiam quæstui fuit. Hæc si tibi tuus parens diceret, posses ab eo ueniam petere? posses ut tibi ignosceret postulare? Satis est factum Siculis: satis officio, ac necessitudini Iudices: satis promisso nostro, ac recepto. reliqua est ea causa Iudices: quæ nō iā recepta, sed innata, neq; delata ad me, sed in animo, sensuq; meo penitus affixa, atq; insita est: quæ non ad sociorum salutem, sed ad ciuium Romanorum, hoc est ad uniuscuiusq; nostrum uitā, & sanguinē pertinet. in qua nolite à me, quasi dubium sit aliquid, argumenta Iudices expectare. omnia quæ dicam de supplicio ciuium Romanorū, sic erunt clara, & illustria: ut ad ea probanda totam Siciliam testem adhibere possim. furor enim quidā sceleris, & audaciæ comes, istius effrenatum animum, immanemq; naturā tanta oppressit amentia: ut nunquā dubitaret in conuentu palàm supplicia, quæ in conuictos maleficij seruos constituta sunt: ea in ciues R. exprimere. uirgis quàm multos ceciderit: quid ego cōmemorem? tantū breuissime dico Iudices: nullū fuit omnino is-

prætore in hoc genere discrimen. Itaque iam consuetudine ad corpora ciuium Roman. etiam sine istius nutu, ferebatur manus ipsa lictoris. Num potes hoc negare Verres? in foro Lilybei, maximo conuentu, C. Seruilium ciuem Romanum, in conuentu Panormitano ueterem negociatorem, ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram uirgis, & uerberibus abiectum? aude hoc primum negare si potes. nemo Lilybei fuit, quin uiderit. nemo in Sicilia, quin audierit. plagis confectum dico à lictoribus tuis ciuem Romanũ, ante oculos tuos concidisse: ob quã causam dij immortales? tametsi iniuriam facio communi causæ, & iuri ciuitatis. quasi enim posit esse ulla causa: cur hoc cuiquam ciui Ro. iure accidat: ita quæro, quæ in Seruilio causa fuerit. ignoscite in hoc uno Iudices. in cæteris enim nõ magnopere causas requiram. Locutus erat liberius de istius improbitate, atq; nequitia: quod isti simul ac renunciatum est: hominem iubet Lilybeum uadimonium Venerio seruo promittere. promittit. Lilybeum uenitur. cogere eum cœpit, cũ ageret nemo, nemo postularet, HS. duobus millibus sponsionem facere cum lictore suo, ni furtis quæstum faceret. Recuperatores de cohorte sua dicit daturum. Seruilius & recusare: & deprecari: ne iniquis iudicibus, nullo aduersario, iudicium capitis in se constitueretur. Hæc cũ maxime loqueretur: sex lictores circunsistunt ualentißimi, & ad pulsandos, uerberandosq; homines exercitatißimi: cædũt acerrime uirgis: deniq; proximus lictor, de quo sæpe iam dixi, Sextius, conuerso bacillo oculos misero tundere uehementißime cœpit. itaq;, illi cũ sanguis os, oculosq; compleret, concidit: cum illi nihilominus iacenti latera tunderet, ut aliquando spõdere se diceret. sic ille affectus illinc

illinc tũ pro mortuo sublatus, breui postea est mortuus. Iste autem homo uenerius, & affluens omni lepõre, & uenustate, de bonis illius in æde Veneris argenteum Cupidinem posuit. sic etiam fortunis hominum abutebatur ad nocturna uota cupiditatum suarum. Nam quid ego de cæteris ciuium Ro. supplicijs sigillatim potius, quàm generatim, atq; uniuerse loquar? Carcer ille, qui est à crudelißimo tyranno Dionysio factus Syracusis: quæ Lautumiæ uocantur: in istius imperio domicilium Romanorum fuit. ut quisq; istius animum, aut oculos offenderat, in Lautumias statim cõijciebatur. Indignum hoc uideri omnibus Iudices: & id iam priore actione, cum hæc testes dicerent, intellexi. retineri enim putatis oportere iura libertatis nonmodo hic, ubi tribuni plebis sunt: ubi cæteri magistratus: ubi plenum fõrũ iudiciorum: ubi Senatus authoritas: ubi existimatio populi Ro. & frequentia: sed ubicunq; terrarum, & gentium uiolatum ius ciuium Ro. sit, statuitis id pertinere ad cõmunem causam libertatis, & dignitatis. In externorum hominum, & maleficorum, sceleratorumq;, in prædonum, hostiumq; custodias tu tantum numerum ciuiũ Ro. includere ausus es? nunquam ne tibi iudicij, nunquam concionis, nunquã huius tantæ frequentiæ, quæ nũc animo te iniquißimo, infestißimoq; intuetur, uenit in mentem? nunquã tibi populi Ro. absentis dignitas, nunquã species ipsa huiusce modi multitudinis, in oculis, animoq; uersata est? nunquam te in horum conspectum rediturum, nunquam in fõrum populi Ro. uenturum, nunquam sub legum, & iudiciorum potestatem casurũ esse putasti? At quæ erat ista libido crudelitatis exercendæ? quæ tot scelerum suscipiendorum causa? nulla iu-

dices, præter prædandi nouam singularemq; rationem. Nam ut illi, quos à poetis accipimus sinus quosdam obsedisse maritimos, aut aliqua promontoria, aut præruptа saxa tenuisse dicũtur: ut qui essent appulsi nauigijs, interficere possent: sic iste in omnia maria infestus, ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. quæcunq; nauis ex Asia, quæ ex Syria, quæ Tyro, quæ Alexandria uenerat, statim certis indicibus, & custodibus tenebatur. uectores omnes in Lautumias conijciebantur: onera, atq; merces in prætoriam domum deferebãtur. Versabatur in Sicilia longo interuallo alter, non Dionysius ille, nec Phalaris, tulit enim illa quondam insula multos, & crudeles tyrannos, sed quoddam nouum monstrum, ex uetere illa immanitate: quæ in ijsdem locis uersata esse dicitur. Non enim Carybdin tam infestam, neq; Scyllam nautis: quàm istum in eodem freto fuisse arbitror. hoc etiam iste infestior: quod multo se pluribus, & maioribus canibus succinxerat. Cyclops alter, multo importunior. hic enim totam insulam obtinebat: ille Aetnã solam, et eam Siciliæ partẽ tenuisse dicitur. At quæ causa tum subijciebatur ab ipso iudices huius tam nefariæ crudelitatis? ea dem quæ nunc in defensione commemorabitur. Quicunque accesserant ad Siciliam paulo pleniores: eos Sertorianos milites esse, atq; à Dianio fugere dicebat. illi ad deprecandum periculũ proferebãt, alij purpurã Tyriam, thus alij, atq; odores, uestemq; linteam: gemmas alij, & margaritas: uina nõnulli græca, uenalesq; Asiaticos: ut intelligeretur ex mercibus, quibus locis nauigarent. non intelligebant eas ipsas sibi causas esse periculi: quibus adiumentis se ad salutem uti arbitrabantur. iste enim hæc eos ex piratarum societate adeptos esse dicebat: ipsos in

Lautumias abduci imperabat: naues eorum, atq; onera diligenter asseruanda curabat. His institutis, cum completus iam mercatorum carcer esset: tum illa fiebãt, quæ L. Suetium equitem Ro. lectissimum uirum dicere audistis: quæ cæteros audietis. ceruices in carcere frangebantur indignissime ciuium Romanorum: ut etiam illa uox, & illa imploratio, ciuis Rom. sum: quæ sæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros, & salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & supplicium maturius ferret. Quid est Verres? quid ad hæc cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere istis defensoribus tuis audes? cedo mihi quæso ex ipsius sinu literas Syracusanorum: quas iste ad arbitrium suum confectas esse arbitratur: cedo rationem carceris: quæ diligentissime conficitur: quo quisq; die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. LITERAE SYRACVSANORVM. Videtis ciues Romanos gregatim coniectos in Lautumias: uidetis indignissimo in loco coaceruatã multitudinem uestrorum ciuium: quærite nunc uestigia prius: quibus exitus illorum, ex illo loco compareant. nulla sunt. omnes ne mortui? si ita posset defendere: tamen fides huic defensioni non haberetur. sed scriptum extat in ijsdem literis: quod iste homo barbarus, ac dissolutus neque attendere unquam, neque intelligere potuit. ἀπεκόπησαν inquit: hoc est, ut Siculi loquuntur, supplicio affecti, ac necati sunt. Si quis rex, siqua ciuitas exterarum gentium, siqua natio fecisset aliqd in ciuẽ R. eiusmodi: nonne publice uindicaremus? non bello persequeremur? possemus hãc iniuriã ignominiãq; nominis Ro. inultã, impunitãq; dimittere? quot bella maiores nostros,

& quanta ſuſcepiſſe arbitramini: quod ciues Ro. iniu-
ria affecti, quod nauicularij retẽti, quod mercatores ſpo
liati dicerentur? at ego retentos nõ queror: ſpoliatos fe-
rendum puto: nauibus, mãcipijs, mercibus ademptis, in
uincla cõiectos eſſe mercatores, & in uinculis ciues Ro.
necatos eſſe, arguo. Si hæc apud Scythas dicerem, nõ hic
in tanta multitudine ciuium Romanorum, non apud Se
natores lectiſſimos ciuitatis, nõ in foro populi Rom. de
tot, & tam acerbis ſupplicijs ciuium Romanorum: ta-
men animos etiam barbarorum hominũ permouerem.
tanta enim huius imperij amplitudo, tãta nominis Ro.
dignitas eſt apud omnes nationes: ut iſta in noſtros homi
nes crudelitas nemini conceſſa uideatur. Num ego tibi
ullam ſalutem, ullum perfugium putem? cum te implica
tum ſeueritate iudicum, circumretitum frequentia po-
puli Rom. eſſe uideam? Si me hercules, id quod fieri in-
telligo non poſſe, ex his laqueis te exueris, ac te aliqua
ui, ac ratione explicaris: in illas tibi maiores plagas in-
cidendum eſt: in quibus te ab eodem me, ſuperiore ex lo-
co confici, & concidi neceſſe eſt. Cui ſi etiã, id quod de-
fendit, uelim concedere: tamen illa ipſa defenſio non mi
nus eſſe ei perniciosa, quàm mea uera accuſatio debeat.
Quid enim defendit? ex Hiſpania fugientes ſe excepiſſe,
& ſupplicio affeciſſe dicit. quis tibi id permiſit? quo id
iure feciſti? quis idem fecit? qui tibi facere id licuit? forum
plenum, & baſilicas, iſtorum hominum uidemus: & ani
mo æquo uidemus. ciuilis enim diſſenſionis, et ſiue amen
tiæ, ſiue fati, ſeu calamitatis, non eſt iſte moleſtus exi-
tus: in quo reliquos ſaltem ciues incolumes licet conſer-
uare. Verres ille uetus proditor Cõſulis, translator quæ
ſturæ, auerſor pecuniæ publicæ, tantum ſibi authorita-

tis in Repub. ſuſcepit: ut quibus hominibus per Senatũ,
per populum Romanũ, per omnes magiſtratus, in foro,
in ſuffragijs, in hac urbe, in Repub. uerſari liceret: ijs o-
mnibus mortem acerbam, crudelemq; proponeret: ſi for
tuna eos ad aliquam partem Siciliæ detuliſſet. Ad Cn.
Pompeium clariſsimum uirum, & fortiſsimum permul-
ti occiſo Perpenna ex illo Sertoriano numero militum
confugerũt. quem nõ ille ſummo cum ſtudio ſaluum, in-
columẽq; ſeruauit? cui ciui ſupplici non illa dextera in-
uicta & fidem porrexit, & ſpem ſalutis oſtendit? Ità ne
uero? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma
tulerunt: ijs apud te, cuius nullum in Repub. unquam mo
numentum fuit, mors & cruciatus erat conſtitutus? ui-
de quàm commodam defenſionẽ excogitaris. malo, ma-
lo me hercules id, quod tu defendis, his iudicib. populoq;
Romano, quàm id, quod ego inſimulo, pbari. malo in-
quam te, iſti generi hominũ, quàm mercatoribus, & na
uicularijs inimicum, atq; infeſtũ putari. meum enim cri
men auariciæ te nimiæ coarguit: tua defenſio furoris cu
iuſdam, & immanitatis, et inauditæ crudelitatis, & pe
nè nouæ proſcriptionis. Sed non licet me iſto tanto bo-
no Iudices uti: non licet: adſunt enim Puteoli toti: fre-
quentiſsimi uenerunt ad hoc iudicium mercatores ho-
mines locupletes, atq; honeſti: qui partim ſocios ſuos,
partim libertos ab iſto ſpoliatos, in uincla cõiectos, par
tim in uinclis necatos, partim ſecuri pcuſſos eſſe dicẽt.
Hic uide quàm meſis uſurus æquo, cum ego P. Granium
teſtem produxero: qui ſuos libertos à te ſecuri percuſſos
eſſe dicat: qui à te nauem ſuã, mercesq; repetat: refellito
ſi poteris: meum teſtem deferam: tibi fauebo: te inquam
diuuabo: oſtendito illos cum Sertorio fuiſſe: à Dianio fu

gientes ad Siciliam esse delatos. nihil est quod te malim probare. nullum enim facinus, quod maiore supplicio dignum sit, reperiri, neq; proferri potest. Reducã iterum Equitem Romanum L. Flauium, si uoles. quoniam priore actione, ut patroni tui dictitant: nouã quadam sapientia, ut omnes intelligunt: conscientia tua, atq; authoritate meorum testium, testem nullum interrogasti: interrogetur Flauius si uoles, qui nam fuerit L. Herennius is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit: qui cum amplius centum ciues Romanos haberet, ex conuentu Syracusarum: qui eum non solum cognoscerent, sed etiam lachrymantes, ac te implorantes defenderent: tamen à te inspectantibus omnibus Syracusanis securi percussus est. Hunc quoq; testem meum refelli, & illum Herennium Sertorianum fuisse abs te demonstrari, & probari uolo. Quid de illa multitudine dicemus eorum: qui capitibus inuolutis in piratarum, captiuorumq; numero producebantur, ut securi ferirentur: quæ ista noua diligentia? quam ob causam abs te cogitata? an te L. Flauij, cæterorumq;, de L. Herennio uociferatio commouebat? an M. Annij grauissimi, atque honestissimi uiri summa authoritas pauloante diligentiorẽ timidioremq; fecerat? qui nuper pro testimonio, non aduenam nescio quem, nec alienum, sed eum ciuem Romanum, qui omnibus in illo conuentu notus, qui Syracusis natus esset: à te securi percussum esse dixit. Post hanc illorum uociferationem, post hanc communẽ famam, atq; querimoniã, non mitior in supplicio, sed diligentior esse cœpit. capitibus inuolutis ciues Ro. ad necem producere instituit. quos tamen iccirco necabat palàm: quod homines in cõuentu, id quod antea diximus, nimium diligenter præ-

donum numerum requirebant. Hæc in plebe Ro. tam præclara est constituta conditio: hæc negocij gerẽdi spes: hoc capitis, uitæq; discrimen. parũ ne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ? nisi etiam hæ formidines ab nostris magistratibus, atq; in nostris prouincijs impendebunt? ad eam ne rem fuit hæc suburbana, ac fidelis prouincia Sicilia, plena optimorum sociorum, & honestissimorum ciuium Romanorum: quæ ciues Ro. omnes suis ipsa sedibus libẽtissime semper accepit: ut qui usq; ex ultima Syria, atq; Aegypto nauigarent: qui apud barbaros propter togæ nomen in honore aliquo fuissent: qui ex prædonum insidijs, qui ex tempestatum periculis profugissent, in Sicilia securi ferirentur, cum se iam domum uenisse arbitrarentur? Nã quid ego de P. Gauio Cossano municipe dicam Iudices? aut qua ui uocis, qua grauitate uerborum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me nõ deficit. ut cætera mihi in dicendo, digna re, digna dolore meo suppetant, magis elaborandum est. Quod crimen eiusmodi est, ut, cũ primum ad me delatum est, usurum me illo non putarem. tametsi enim uerissimum esse intelligebam: tamen credibile fore non arbitrabar. coactus lachrymis omnium ciuium Ro. qui in Sicilia negociantur, adductus Valentinorum hominum honestissimorum testimonijs, omniũq; Rheginorum, multorumq; Equitum Ro. qui casu tum Messanæ fuerunt: dedi tantum priore actione testimonium, res ut nemini dubia esse posset. quid nunc agam? cũ iam tot horas de uno genere, ac de istius nefaria crudelitate dicam: cum propè omnem uim uerborum eiusmodi, quæ scelere istius digna sunt, alijs in rebus consumpserim: neque hoc prouiderim, ut uarietate criminum

uos attentos tenerẽ: quemadmodum de tanta re dicam? opinor unus modus, atq; una ratio est. rem in medio ponam: quæ tantũ habet ipsa grauitatis, ut neq; mea, quæ nulla est: neq; cuiusquã, ad inflãmandos uestros animos eloquentia requiratur. Gauius hic, quẽ dico, Cossanus, cum illo numero ab isto in uincula cõiectus esset: & nescio qua ratiõe, clàm è Lautumijs pfugisset, Messanamq; uenisset: qui propè iam Italiã, & mœnia Rheginorum uideret: & ex illo metu mortis, ac tenebris, quasi luce libertatis, et odore aliquo legũ recreatus, reuixisset: loqui Messanæ cœpit, & queri, se ciuem Ro. in uincla esse cõiectum: sibi rectà iter esse Romã: Verri se præsto aduenienti futurũ. non intelligebat miser, nihil interesse, utrum hæc Messanæ, an apud ipsum in prætorio loqueretur. nam, ut ante uos docui, hanc sibi urbem delegerat: quã haberet adiutricẽ scelerum, furtorũ receptricẽ, flagitiorum omniũ sociam. Itaq; ad magistratũ Mamertinũ statim deducitur Gauius: eoq; ipso die casu Messanã Verres uenit. res ad eum defertur, esse ciuẽ Ro. qui se Syracusis in Lautumijs fuisse quereretur: quẽ iam ingredientẽ nauem, et Verri nimis atrociter minitantẽ, à se retractum esse, & asseruatũ, ut ipse in eum statueret, quod uideretur. Agit hominibus gratias: & eorũ erga se beneuolentiam diligentiãq; collaudat. ipse inflammatus scelere, & furore, in forum uenit. ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. expectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: cum repente hominem proripi, atq; in foro medio nudari, ac deligari, & uirgas expediri iubet. clamabat ille miser, se ciuem esse Romanũ, municipem Cossanũ: meruisse se cũ L. Precio splẽdidissimo Eqte Romano, qui Panormi ne

gociaretur: ex quo hæc Verres scire posset. tum iste, se cõperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam, ab ducibus fugitiuorum esse missum. cuius rei neq; index, neq; uestigium aliquod, neq; suspicio cuiquam esse ulla. deinde iubet undiq; hominem proripi, uehementissimeq; uerberari. Cedebatur uirgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus Iudices: cum interea nullus gemitus, nulla uox alia istius miseri inter dolorem, crepitumq; plagarum audiebatur, nisi hæc: ciuis Romanus sum. hac se commemoratione ciuitatis, omnia uerbera depulsurum, cruciatumq; à corpore deiecturum, arbitrabatur. is nonmodo hoc non perfecit, ut uirgarum uim deprecaretur: sed cũ imploraret sæpius, usurparetq; nomen ciuitatis: crux, crux inquam infelici, & ærumnoso, qui nunquam istam potestatem uiderat: comparabatur. O' nomen dulce libertatis: O' ius eximium nostræ ciuitatis: O' lex Portia, legesq; Semproniæ: O' grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia potestas: huccine tandem omnia reciderunt? ut ciuis Ro. in prouincia populi romani, in oppido fœderatorũ, ab eo, qui beneficio populi Ro. fasces, & secures haberet: deligatus in foro uirgis cederetur? quid cũ ignes, candentesq; laminæ, cæteriq; cruciatus admouebantur? si te illius acerba implo ratio, & uox miserabilis, nõ inhibebat: ne ciuium quidem Romanorum, qui tum aderant: fletu, & gemitu maximo commouebare? in crucem tu agere ausus es quenquam, qui se ciuem Romanum esse diceret? Nolui tam uehementer agere hoc prima actione Iudices, nolui. uidistis enim ut animi multitudinis in istum dolore, & odio, & communis periculi metu cõcitarentur. statui egomet mihi, tum modum orationi meæ, & C. Numitorio Equi

ti Ro. primario homini, testi meo: & Glabrionem id quod sapientißime fecit, facere lætatus sum: ut repente consilio in medio testē mitteret. et enim uerebatur ne populus Ro. ab isto eas pœnas ui repetisse uideretur, quas ueritus esset, ne iste legibus, & uestro iudicio non esset persoluturus. Nunc quoniam iam exploratum est omnibus, quo loco causa tua sit: & quid de te futurum sit, sic tecum agam. Gauium istum, quem repentinum speculatorem fuisse dicis: ostendam in Lautumias Syracusis à te esse coniectum: neq; id solum ex literis ostendam Syracusanorum, ne possis dicere me, quia sit aliquis in literis Gauius, hoc fingere, & eligere nomen, ut hunc illum esse possim dicere: sed secundum arbitrium tuum testes dabo: qui istum ipsum Syracusis abs te in Lautumias coniectum esse dicant. producam etiam Cossanos municipes illius, ac necessarios: qui te nunc fero docebant, iudices non fero: illum P. Gauium, quem tu in crucem egisti: ciuem Ro. & municipem Cossanum, non speculatorem fugitiuorum fuisse. Cum hæc omnia, quæ polliceor, cumulate tuis proximis plana fecero: tum istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur, eo contentum me esse dicam. quid enim nuper, tu ipse, cum populi Ro. clamore, atq; impetu perturbatus exiluisti: quid inquam locutus es? illū, quod moram supplicio quæreret, ideo clamitasse. se esse ciuem Romanum, sed speculatorem fuisse. iam mei testes ueri sunt. quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M. & P. Cotij nobilißimi homines, ex agro Tauromenitano? quid Q. Luceius? qui argentariam Rhegij maximam fecit? quid enim cæteri? adhuc enim testes ex eo genere à me sunt dati: non qui nouisse Gauium, sed qui se uidisse dicerent: cum is, qui se ciuem

Ro. esse clamaret: in crucem ageretur. hoc tu Verres idē dicis, hoc tu confiteris, illum clamitasse, se ciuem esse Romanū: apud te nomē ciuitatis ne tantū quidem ualuisse: ut dilationem aliquā crucis, ut crudelißimi, teterrimiq; supplicij aliquam paruam moram saltem posset afferre. hoc teneo, hic hæreo Iudices, hoc sum contentus uno: omitto, ac negligo cætera: sua confessione induatur, ac iuguletur necesse est. qui esset, ignorabas? speculatorem esse suspicabere? non quæro qua suspicione: tua te accuso oratione. ciuem Ro. se esse dicebat. si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus Verres, ad supplicium ducerere: quid aliud clamitares, nisi te ciuē esse Romanum? & si tibi ignoto, apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atq; ultimis gentibus positos, nobile, & illustre apud omnes nomen tuæ ciuitatis profuisset: ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum ciuem se Ro. esse diceret: apud te prætorem si non effugium, ne moram quidē mortis mentione, atq; usurpatione ciuitatis assequi potuit? Homines tenues, obscuro loco nati nauigant: adeūt ad ea loca, quæ nunquam antea uiderunt: ubi neq; noti esse ijs, quo uenerunt, neq; semper cum cognitoribus esse possunt. hac una tamen fiducia ciuitatis nonmodo apud nostros magistratus, qui & legum, & existimationis periculo continentur: neq; apud ciues solum Romanos, qui & sermonis, & iuris, & multarū rerū societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrātur: sed, quocunq; uenerint, hanc sibi rem præsidio sperant esse futurum. tolle hanc spem: tolle hoc præsidium ciuibus romanis: constitue nihil esse opis in hac uoce, ciuis romanus sum: posse impune prætorem, aut alium quemlibet supplicium, quod ue

lit, in eum constituere, qui se ciuem Ro. esse dicat: quod quis ignoret, iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnẽ orbem terrarũ, qui semper nostris hominibus maxime patuit, ciuib. Romanis ista defensiõe præcluseris. Quid si L. Preciũ Equitem romanũ, qui tũ in Sicilia negociabatur nominabat? etiã ne id magnum fuit? Panormũ literas mittere: asseruasse hominẽ: custodijs Mamertinorũ tuorum uinctum, clausum habuisse: dum Panormo Precius ueniret, cognosceret hominẽ. aliquid de summo supplicio remitteres. si ignoraret: tum, si ita tibi uideretur, hoc iuris in omnes cõstitueres: ut qui neq; tibi notus esset, neq; cognitorẽ locupletem daret: quamuis ciuis Ro. esset, in crucẽ tollere tur. Sed quid ego plura de Gauio? quasi tu Gauio tũ fueris infestus, ac non nomini, generi, iuri ciuium hostis. nõ illi inquam homini, sed causæ communi libertatis inimicus fuisti. quid enim attinuit, cum Mamertini more, atq; instituto suo crucem fixissent post urbem, in uia Pompeia: te iubere in ea parte figere, quæ ad fretum spectaret: & hoc addere, quod negare nullo modo potes: quod omnibus audientibus dixisti palàm: te iccirco illum locum deligere, ut ille, qui se ciuem Ro. esse diceret: ex cruce Italiam cernere, ac domum suam prospicere posset. Itaq; illa crux sola Iudices post conditam Messanam illo in loco fixa est. Italiæ conspectus ad eam rem ab isto delectus est: ut ille in dolore, cruciatuq; moriens, per angusto freto diuisa seruitutis, ac libertatis iura cognosceret: Italia autem alumnum suum, seruitutis extremo, summoq; supplicio affixum uideret. Facinus est uinciri ciuem romanum: scelus uerberari: propè parricidium necari: quid dicam in crucem tollere? uerbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. non fuit his omnibus iste contentus. spectet inquit patriam: in conspectu legum, libertatisq; moriatur. non tu hoc loco Gauium, non unũ hominem, nescio quẽ, ciuem Romanum, sed cõmunem libertatis, & ciuitatis causam in illum cruciatum, & crucem egisti. Iam uero uidete hominis audaciam. nonne eum grauiter tulisse arbitramini? quod illã ciuibus Ro. crucẽ, non posset in fõro, non in comitio, non in rostris defigere? quod enim his locis in prouincia sua celebritate simillimũ, regione proximũ, potuit, elegit: monumentum sceleris, audaciaq; suæ uoluit esse in cõspectu Italiæ, uestibulo Siciliæ, præteruecti one omniũ, qui ultro citroq; nauigarent. Si hæc non ad ciues Romanos, non ad aliquos amicos nostræ ciuitatis, nõ ad eos, qui populi Romani nomen audissent: deniq;, si non ad homines, uerum ad bestias, aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa, & ad scopulos hæc conqueri, & deplorare uellem: tamen omnia muta, atq; inanima, tanta, & tam indigna rerum atrocitate commouerentur. nunc uero, cum loquar apud Senatores populi Ro. legum, iudiciorumq;, & iuris authores, timere non debeo: ne non unus iste ciuis Ro. illa cruce dignus, cæteri omnes simili periculo indignissimi iudicentur. Pauloante Iudices lachrymas in morte misera, atq; indignissima Nauarchorum non tenebamus: & recte, ac merito sociorum innocentium miseria commouebamur: quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? nam ciuium Ro. sanguis coniunctus existimandus est: quoniam id & salutis omnium ratio, & ueritas omnium postulat. omnes hoc loco ciues Ro. & qui adsunt, & qui ubicunq; sunt, uestrã

ſeueritatem deſiderant, ueſtram fidem implorant, ueſtrum auxilium requirunt: omnia ſua iura, commoda, auxilia, totam deniq; libertatẽ, in ueſtris ſententijs uerſari arbitrantur. A me, tametſi ſatis habent: tamen ſi res aliter acciderit, plus habebunt fortaſſe, q̃ poſtulant. nam & ſi qua uis iſtum de ueſtra ſeueritate eripuerit, id quod neq; metuo Iudices, neq; ullo modo fieri poſſe uideo: ſed ſi in hoc me ratio fefellerit, Siculi cauſam ſuã periſſe querentur, & mecum pariter moleſte ferent: populus quidẽ romanus breui, quoniã mihi poteſtatem apud ſe agendi dedit, ius ſuum, me agẽte, ſuis ſuffragijs ante Cal. Februarias recuperabit. Ac ſi de mea gloria, & amplitudine quæritis Iudices: non eſt alienum meis rationibus, iſtum mihi ex hoc iudicio ereptum ad illud populi Ro. iudiciũ reſeruari. ſplendida eſt illa cauſa, probabilis mihi & facilis, populo grata, atq; iucunda. deniq; ſi uideor hic, id quod ego nõ quæſiui, de uno iſto uoluiſſe creſcere: iſto abſoluto, quod ſine multorũ ſcelere fieri non poteſt, de multis mihi creſcere licebit. Sed me hercules ueſtra, reiq; publicæ cauſa Iudices, nolo hoc in hoc delecto conſilio tantum flagitium eſſe cõmiſſum: nolo eos iudices, quos ego probarim, atq; delegerim: ſic in hac urbe notatos, iſto abſoluto ambulare: ut non cera, ſed ceno obliti eſſe uideantur. Quamobrẽ te quoq; Hortenſi, quia monendi locus eſt: ex hoc loco moneo, uideas etiã, atq; etiã, & conſideres, quid agas: quo progrediare: quem hominem, & qua ratione defendas. neq; de illo quicquã tibi præfinio: quo minus ingenio mecum, atq; omni dicendi facultate contendas. cætera, ſi qua putas te occultius extra iudicium, quæ ad iudiciũ pertinent, facere poſſe: ſi quid artificio, cõſilio, potentia, gratia, copijs iſtius, moliri cogitas: ma-

gnopere cenſeo deſiſtas: & illa quæ tentata iam, & cœpta ab iſto ſunt, à me autem perueſtigata, & cognita, moneo, ut extinguas, & longius progredi neſinas. Magno tuo periculo peccabitur in hoc iudicio, maiore quàm putas. quod enim te liberatum iam exiſtimationis metu, defunctum honoribus, deſignatum cons. cogites, mihi crede ornamenta iſta, & beneficia populi Ro. non minore negocio retinentur, quàm comparantur. Tulit hæc ciuitas, quoad potuit, quoad neceſſe fuit: regiam iſtam ueſtram dominationem in iudicijs, & in omni republica, tulit. ſed quo die populo Ro. Tribuni pl. reſtituti ſunt: omnia iſta uobis, ſi forte nondum intelligitis, adempta, atq; erepta ſunt. omnium nunc oculi coniecti ſunt hoc ipſo tempore in ununqueque noſtrum, qua fide ego accuſem: qua religione hi iudicent: qua ratione defendas. de omnibus nobis, ſi quis tantulum de recta regione deflexerit, non illa tacita exiſtimatio, quam antea contemnere ſolebatis, ſed uehemens, ac liberum populi Ro. iudicium conſequetur. nulla tibi Quinte cum iſto cognatio eſt: nulla neceſſitudo: quibus excuſationis antea, nimium in aliquo iudicio ſtudium tuum defendere ſolebas: earum habere in hoc homine nullam potes: quæ iſte in prouincia palàm dictitabat cũ ea, quæ faciebat, tua ſe fiducia facere dicebat: ea ne uera putentur, tibi maxime eſt prouidendum. Ego mei iam rationem officij confido eſſe omnibus iniquiſſimis meis perſolutam. nam iſtum, paucis horis primæ actionis omnium mortalium ſententijs condemnaui. reliquum iudicium non iam de mea fide, quæ perſpecta eſt, neq; de iſtius uita, quæ damnata eſt: ſed de iudicibus, &, uere ut dicam, de te futurum eſt. at quo tem-

pore futurum est? nam id maxime prouidendum est. et enim cum omnibus in rebus, tum in Rep. permagni momenti est, ratio, atq; inclinatio temporum. nempe eo, cũ populus ro. aliud genus hominum, atq; alium ordinem ad res iudicandas requirit: nempe ea lege iudicijs, iudicibusq; nobis promulgata, quam non is promulgauit, cuius nomine proscriptam uidetis: sed hic reus, hic inquam sua spe, atq; opinione, quam de uobis habet, legem illam scribendam, promulgandamq; curauit. Itaque, cum primo agere cœpimus, lex non erat promulgata: cum iste uestra seueritate permotus, multa signa dederat, quamobrem quibus responsurus non uideretur, mentio de lege nulla fiebat. posteaquam iste recreari, & confirmari uisus est, lex statim promulgata est: cui legi cum uestra dignitas uehementer aduersaretur, istius spes falsa, & insignis impudentia maxime suffragatur. Hic siquid erit commissum à quoquam uestrum, quod reprehendatur: aut populus ro. iudicabit de eo homine, quem iam antea iudicijs indignũ putauit: aut hi, qui propter offensionem iudiciorum de ueteribus iudicijs lege noua noui iudices erunt constituti. mihi porrò, ut ego non dicam, quis omnium mortalium non intelligit, quàm longe progredi sit necesse? potero silere Hortensi? potero dissimulare? cum tantũ Resp. uulnus acceperit: ut expilatæ prouinciæ, uexati socij, dij immortales spoliati, ciues Ro. cruciati, & necati impune me actore esse uideantur? potero hoc ego onus tantum, aut in hoc iudicio deponere? aut diutius tacitus sustinere? non agitanda res erit? non in medium proferenda? non Populi Ro. fides imploranda? non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint: ut aut fidem suam corrumpi paterentur, aut iu-

dicium

dicium corrumperent: in discrimen, ac iudicium uocandi? Quæret aliquis fortasse: tantum ne igitur laborem, tantas inimicitias, tot hominum susceptur us es? non studio quidem hercule ullo, neq; uolũtate. sed non idem mihi licet, quod ijs, qui nobili genere nati sunt: quibus omnia Populi Rom. beneficia dormientibus deferuntur. lõge alia mihi lege in hac ciuitate, & conditione uiuendum est. uenit enim mihi in mentem M. Catonis hominis sapientissimi: qui cum se uirtute, nõ genere Populo Ro. commendari putaret: cum ipse sui generis initium, ac nominis, ab se gigni, & propagari uellet: hominum potentissimorum susceptit inimicitias: & maximis in laboribus usque ad summam senectutem, summa cum gloria uixit. posteaq; Pompeius humili, atque obscuro loco natus nonne plurimis inimicitijs, maximisq; suis periculis, ac doloribus amplissimos honores est adeptus? modo L. Fimbriam, C. Marium, C. Cælium uidimus non mediocribus inimicitijs, ac laboribus contendere: ut ad istos honores peruenirent, ad quos uos per ludum, ac negligentiam peruenistis. Hæc eadem est nostræ rationis regio, & uia: horum nos hominum sectam, atq; institutа persequimur. uidemus quanta sit in inuidia, quantoq; in odio apud quosdam homines nobiles, nouorum hominum uirtus, & industria: si tantulum oculos deieceri mus, præsto esse insidias: si ullum locum aperuerimus suspicioni aut crimini, accipiendum esse statim uulnus: esse nobis semper uigilandum, semper laborandum uidemus. inimicitiæ sunt, subeãtur: labores, suscipiantur. etenim tacitæ magis, & occultæ inimicitiæ timẽdæ sunt: quàm dictæ, & apertæ. Hominum nobilium non se-

rè quisquam nostræ industriæ fauet: nullis nostris offi-
cijs beneuolentiam illorum allicere possumus: quasi na-
tura, & genere disiuncti sint, ita dissident à nobis ani-
mo, ac uoluntate. quare quid habent eorum inimicitiæ
periculi? quorum animos iam ante habueris inimicos,
& inuidos, quàm ullas inimicitias susceperis? Quamob
rem mihi Iudices optandum est illud, in hoc reo finem ac
cusandi facere: cum & populo Ro. satisfactum, & rece
ptum officium Siculis necessarijs meis erit persolutum.
deliberatum autem est: si res opinionem meam, quam de
uobis habeo, fefellerit: nonmodo eos persequi, ad quos
maxima culpa corrumpendi iudicij, sed etiam illos, ad
quos conscientiæ cõtagio pertinebit. Proinde siqui sunt,
qui in hoc reo, aut potentes, aut audaces, aut artifices
ad corrumpendum iudiciũ uelint esse: ita sint parati, ut
disceptante populo Ro. mecum sibi rem uideant futurã.
& si me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dede-
runt, satis uehementem, satis perseuerantem, satis uigi-
lantem esse cognorunt: existiment in his hominibus, quo
rum ego inimicitias populi Ro. salutis causa susceperо,
multo grauiorem, atq; acriorem futurum. Nunc te Iu-
piter Optime Maxime, cuius iste donum regale, dignum
tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio, atq; ista ar
ce omnium nationum, dignũ regio munere, tibi factum
ab regibus, tibi dicatum, atq; promissum per nefarium
scelus de regijs manibus extorsit: cuiusq; sanctissimum,
& pulcherrimum simulacrum Syracusis sustulit: teq; Iu
no Regina, cuius duo fana duabus in insulis posita socio
rum, Melitæ, & Sami, sanctissima & anti quissima si-
mili scelere idem iste omnibus donis, ornamentisq; nu-

dauit: teq; Minerua, quã item iste duobus in clarissimis,
& religiosissimis tẽplis expilauit: Athenis, cũ auri gran
de pondus: Syracusis, cum omnia præter tectũ, & parie
tes abstulit: teq; Latona, & Apollo, et Diana, quorũ iste
Deli non sanum, sed, ut hominum opinio et religio fert,
sedem antiquã, diuinumq; domiciliũ nocturno latroci-
nio, atq; impetu cõpilauit: etiã te Apollo, quẽ iste Chio
sustulit: teq; etiã, atq; etiam Diana, quam Pergæ spolia
uit: cuius simulacrũ sanctissimũ Segestæ, bis apud Sege-
stanos consecratũ, semel ipsorum religione, iterũ P. Afri
cani uictoria, tollendũ, asportandũq; curauit: teq; Mer-
curi, quẽ Verres in uilla et in priuata aliqua palæstra po
suit, P. Africanus in urbe sociorum, & gymnasio Tyn-
daritanorum, iuuentutis illorũ custodem, & præsidem
uoluit esse: teq; Hercules, quem iste Agrigenti nocte in-
tempesta, seruorum instructa & comparata manu con-
uellere ex suis sedibus, atq; auferre conatus est: teq; san-
ctissima mater Idæa, quam apud Enguinos augustissimo
& religiosissimo in templo sic spoliatam reliquit, ut
nunc nomen modo Africani, & uestigia uiolatæ religio
nis maneant: monumenta uictoriæ faniq; ornamenta
nonextent: uosq; omnium rerum forensium, consilio-
rum maximorum, legũ, iudiciorumq; arbitri & testes,
celeberrimo in loco prætorij locati Castor & Pollux,
quorũ è templo quæstũ sibi iste, & prædã maximam im
probissime cõparauit: omnesq; dij, qui uehiculis Then-
sarũ solennes cœtus ludorũ initis: quorũ iter iste ad suũ
quæstum, non ad religionũ dignitatem faciendum, exi-
gendumq; curauit: teq; Ceres, & Libera, quarum sacra,
sicut opiniones hominũ ac religiones ferunt, lõge maxi

mis', atq; occultißimis cerimonijs continẽtur: à quibus initia uitæ atq; uictus, legum, morum, manſuetudinis, humanitatis exẽpla hominibus, & ciuitatibus data, ac diſpertita eſſe dicuntur: quarum ſacra P.R. à græcis aſcita & accepta, tanta religione, & publice, & priuatim tuetur: non ut ab alijs huc allata, ſed ut cæteris hinc tradita eſſe uideantur: quæ ab iſto uno ſic polluta, & uiolata ſunt: ut ſimulacrum Cereris unum, quod à uiro nonmodo tangi, ſed ne aſpici quidem fas fuit: è ſacrario Catinæ conuellendum, auertendumq; curauerit: alterum autem Ennæ ex ſua ſede, ac domo ſuſtulerit: quod erat tale, ut homines cum uiderent, aut ipſam uidere ſe Cererem, aut effigiem Cereris non humana manu factam eſſe, ſed cœlo delapſam arbitrarentur: uos etiam, atq; etiam imploro & appello ſanctißimæ deæ, quæ illos Ennenſes lacus lucosq; colitis: cunctæq; Siciliæ, quæ mihi defendenda credita eſt, præſidetis: quibus, inuentis frugibus, & in orbem terrarum diſtributis, omnes gentes, ac nationes ueſtri religione numinis continentur: cæteros item deos deasq; omnes, imploro atque obteſtor: quorũ templis, & religionibus iſte nefario quodam furore, & audacia inſtinctus, bellum ſacrilegum ſemper impiumq; habuit indictum: ut ſi in hoc reo, atque in hac cauſa, omnia mea conſilia ad ſalutem ſociorum, dignitatem populi Romani, fidem meam ſpectauerunt: ſi nullam ad rem, niſi ad officium, & ueritatem omnes meæ curæ, uigiliæ, cogitationesq; laborarũt: quæ mea mens in ſuſcipienda cauſa fuit, fides in agenda: eadẽ ueſtra in iudicanda ſit. denique uti C. Verrem, ſi eius omnia ſunt inaudita & ſingularia facinora ſceleris, au-

daciæ, perfidiæ, libidinis, auariciæ, crudelitatis: digna exitus eiuſmodi uita, atq; factis ueſtro iudicio conſequatur: utq; Reſpublica, meaq; fides, una hac accuſatione mea contenta ſit: mihiq; poſt hac bonos potius defendere liceat, quàm improbos accuſare neceſſe ſit.

PRO M. FONTEIO
ORATIO XI.

Desunt permulta.

- Hoc Prætore oppressam esse ære alieno Galliam. à quibus uersuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt? à Gallis? nihil minus. à quibus igitur? à ciuibus Romanis, qui negociantur in Gallia? cur eorum uerba non audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? insector ultro, atq; instо accusatori Iudices: insector inquam, ac flagito testes. plus ego in hac causa laboris, & operæ consumo, in poscendis testibus: quàm cæteri defensores, in refutandis. audacter hoc dico Iudices, non temere confirmo. referta Gallia negociatorum est, plena ciium Romanorum. nemo Gallorũ sine ciue Ro. quicquam negocij gerit: nummus in Gallia nullus sine ciuium Ro. tabulis cõmouetur. uidete quo descendã Iudices, quàm longe uidear à consuetudine mea, et cautione, ac diligentia discedere. unæ tabulæ proferantur, in quibus uestigium sit aliquod, quod significet pecuniam Fonteio datam: unum ex toto negociatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum, numero testem producant, uere accusatum esse concedam. Prò dij immortales, quæ est hæc causa? quæ defensio? Prouinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit: quæ constat ex his generibus hominum, & ciuitatum: qui, ut uetera mittam, partim nostra memoria, bella cum Populo Ro. acerba ac diuturna gesserunt: partim modo ab nostris imperatoribus

subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab Senatu agris urbibusq; multati sunt: partim, qui cum ipso M. Fonteio ferrum, ac manus contulerunt, multoq; eius sudore ac labore sub populi Ro. imperium, ditionemq; ceciderunt. Est in eadem prouincia Narbo Martius, colonia nostrorum ciuium, specula populi romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum, & obiectũ. est item urbs Massilia: de qua ante dixi, fortissimorum, fidelissimorumq; sociorum: qui Gallicorum bellorum pericula populi Ro. copijs, armisq; propulsarũt. est præterea numerus ciuium Ro. atq; hominum honestissimorũ. huic prouinciæ: quæ ex hac gentium uarietate cõstaret: M. Fonteius, ut dixi, præfuit: qui erant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex ijs agris, quibus erant multati, decedere coegit: cæteris, qui iccirco magnis sæpe erant bellis superati, ut semper populo Rom. parerent: magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum à populo Ro. gerebantur, magnas pecunias, ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum, imperauit. hæc qui gesserit, in iudicium uocatur: uos, qui in re non interfuistis, causam unà cum populo Ro. cognoscitis. dicunt contra, quibus inuitissimis imperatum est: dicunt, qui ex agris ex Cn. Pompeij decreto decedere sunt coacti: dicunt, qui ex bello, cæde, & fuga nunc primum audent contra M. Fonteium inermem consistere. quid coloni Narbonenses? quid uolunt? quid existimant? hunc per uos uolunt, se per hunc incolumes existimant esse. quid Massilienses? ciuitas? hunc præsentem ijs affecit honoribus, quos habuit amplissimos: uos autem absens orat, atq; obsecrat: ut sua religio, lau-

datio, authoritas, aliquid apud uestros animos momenti habuisse uideatur. quid? ciuium Ro. quæ uoluntas est? nemo est ex tanto numero, quin hunc optime de prouincia, de imperio, de socijs, & ciuibus meritum esse arbitretur. Quoniam igitur uidetis, qui oppugnent M. Fonteium, cognoscitis qui defensum uelint: statuite nunc, q̃d uestra æquitas, quid Populi Ro. dignitas, postulet: utrũ colonis uestris, negociatoribus uestris, amicissimis, atq; antiquissimis socijs, & credere, & consulere malitis: an his, quibus neq; propter iracundiã fidem, neq; propter infidelitatem honorem habere debetis. quid si maiorem etiam hominum honestissimorum copiam affero, qui huius uirtuti, atq; innocentiæ testimonio possint esse? tamẽ ne plus Gallorum consensio ualebit, quàm summa authoritas omnium? Cum Galliæ Fonteius præesset: scitis Iudices maximos Populi Ro. exercitus in duabus Hispanijs, clarissimosq; imperatores fuisse. quammulti Equites Romani, quammulti Tri. militũ, quales, & quot, & quotiens legati ad eos exercitus? præterea Cn. Pompeius maximus, atq; ornatissimus hyemauit in Gallia, M. Fonteio imperãte. satis ne uobis multos, satis idoneos testes, & conscios uidetur ipsa fortuna esse uoluisse earum rerum, quæ M. Fonteio prætore gererentur in Gallia? quẽ ex tanto hominum numero testem in hac causa producere potestis? quis est ex eo numero, qui uobis author placeat? eo nos iam laudatore & teste utemur. Dubitabitis etiã diutius Iudices, quin illud quod initio uobis proposui, uerissimum sit: aliud per hoc iudicium nihil agi, nisi ut M. Fonteio oppresso testimonijs eorum, quibus multa Reip. causa inuitissimis imperata sunt: segniores posthac ad imperandum cæteri sint: cum uideant eos

oppugnari: quibus oppreßis populi Romani imperium incolume esse non poßit. Obiectum est etiam: quæstum M. Fonteium ex uiarum munitione fecisse: ut aut ne cogeret munire: aut id, quod munitum esset, ne improbaret. si & coacti sunt munire omnes, & multorum opera improbata sunt: certe utrunq; falsum est, & ob uacationem precium datum: cum immunis nemo fuerit: & ob probationem, cum multa improbata sint. quid? si hoc crimen optimis hominibus delegare possumus: & ita, ut non culpam in alios transferamus: sed uti doceamus, eos isti munitioni præfuisse, qui facile officium suũ, & præstare, & probare possunt? tamen ne uos omnia in M. Fonteium iratis testibus freti conferetis? Cum maioribus Reip. negocijs M. Fonteius impediretur: & cum ad Remp. pertineret, uiam Domitiã munire, legatis suis primarijs uiris C. Annio Bellieno, & C. Fonteio, negocium dedit. itaq; præfuerunt, imperauerunt pro dignitate sua, quod uisum est, & probauerunt. quod uos, si nulla alia ex re, ex literis quidem uestris, quas scripsistis, & misßis, & allatis, certe scire potuistis. quas si antea non legistis, nunc ex nobis quid de ijs rebus Fonteius ad legatos suos scripserit: quid ad eum illi rescripserint, cognoscite. Literæ ad C. Annium & C. Fonteium legatos. Literæ à C. Annio C. Fonteio legatis. Satis opinor esse perspicuum Iudices, hanc rationem munitionis, neque ad M. Fonteium pertinere: & ab his esse tractatam, quos nemo poßit reprehendere. Cognoscite nunc de crimine uinario: quod illi inuidiosißimum & maximum esse uoluerunt. Crimen à Pletorio Iudices ita constitutum est: Fonteio non in Gallia primum uenisse in mentem, ut portorium uini

institueret: sed in Italia, hac propositaratione Romæ profectum. Itaq;, Tiburium Toloßæ quaternos denarios in singulas uini amphoras portorij nomine exegisse. Crodimum Portium & Numium ternos uictoriatos, Nulchalone serene Vmbinos & uictoriatos mille. atq; in his locis Crodimi & Nulchalone ab his portorium esse exactum: si qui Cobiamacho, qui uicus inter Toloßam & Narbonem est, diuerterentur, neq; Toloßam ire uellent. Eleßodolus tantum senos denarios ab his: qui ad hostẽ portarent exegisset. Video Iudices esse crimen & gene re ipso magnum. Vectigal enim esse impositum fructibus nostris dicitur: & pecuniam permagnam ratione ista cogi potuisse confiteor & inuidiam. Vel maxime enim inimici hanc rem sermonibus diuulgare uoluerũt: Sed ego ita existimo quo maius crimen sit id quod ostendatur esse falsum, hoc maiorem ab eo iniuriam fieri qui id confingat. Vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorum, qui audiunt: ut difficilis aditus ueritati relinquatur.

Desiderantur quæ de crimine Vinario erant reliqua. nec non, quæ ad bellum Vocontiorum, & dispositionem hybernorum pertinebant.

At hoc nõ Galli negant. Actio rerum & ius argumentorum coargui potest. Igitur testibus Iudices non credere cupidis, & iratis, & coniuratis, & ab religione remotis, non solum potestis, sed etiã debetis. etenim si, quia Galli dicunt, iccirco M. Fonteius nocens existimandus est: quid mihi opus est sapiente iudice? quid æquo quæsitore? quid oratore non stulto? dicunt enim Galli. negare non possumus. hic si ingenioſi, & periti, & æqui iudicis has partes esse existimatis: ut quoniam quidem testes dicunt, sine ulla dubitatione credendum sit: salus ipsa uirorum fortium innocentiam tueri non potest. sin autem in rebus iudicandis non minimam partem ad unãquãq; rem existimandam, momentoq; suo ponderandam, sapientia iudicis tenet: næ multo uestræ maiores grauioresq; partes sunt ad cogitandum, quàm ad dicendum meæ. mihi enim semper unaquaq; de re, testis non solum semel, uerum etiam breuiter interrogandus: & sæpe etiam nõ interrogãdus, ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido authoritas attributa esse uideatur. uos & sæpius eandem rem animis agitare, & diutius unoquoq; de teste cogitare potestis. et si quem nos interrogare uolumus, quæ causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. Quamobrem si hoc Iudices præscriptum lege, aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio iudice melior, aut sapientior existimetur. unum est enim, & simplex aurium iudicium, & promiscue, & communiter stultis, ac sapientibus ab natura datum. quid est igitur, ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus auditor & credulus, ab religioso & sapienti iudice? nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur à testibus: coniectura, & cogitatione traduntur, quanta authoritate,

quanta animi æquitate, quanto pudore, quãta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur. An uero uos id in testimonijs hominum barbarorum dubitabitis, quod persæpe & nostra, & patrum memoria sapientißimi Iudices de clarißimis nostræ ciuitatis uiris dubitandum non putauerunt? qui Cn. & Q. Cepionibus, L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt: quorum uirtuti, generi, rebus gestis, fidem & authoritatem, in testimonio, cupiditatis, atq; inimicitiarum suspicio derogauit. Ecquem hominem uidimus, ecquem uere commemorare possumus, parem consilio, grauitate, constantia, cæteris uirtutibus, honoris, ingenij, rerum gestarum ornamentis, M. Emilio Scauro fuisse? tamen huius, cuius iniurati nutu prope terrarum orbis regebatur: iurati testimonio, neq; in C. Fimbriam, neq; in C. Memmium creditum est. noluerunt ij, qui iudicabant, hanc patere inimicitijs uiam: quem quisq; odisset, ut eum testimonio posset tollere. Quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta authoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam sermo testimonij authoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis iudicibus diuinum ac singulare iudices consilium: qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste, iudicare arbitrabantur: quid fictum, quid fortuna, ac tempore allatum, quid precio corruptum, quid spe, aut metu deprauatum, quid à cupiditate aliqua, aut inimicitijs profectum uideretur. quæ si iudex non amplectetur omnia consilio, non animo, ac mente circunspiciet: si quicquid ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici

arbitrabitur: profecto satis erit id, quod dixi antea, non surdum iudicem huic muneri, atq; officio præesse: nihil erit quamobrem ille nescio quis sapiens homo, ac multarum rerum peritus ad res iudicandas requiratur. An uero illi Equites R. quos nos uidimus: qui nuper in Rep. iudicijsq; maximis floruerunt: habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent? uos Belgarum, atq; Allobrogum testimonijs non credere timetis? Si inimico testi credi nõ oportuit: inimicior Marcello Crassus: an Fimbriæ Scaurus ex ciuilibus studijs, atq; obtrectatione domestica: quàm huic Galli? quorum, qui optima in causa sunt: equites, frumentum, pecuniã, semel, atq; iterum, ac sæpius inuitissimi dare coacti sunt: cæteri, partim ex ueteribus bellis agro multati, partim ab hoc ipso bello superati, & oppressi. Siquid ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere uidentur, ijs credi non conuenit: credo maius emolumentum Cepionibus & Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeij damnatione: cum studiorum suorũ obtrectatorem sustulissent, quàm cunctæ Galliæ ex M. Fontei calamitate: in qua illa prouincia propè suam immunitatem, ac libertatem positam esse arbitratur. An si homines ipsos spectare conuenit, id quod in teste profecto ualere plurimum debet, nõmodo cum summis ciuitatis nostræ uiris, sed cum infimo ciue Ro. quisquam amplissimus Galliæ comparandus est? scit Indutiomarus quid sit testimonium dicere? mouetur eo timore quo nostrum unusquisq;, cum in eum locum productus est? Recordamini Iudices quantopere laborare soleatis: nonmodo qd dicatis pro testimonio, sed etiam quibus uerbis utamini, ne quod minus moderate positum, nequod ab aliqua cupiditate prolapsum uerbum esse uideatur. uultu denique laboratis, nequa significari possit suspicio cupiditatis: ut & cum proditis, existimatio sit quædam tacita de uobis pudoris, ac religionis: et cum discedatis, ea diligenter cõseruata, ac retenta uideatur. credo hæc eadem Indutiomarum in testimonio timuisse, aut cogitasse: qui primũ illud uerbum consideratissimum nostræ consuetudinis, arbitror, quo nos etiã tunc utimur: cum ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi uidimus: ex toto testimonio suo sustulit, atq; omnia se scire dixit. uerebatur enim uidelicet, ne quid apud uos populumq; Ro. de existimatione sua deperderet: nequa fama cõsequeretur eius modi: Indutiomarum talem uirum, tam cupide, tam temere dixisse: non intelligabat, se in testimonio nihil præter uocem, & os, & audaciam, neq; ciuibus suis, neq; accusatoribus nostris præstare debere. An uero istas nationes religione iurisiurandi, ac metu deorum immortalium in testimonijs dicendis commoueri arbitramini? quæ tantum à cæterarum gentium more, ac natura dissentiunt: quod cæteræ pro religionibus suis bella suscipiunt: istæ contra omnium religiones. illæ in bellis gerendis ab dijs immortalibus pacem, ac ueniam petunt: istæ cum ipsis dijs immortalibus bella gesserunt. Hæ sunt nationes, quæ quondam tam longe ab suis sedibus, Delphos usq; ad Apollinem Pythium, atq; ad oraculum orbis terræ uexandum, ac spoliandum profectæ sunt. ab ijsdem gentibus sanctis, & in testimonio religiosis, obsessum Capitolium est, atq; ille Iupiter, cuius nomine maiores nostri sanctam testimoniorum fidem esse uoluerunt. postremo his quicquam sanctum, ac religiosum uideri potest? qui, etiam si quando aliquo metu adducti

deos placandos esse arbitrantur: humanis hostijs eorum aras, ac templa funestant: ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere uiolarint. quis enim ignorat eos, usq; ad hanc diem, retinere illam immanem, ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? quamobrem quali fide, quali pietate existimatis esse eos: qui etiã deos immortales arbitrentur hominum scelere, & sanguine facillime posse placari? cum his uos testibus uestram religionem coniungetis? ab his quicquam sancte, aut moderate dictum putabitis? hoc uestræ mentes tam castæ, tam integræ sibi suscipient? ut cum omnes legati nostri, qui illo triennio in Galliam uenerunt: omnes Equites Romani, qui in illa prouincia fuerunt: omnes negociatores eius prouinciæ, deniq; omnes in Gallia, qui sunt socij Populi R. atq; amici: M. Fonteiũ incolumem esse cupiant: iurati priuatim & publice laudent: uos tamen Gallis credere malitis? qd ut secuti esse uideamini? uoluntatẽ ne hominum? grauior ne igitur uobis erit hostium uoluntas, q̃ ciuium? an dignitatem testium? potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio, ac nomini, bonis, ac fidelibus, & socijs & ciuibus anteferre? An uero dubitatis Iudices? quin insitas inimicitias istæ gentes omnes, & habeant, & gerant cum Populi Ro. nomine? sic existimatis eos hic sagatos brachatosq; uersari animo demisso, atq; humili: ut solent ij, qui affecti iniurijs, ad opem iudicum supplices inferioresq; confugiunt? nihil uero minus. Hi contra uagantur læti, atq; erecti passim toto foro, cum quibusdam minis, & barbaro, atq; immani terrore uerborum. quod ego profecto non

fecto non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus uobiscum simul Iudices audissem: cum præciperent, ut caueretis, ne hoc absoluto, nouũ aliquod bellum Gallicum concitaretur. Si M. Fonteium Iudices in causa deficerent omnia: si turpi adolescentia, uita infami, magistratibus, quos ante oculos uestros gesserit, conuictis ui rorum bonorum testimonijs, legationibus flagitiose obitis, inuitis suis omnibus, in iudicium uocaretur: si in eo iudicio colonorum populi Rom. Narbonensium, fidelissimorum sociorum Massiliensium, ciuium Romanorum omnium testimonijs, tabulisq; premeretur: tamen esset uobis magnopere prouidendum, ne quos ita afflictos à uestris patribus, maioribusq; accepissetis, ut contemnendi essent: eos pertimuisse, & eorum minis, & terrore commoti esse uideremini. Nunc uero, cum lædat nemo bonus: laudent omnes uestri ciues, atque socij: oppugnent ij, qui sæpissime hanc urbem, & hoc imperium oppugnarunt: cumq; inimici M. Fontei uobis, ac populo Ro. minentur: amici ac propinqui supplicent uobis: dubitabitis nõmodo uestris ciuibus, qui maxime gloria, ac laude ducuntur, uerum etiam exteris nationibus, ac gentibus ostendere: uos in sententijs ferendis ciui parcere, quàm hosti cedere maluisse? Magna mehercule causa Iudices absolutionis cum cæteris causis hæc est: ne qua insignis huic imperio macula, atque ignominia suscipiatur: si hoc ita perlatum erit in Galliam, Senatum, Equitesq; populi Rom. non testimonijs Gallorum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem iudicasse. Ita uero, si illi bellum facere conabuntur: excitandus nobis erit ab inferis C. Marius: qui Indutiomaro isti minaci, atque arroganti par in belligerando esse posit: ex

citandus Cn. Domitius, & Maximus: qui nationem Allobrogum, & reliquias, suis iterum armis cõficiat, atq; opprimat. aut quoniam id quidem non potest, orandus erit nobis amicus meus M. Pletorius: ut suos nouos clientes à bello faciendo deterreat: ut eorum iratos animos, atq; horribiles impetus deprecetur. aut si nõ poterit, M. Fabium subscriptorem eius rogabimus: ut Allobrogum animos mitiget: quoniam apud illos Fabiorum nomen amplissimum: ut uelint isti, aut quiescere, id quod uicti ac subacti solent: aut, cum minantur, intelligere, se populo Ro. non metum belli, sed spem triumphi ostendere. Quod si in turpi reo patiendum non esset: ut quicquam isti se minis profecisse arbitrarentur: quid faciendum uobis in M. Fonteio arbitramini? de quo homine Iudices (iam enim mihi uideor, propè causa duabus actionibus perorata, debere dicere) de quo uos homine Iudices ne ab inimicis quidem ullum fictum probrosum nonmodo crimen, sed ne maledictum quidem audistis. Ecquis unquam reus, præsertim in hac uitæ ratione uersatus, in honoribus petendis, in potestatibus, in imperijs gerendis, sic accusatus est: ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quæ à libidine, aut à petulantia, aut ab audacia nata esset: ab accusatore obijceretur, si non uera, attamen ficta, cum aliqua ratione, ac suspicione? M. Aemilium Scaurum summum nostræ ciuitatis uirum scimus accusatum à M. Bruto. extant orationes, ex quibus intelligi potest: multa in illum ipsum Scaurum esse dicta. falso. quis negat? ueruntamen ab inimico dicta, & obiecta. Quammulta M. Aquilius audiuit in suo iudicio: quammulta L. Cotta: deniq; P. Rutilius, qui & si damnatus est, mihi uidetur tamen inter uiros optimos, atq; innocentissimos esse numerandus? ille igitur ipse homo sanctissimus, ac temperatissimus multa audiuit in sua causa: quæ ad suspicionem stuprorum, ac libidinem pertinerẽt. Extat oratio hominis, ut opinio mea fert, nostrorum hominum longe ingeniosissimi, atq; eloquentissimi, C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur. at in quem uirum? qui tanta uirtute, atq; integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem inuenire nequam neminem posses, solus tamen frugi nominaretur. quem cum in concionem Gracchus uocari iuberet, & uiator quæreret, quem Pisonem? quod erant plures: cogis me inquit dicere inimicum meum Frugi. Is igitur uir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset: qui uno cognomine declarabatur, nonmodo quis esset, sed etiam qualis esset: tamen in falsam atq; iniquam probrorum insimulationem uocabatur. M. Fonteius ita duabus actionib. accusatus est: ut obiectum nihil sit, quo significari uestigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ possit. nonmodo nullum facinus huius protulerunt: sed ne dictum quidem aliquod reprehenderunt. quod si aut quantam uoluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicèndum licentiam: tantum haberent aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenij: non meliore fortuna ad probra nunc audienda Fonteius, quàm illi, de quibus antea commemoraui, fuisset. Frugi igitur hominem Iudices, frugi inquam, & in omnibus uitæ partibus moderatum, ac temperantem, plenũ pudoris, plenum officij, plenum religionis uidetis positum in ue-

ſtra fide, ac poteſtate: atq; ita, ut commiſſus ſit fidei: per-
miſſus poteſtati. Videte igitur utrum ſit æquius: homi-
nem honeſtiſſimum, uirum fortiſſimũ, ciuem optimum,
dedi inimiciſſimis, atque immaniſſimis nationibus: an
reddi amicis? præſertim cum tot res ſint: quæ ueſtris ani
mis pro huius innocentis ſalute ſupplicent. primum ge-
neris antiquitas: quam Thuſculo ex clariſſimo munici-
pio profectam in monumentis rerum geſtarum inciſam
ac notatam uidemus. tum autem cõtinuæ Præturæ, quæ
& cæteris ornamentis, et exiſtimatione innocentiæ ma
xime floruerunt. deinde recens memoria parentis: cuius
ſanguine non ſolum Aſculanorum manus, à qua inter-
fectus eſt: ſed totum illud ſociale bellum macula ſceleris
imbutum eſt. poſtremo ipſe, cum in omnibus uitæ par-
tibus honeſtus, atque integer: tum in re militari cum
ſummi conſilij & maximi animi: tum uero uſu quo-
que bellorum gerendorum in primis eorum hominum,
qui nunc ſunt, exercitus. Quare ſi etiam monendi eſtis
à me, quod non eſtis Iudices: uideor hoc leuiter pro mea
authoritate uobis præcipere poſſe: ut ex eo genere homi
nes, quorum cognita uirtus, induſtria, felicitas in re mi-
litari ſit, diligenter uobis retinendos exiſtimetis. fuit e-
nim maior talium uirorum in hac Rep. copia: quæ cum
eſſet, tamen eorum nonmodo ſaluti, ſed etiam honori cõ
ſulebatur. quid nunc uobis faciendum eſt, ſtudijs milita-
ribus apud iuuentutem obſoletis, hominibus autem, ac
ſummis ducibus partim ætate, partim ciuitatis diſcor-
dijs, ac Reipub. calamitate conſumptis? cum tot bella
aut à nobis neceſſario ſuſcipiantur: aut ſubito atq; im-
prouiſa naſcantur? nonne & hominem ipſum ad du-

bia Reip. tempora reſeruandum, & cæteros ſtudio lau-
dis, ac uirtutis inflammandos putatis? Recordamini
quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius,
quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit. ſcietis fuiſſe
tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Syllam prætorios ho
mines, belli gerendi peritiſſimos: præterea C. Marium,
P. Didium, Q. Catulum, P. Craſſum, non literis homi-
nes ad rei militaris ſcientiã, ſed rebus geſtis, ac uictorijs
eruditos. Age uero nunc inferte oculos in curiam: intro
ſpicite penitus in omnis Reip. partes: utrum uidetis ni-
hil poſſe accidere, ut tales uiri deſiderandi ſint? an, ſi ac-
ciderit: eorum hominum copia populum Ro. abundare?
quæ ſi diligenter attendetis, profecto Iudices uirum ad
labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad uſum, ac
diſciplinam peritum, ad conſilia prudentem, ad caſum,
fortunamq; felicem, domi uobis, ac liberis ueſtris retine
re, quam inimiciſſimis pop. Roman. nationibus, & cru-
deliſſimis, tradere, & condemnare maletis. At infeſtis
propè ſignis inferuntur Galli in Fonteium: & inſtant,
atq; urgent ſummo cum ſtudio, ſumma cum audacia.
nos uero Iudices non & multis, & firmis præſidijs, uo
bis adiutoribus iſti immani, atq; intolerandæ barbariæ
reſiſtemus? Primum obijcitur contra iſtorum impetus
Macedonia fidelis, & amica populo Rom. prouincia:
quæ, cum ſe ac ſuas urbes non ſolum conſilio, ſed etiam
manu Fontei conſeruatam eſſe dicat: ut illa per hunc à
Thracum aduentu, ac depopulatione defenſa fuit: ſic ab
huius nũc capite Gallorum impetus terroresq; depellit.
Conſtituitur ex altera parte ulterior Hiſpania: quæ pro
fecto nonmodo religione ſua reſiſtere iſtorum cupidiſ-

tati poteſt: ſed etiam ſceleratorum hominum periuria teſtimonijs, ac laudationibus ſuis refutare. Atq; ex ipſa etiam Gallia fideliſſima, & grauiſſima auxilia ſumuntur. Venit huic ſubſidio miſero, atq; innocẽti Maſſilienſium cuncta ciuitas: quæ non ſolum ob eam cauſam laborat: ut huic, à quo ipſa ſeruata eſt, parem gratiam referre uideatur: ſed etiam, quod ea conditione, atq; eo fato ſe in his terris collocatam eſſe arbitratur: ne quid noſtris hominibus iſtæ gentes nocere poſſint. pugnat pariter pro ſalute M. Fontei Narbonenſis colonia: quæ per hunc ipſa nuper obſidione hoſtium liberata, nunc eiuſdem miſerijs, ac periculis commouetur. deniq;, ut oportet bello Gallico: ut maiorum iura, mores q; præſcribunt: nemo eſt ciuis romanus, qui ſibi ulla excuſatione utendum putet. omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ, pecuarij, cæteri negociatores, uno animo M. Fonteium, atq; una uoce defendũt. Quod ſi tantas auxiliorum noſtrorũ copias Indutiomarus ipſe deſpexerit, dux Allobrogum, cæterorum q; Gallorum: num etiam de matris hunc cõplexu lectiſſimæ, miſerrimæq; fœminæ uobis inſpectantibus auellet, atq; abſtrahet? præſertim cum uirgo Veſtalis ex altera parte germanum fratrem complexa teneat: ueſtram q; Iudices, ac pop. Ro. fidem imploret: quæ pro uobis, liberis q; ueſtris tot annos in dijs immortalibus placandis occupata eſt: ut ea nunc pro ſalute ſua, fratris q; ſui, animos ueſtros placare poſſit. cui miſeræ quod præſidiũ, quod ſolatium reliquum eſt, hoc amiſſo? nam cæteræ fœminæ gignere ipſæ ſibi præſidia, & habere domi fortunarum omnium ſocium, participem q; poſſunt. huic uero uirgini quid eſt

præter fratrem? quod aut iucundum, aut carũ eſſe poſſit? Nolite pati Iudices aras deorum immortalium, Veſtæq; matris, quotidianis uirginis lamentationibus de ueſtro iudicio commoueri. proſpicite ne ignis ille æternus nocturnis Fonteiæ laboribus, uigilijs q; ſeruatus, ſacerdotis Veſtæ lachrymis extinctus eſſe dicatur. Tendet ad uos uirgo Veſtalis manus ſupplices eaſdem: quas pro uobis dijs immortalibus tendere conſueuit. cauete ne periculoſum, ſuperbum q; ſit, eius uos obſecrationem repudiare: cuius preces ſi dij aſpernarentur, hæc ſaluæ eſſe non poſſent. Videtis ne ſubito Iudices, uirum fortiſſimum M. Fonteium parentis, & ſororis commemoratione lachrymas profudiſſe? qui nunquam in acie pertimuerit: qui ſe armatus ſæpe in hoſtium manum multitudinem q; immiſerit: cum in eiuſmodi periculis eadem ſe ſolatia ſuis relinquere arbitraretur: quæ ſuus pater ſibi reliquiſſet: idem nunc perturbato animo pertimeſcit: ne nonmodo ornamento, & adiumento non ſit ſuis: ſed etiam cum acerbiſſimo luctu dedecus æternum miſeris, atq; ignominiam relinquat. O' fortunam longe diſparem M. Fontei: ſi diligere potuiſſes, ut potius telis tibi Gallorum, quàm periurijs intereundum eſſet. tum enim uitæ ſocia uirtus, mortis comes gloria fuiſſet. nunc uero qui eſt dolor? uictoriæ te, atq; imperij pœnas ad eorum arbitrium ſufferre: qui aut uicti armis ſunt, aut inuitiſſimi paruerunt? à quo periculo defendi te Iudices ciuem fortem, atq; innocentem: curate ut noſtris teſtibus plus, quàm alienigenis credidiſſe uideamini: plus ſaluti ciuium, quàm hoſtium libidini conſuluiſſe: grauiorem duxiſſe eius obſecrationem, quæ ueſtris

sacris præsit, quàm eorum audaciam, qui cum omnium sacris, delubrisq; bella gesserunt. postremo prospicite Iudices id quod ad dignitatem populi Ro. maxime pertinet: ut plus apud uos preces uirginis Vestalis, quam minæ Gallorum ualuisse uideantur.

PRO A. CECINNA
ORATIO XII.

IQVANTVM IN AGRO, locisq; desertis audacia potest: tantũ in foro, atq; in iudicijs impudentia ualeret: non minus in causa cederet A. Cecinna. Sex. *Ebutij impudentiæ: quàm tum in ui facienda cessit audaciæ. uerum & illud considerati hominis esse putauit: qua de re iure decertari oporteret, armis non contendere: & hoc constantis: qui cum ui, & armis certare noluisset, eum iure, iudicioq; superare. Ac mihi quidem cũ audax præcipue fuisse uidetur Ebutius in conuocandis hominibus, & armandis, tum impudens in iudicio: non solum quod in iudicium uenire ausus est, nam id quidem, tametsi improbe fit in apertare, tamẽ malicia est iã usitata tum, sed quod nõ dubitauit id ipsum, quod arguitur, confiteri. nisi fortè hoc rationis habuit: quoniã si facta uis nõ esset moribus, superior in possessione retinenda nõ fuisset, quia contra ius moreq; facta sit: A. Cecinnã cum amicis metu perterritũ profugisse. nũc quoq; in iudicio, si causa more, institutoq; omnium defendatur: nos inferiores in agendo non futuros. sin è consuetudine recedatur: se, quo impudentius egerit, hoc superiorẽ discessurũ. quasi uero, aut in iudicio posit idem improbitas: quod in ui, confidentia: aut nõ eo libentius tum audaciæ cesserimus, quo nunc impudentiæ facilius obsisteremus. Itaq; longe alia ratione Recuperatores ad agendam causam hac actione uenio, atq; initio ueneram. tum enim nostræ causæ spes erat posita in defensione mea: nunc in confessione aduersarij. tum in nostris, nunc uero in illo-*

rum testibus. de quibus ego antea laborabam: ne si improbi essent, falsi aliquid dicerent: si probi existimarentur, quod dixissent, probarent: nunc sum animo æquissimo. si enim sunt uiri boni, me adiuuant: cum id iurati dicunt, quod ego iniuratus insimulo. sin autem minus idonei, me non lædunt: cum siue creditur his hoc ipsum quod nos arguimus: siue fides non habetur, de aduersarij testium fide derogatur. Veruntamen cum illorum causæ actionem considero: non uideo quid impudentius dici possit. cum autem uestram in iudicando dubitationem: uereor ne id, quod uidentur impudenter fecisse, astute & callide fecerint. nam si negassent uim hominibus armatis esse factam: facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur. sin confessi essent, & id quod nullo tempore iure fieri potest, tum ab se iure factum esse defenderent: sperarunt id, quod assecuti sunt: se iecturos uobis causam deliberandi, & iudicandi iustam moram, ac religionem. simul illud, quod indignissimum est, futurum arbitrati sunt: ut in hac causa non de improbitate Sex. Ebutij, sed de iure ciuili iudicium fieri uideretur. Qua in re si mihi esset unius A. Cecinnæ causa agenda, profiterer satis idoneum esse me defensorem: propterea, quod fidem meam, diligentiamq; præstarem: quæ cum sunt in actore causæ, nihil est, in re præsertim aperta, ac simplici, quod excellens ingenium requiratur. sed cum de eo iure mihi dicendum sit: quod pertineat ad omnes: quod constitutum sit à maioribus, conseruatum usq; ad hoc tempus: quo sublato nõ solum pars aliqua iuris diminuta, sed etiam uis ea, quæ iuri maxime est aduersaria: iudicio confirmata esse uideatur: uideo summi ingenij causam esse, non uti demon-

stretur, quod ante oculos est: sed ne, si quis uobis error in tanta re sit obiectus, omnes potius me arbitrentur causæ, quàm uos religioni uestræ defuisse. quanquam ego mihi sic persuadeo Recuperatores: non uos tam propter iuris obscuram, dubiamq; rationem, bis iam de eadem causa dubitasse: quàm, quod uidetur ad summam illius existimationem hoc iudicium pertinere: moram ad condemnandum acquisisse: simul & illi spacium ad sese colligendum dedisse. Quod quoniam iam in consuetudinem uenit, & id uiri boni uestri similes in iudicando faciunt: reprehendendum fortasse minus, quærendum uero magis etiam uidetur: ideo, quod omnia iudicia aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt: quorum alterum leuius est: propterea, quod & minus lædit, & persæpe disceptatore domestico dijudicatur: alterũ est uehementissimum: quod & ad grauiores res pertinet, & non honorariam operam amici, sed seueritatem iudicis, ac uim requirit. quod est grauius, & cuius rei causa maxime iudicia constituta sunt: id iam mala consuetudine dissolutum est. nam, ut quæq; res est turpissima, sic maxime, & maturissime iudicanda est. at ea, in qua existimationis periculum est, tardissime iudicatur. Qui igitur conuenit, quæ causa fuerit ad constituendum iudicium, eandem moram esse ad iudicandum? Si quis, quod spopondit, qua in re uerbo se uno obligauit, id non facit: maturo iudicio, sine ulla religione iudicis condemnatur. qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem, fraudauit quempiam: in eo, quo delictum maius est, eò pœna est tardior. est enim turpe iudicium, & facto quidem tur-

pe. Videte igitur quàm inique accidat: quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi: quia turpis existimatio sequatur, ideo rem indignam non iudicari. At si quis mihi hoc iudex, recuperatorue dicat: potuisti enim leuiore actione confligere: potuisti ad tuum ius faciliore, & commodiore iudicio peruenire: quare aut muta actionem, aut noli mihi instare, ut iudicem. tamen is aut timidior uideatur, quàm fortem: aut cupidior, quàm sapientem iudicem esse æquum est: si aut mihi præscribat quemadmodum meum ius persequar. aut ipse id, quod ad se delatum sit, non audeat iudicare. etenim si Prætor is, qui iudicia dat: nunquam petitori præstituit, qua actione illum uti uelit: uidete quàm iniquum sit, constituta iam re, iudicem quid agi potuerit, aut quid posit, non quid actum sit, quærere. uerum tamen inimiæ uestræ benignitati pareremus: si alia ratione ius nostrum recuperare possemus. nunc uero quis est? qui aut uim armatis hominibus factam relinqui putet oportere? aut eius rei leuiorem actionem nobis aliquam demonstrare posit? ex quo genere peccati, ut illi clamitant: uel iniuriarum, uel capitis iudicia constituta sunt: in eo potestis atrocitatem nostram reprehendere? cum uideatis nihil aliud actum, nisi possessionem per interdictum esse repetitam? Verum siue uos existimationis illius periculum, siue iuris dubitatio tardiores fecit adhuc ad iudicandum: alterius rei causam uosmetipsi iam uobis sæpius prolato iudicio sustulistis: alterius ego uobis hodierno die causam profecto auferam: ne diutius de controuersia nostra, ac de communi iure dubitetis. & si forte uidebor altius initium rei demonstrandæ petisse, quàm me ratio iuris, & ius, de quo iudicium est, & natura causæ coegerit: quæso ut ignoscatis. non enim minus laborat A. Cecinna: ne summo iure egisset, quàm ne certum ius non obtinuisse uideatur.

M. Fulcinius fuit Recuperatores è municipio Tarquiniensi: qui & domi suæ cum primis honestus existimatus est, & Romæ argentariam non ignobilem fecit. Is habuit in matrimonio Cesenniam, eodem è municipio, summo loco natam, & probatißimam fœminam: sicut & uiuus multis ipse rebus ostendit, & in morte sua testamento declarauit. huic Cesenniæ fundum in agro Tarquiniensi uendidit temporibus illis difficillimis solutionis. cum uteretur dote uxoris numerata: quo muliери esset res cautior, curauit ut in eo fundo dos collocaretur. aliquanto post iam argentaria dissoluta, Fulcinius huic fundo uxoris continentia quædam prædia, atq; adiuncta mercatur. moritur Fulcinius. multa enim quæ sunt in re, quia remota sunt à causa, prætermittam. testamento facit hæredem, quem habebat è Cesennia filium: usum fructum omnium bonorum suorum Cesenniæ legat, ut frueretur una cum filio. magnus honos uiri, iucundus mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset. frueretur enim bonis cum eo, quem suis bonis hæredem esse cupiebat: & ex quo maximum fructum ipsa capiebat. sed hunc fructum mature fortuna ademit. nam breui tempore M. Fulcinius adolescens mortuus est: hæredem P. Cesennium fecit: uxori grande pondus argenti, matriq; partem bonorum maiorem legauit. itaq; in partem mulieres uocatæ sunt. Cum esset hæc auctio hæreditaria constituta: Ebutius iste, qui iandiu Cesenniæ uiduitate, ac solitudine aleretur: ac se eius in familiaritatem insinuasset hac ratione, ut cum aliquo suo compendio ne-

gocia mulieris, si qua acciderent, cõtrouersias q; susciperet: uersabatur quoq; eo tempore in his ratiõibus auctionis, & partitionis, atq; etiã se ipse inferebat, & intrudebat, et in eam opinionẽ Cesenniã adducebat: ut mulier imperita nihil putaret agi callide posse, ubi nõ adesset Ebutius. quam personam iam ex quotidiana cognoscitis uita Recuperatores mulierum assentatoris, cognitoris uiduarum, defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam, inepti, ac stulti inter uiros, inter mulieres periti iuris, & callidi: hanc personam imponite Ebutio. is enim Cesennæ fuit Ebutius, ne forte quæratis nũ propinquus? nihil alienius. amicus aut à patre, aut à uiro traditus? nihil minus. quis igitur? ille, quem supra deformaui: uoluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio, simulataq; sedulitate coniunctus, magis opportuna opera nonnunq̃, quàm aliquando fideli. Cum esset, ut dicere instituerã, cõstituta auctio Romæ: suadebant amici, cognatiq; Cesenniæ id, quod ipsi quoq; mulieri in mentem ueniebat: quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo eius antiquo cõtinens esset: nullam esse rationem, amittere eiusmodi occasionem: cum præsertim pecunia ex partitione deberetur, nusquã eam posse melius collocari. Itaq; mulier facere cõstituit· mandat, ut fundum sibi emat. cui tandem? cui putatis? an non in mentem uenit omnibus hominis illius ad hoc munus, & ad omnia mulieris negocia parati? sine quo nihil satis caute, nihil satis callide agi posset? recte attenditis. Ebutio negocium datur. adest ad tabulam: licetur Ebutius: deterrentur emptores multi, partim gratia Cesenniæ, partim etiam precio: fundus addicitur Ebutio: pecuniam argẽtario promittit Ebutius.

quo testimonio nunc uir optimus utitur, sibi emptum esse: quasi uero aut nos ei negemus addictum: aut tum quisquam fuerit, qui dubitarit quin emeretur Cesenniæ: cum id pleriq; scirent: omnes fere audissent: hi coniectura assequi possent: cum pecunia Cesenniæ ex illa hæreditate deberetur: eam porrò in prædijs collocari maxime expediret: essent autem prædia, quæ mulieri maxime conuenirent: ea uenirent: liceretur is: quem Cesenniæ dare operam nemo miraretur: sibi emere nemo posset suspicari. hac emptione facta, pecunia soluitur à Cesennia. cuius rei putat iste rationem reddi non posse, quod ipse tabulas auerterit: se autem habere argentarij tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaq; relata: quasi id aliter fieri oportuerit. cum omnia ita facta essent, quemadmodum nos defendimus: Cesennia fundum possedit, locauitq;: neq; ita multo post A. Cecinnæ nupsit. ut in pauca conferam, testamento facto mulier moritur. facit hæredem ex deunce, & semuncia Cecinnam: ex duabus sextulis M. Fulcinium libertũ superioris uiri: Ebutio sextulam aspergit. hanc sextulã illa mercedem isti esse uoluit assiduitatis, & molestiæ, si quam susceperat. Iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controuersiarum putat. Iam principio ausus est dicere, non posse hæredem esse Cesenniæ Cecinnam: quod is deteriore iure esset, quàm cæteri ciues: propter incommodum Volaterranorũ, calamitatemq; ciuilem. itaq; homo timidus, imperitusq;, qui neq; animi, neq; consilij satis haberet: non putauit esse tanti hæreditatem, ut de ciuitate in dubium ueniret: concessit credo Ebutio, quantum uellet de Cesenniæ bonis ut haberet. immo, ut uiro forti, ac sapienti dignum fuit: ita ca-

lumniam, stulticiamq; obtriuit, ac contudit. in possessi-
one bonorum cum esset, & cum ipse sextulam suam ni-
mium exaggeraret: nomine hæredis arbitrum fami-
liæ herciscundæ postulauit. Atq; illis paucis diebus, po-
stquam uidet nihil se ab A. Cecinna posse litium terro-
re abradere, homini Romæ in foro denunciat: fundum
illum, de quo ante dixi, cuius istum emptorem demon-
strauisse mandato Cesenniæ, suum esse, seq; sibi emis-
se. Quid ais? Istius ille fundus est: quem sine ulla con-
trouersia quadriennium, hoc est, ex quo tempore fun-
dus uenijt, quoad uixit, possedit Cesennia. Vsus enim in-
quit eius & fructus fundi testamento uiri, fuerat Ce-
senniæ. Cum hoc nouæ litis genus tam maleficiosæ in-
tenderet: placuit Cecinnæ de amicorum sententia con-
stituere: quo die in rem præsentem ueniretur, & de fun-
do Cecinna moribus deduceretur. colloquuntur: dies
ex utriusq; cõmodo sumitur. Cecinna cum amicis ad diẽ
uenit in castellum Axiam: ex quo loco fundus is, de quo
agitur, non longe abest. Ibi certior fit à pluribus, homi-
nes permultos liberos, atq; seruos coegisse, & armasse
Ebutiũ. cũ id partim mirarentur, partim nõ crederent:
ecce ipse Ebutius in castellum uenit: denunciat Cecinnæ
se armatos habere, abiturum eum non esse, si accessisset.
Cecinnæ placuit & amicis, quoad uideretur saluo ca-
pite fieri posse, experiri. tum de castello descendunt: in
fundum proficiscuntur. Videtur temere commissum. ue
rum, ut opinor, hoc fuit causæ, tam temere istum re com
missurum, quàm uerbis nunciabatur, nemo putauit.
Atque iste ad omnes introitus, qua adiri poterat non-
modo in eum fundum, de quo controuersia fuerat: sed
etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur,

armatos

armatos homines opponit. Itaq; primo cum in antiquũ
fundum ingredi uellet, quod ea proxime accedi pote-
rat: frequentes armati obstiterunt. quo loco depulsus Ce-
cinna, tamen qua potuit ad eum fundum profectus: ex
quo, ex conuentu uim fieri oportebat. eius autem fundi
extremam partem oleæ directo ordine definiunt. ad eas
cum accederetur, iste cum omnibus copijs præsto fuit, ser
uumq; suum nomine Antiochum ad se uocauit: & cla-
ra uoce imperauit: ut eum, qui illum olearum ordinem
intrasset, occideret. Homo mea sententia prudentißimus
Cecinna, tamen in hac re plus mihi animi, quàm consi-
lij uidetur habuisse. nam cum & armatorum multitu-
dinem uideret, & eam uocem Ebutij, quam commemo-
raui, audiuisset: tamen accessit propius, & iam ingredi-
ens intra finem eius loci, quem oleæ terminabant, im-
petum armati Antiochi, cæterorumq; tela, atq; incur-
sus refugit. eodem tempore se in fugam conferunt una
amici, armatiq; eius metu perterriti. quemadmodum il-
lorum testem dicere audistis. His rebus ita gestis, P. Do-
lobella Prætor interdixit, ut est consuetudo, de ui homi-
nibus armatis, sine ulla exceptione, tantum, ut unde de-
iecisset, restitueret. restituisse se dixit. sponsio facta est.
hac de sponsione uobis iudicandum est: Maxime fuit
optandum Cecinnæ Recuperatores: ut controuersiæ ni-
hil haberet. secundo loco, ut ne cum tam improbo homi-
ne. tertio, ut cum tam stulto haberet. etenim non minus
nos stulticia illius subleuat, quàm lædit improbitas.
improbus fuit: quod homines coegit. armauit: coactis, ar
matisq; uim fecit. læsit in eo Cecinnam. subleuauit ibi-
dem. nam in eas ipsas res, quas improbißime fecit: testi-
monia sumpsit, & eis in causa testimonijs utitur. Itaq;

mihi certum est Recuperatores, antequam ad meam de-
fensionem, meosq; testes uenio: illius uti confessione, &
testimonijs. quid confitetur? atq; ita libenter confitetur?
ut non solum fateri, sed etiam profiteri uideatur Recu-
peratores? conuocaui homines, coegi, armaui, terrore
mortis, ac periculo capitis, ne accederes, obstiti. ferro, in
quit, ferro, & hoc dicit in iudicio, te reieci, atque perter
rui. quid? testes qd aiunt? P. Vetilius propinquus Ebutij,
se Ebutio cũ armatis seruis uenisse aduocatum. quid prę-
terea? fuisse complures armatos. quid aliud? minatum
esse Ebutium Cecinnæ. quid ego de hoc teste dicam, ni-
si hoc Recuperatores? ut iccirco non minus ei creda-
tis: quod homo minus idoneus habetur: sed ideo cre-
datis: quod ex illa parte id dicit, quod illi causæ ma-
xime est alienum. A. Terentius alter testis, non modo
Ebutium, sed etiam se ipsum arguit. in Ebutium hoc
dicit, armatos homines fuisse. de se autem hoc prædi-
cat: Antiocho Ebutij seruo imperasse, ut in Cecinnam
aduenientem cum ferro inuaderet. quid loquar am-
plius hoc de homine? in quem ego dicere, cum rogarer
a Cecinna, nunquam uolui: ne arguere illum rei capi-
talis uiderer: de eo dubito nunc, quomodo aut loquar,
aut taceam: cum ipse hoc de se iuratus prædicet. Dein-
de L. Cælius non solum Ebutium cum armatis dixit
fuisse compluribus: uerum etiam cum aduocatis perue-
nisse eò Cecinnam. de hoc ego teste detrahamne cui
æque, atque meo testi ut credatis, postulo. P. Memmius
secutus est: qui suum non paruum beneficium comme-
morauit in amicos Cecinnæ: quibus sese uiam per fra-
tris sui fundum dedisse dixit: qua effugere possent, cum
essent metu omnes perterriti. huic ego testi gratias agã

quod & in re misericordem se præbuit, & in testimo-
nio religiosum. A. Attilius & eius filius L. Attilius
& armatos ibi fuisse: & se suos armatos adduxisse di-
xerunt. etiam hoc amplius: cum Ebutius Cecinnæ ma-
lum minaretur: ibi tum Cecinnam postulasse: ut mori-
bus deductio fieret. hoc idem P. Rutilius dixit: & eò
libentius dixit, ut aliquo in iudicio eius testimonio cre-
ditum putaretur. duo præterea testes nihil de ui, sed de re
ipsa atq; emptione fundi dixerunt, P. Cesennius author
fundi, non tam authoritate graui, quàm corpore: & ar-
gentarius, Sex. Clodius, cui nomen est Phormio: nec mi-
nus niger, nec minus confidens, quàm ille Terentianus
est Phormio: nihil de ui dixerunt, nihil præterea, quod
ad uestrum iudicium pertineret. Decimo uero loco te-
stis expectatus, & ad extremum reseruatus dixit Sena-
tor Populi romani, splendor equestris ordinis, decus at-
que ornamentum iudiciorum, exemplar antiquæ religio
nis Fidiculanius Falcula. qui cum ita uehemens, acerq;
uenisset: ut non modo Cecinnam periurio suo læderet:
sed etiam mihi uideretur irasci: ita eum placidum, mol-
lemq; reddidi: ut non auderet, sicut meministis, iterum
dicere, quot millia fundus suus abesset ab urbe. nam
cum dixisset minus abesse LIII: populus cum risu
acclamauit ipsa esse. meminerant enim omnes, quan-
tum in Albiano iudicio accepisset. In eum quid di-
cam? nisi id, quod negare non possit? uenisse in consilium
publicæ quæstionis, cum eius consilij iudex non esset:
& in eo consilio, cum causam non audisset, & pote-
stas esset ampliandi: dixisse sibi liquere: dum incogni-
ta re iudicare uoluisset: maluisse condemnare, quàm ab-
soluere: cum si uno minus damnarent, condemnari reus

non posset: non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem præsto fuisse. utrum grauius aliquid in quempiam dici potest: quàm ad hominem condemnandum, quem nunquam uidisset, neq; audisset, ad ductum precio esse? an certius quicquam obijci potest? quàm quod is, cui obijcitur, ne nutu quidem infirmare conatur? Veruntamen is testis, ut facile intelligeretis eũ non adfuisse animo, cum ab illis causa ageretur, testesq; dicerent: sed tantisper de aliquo reo cogitasse, cum omnes ante eum dixissent testes, armatos cum Ebutio fuisse complures: solus dixit non fuisse. uisus est mihi primo uerator intelligere præclare, quid causa optaret: & tantummodo errare, quod omnes testes infirmaret, qui ante eum dixissent: cum subito ecce idem qui solet, suos seruos armatos fuisse dixit. Quid huic tu homini facias? nonné concedas interdum, ut excusatione summæ stulticiæ, summæ improbitatis odium deprecetur? Vtrum Recuperatores his testibus non credidistis: cum quid liqueret, non habuistis? at controuersia non erat, quin uerum dicerent. an in coacta multitudine, in armis, in telis, in præsenti metu mortis, perspicuo periculo cædis, dubium uobis fuit, an esse uis aliqua uideretur, nec ne? quibus igitur in rebus uis intelligi potest, si in his non intelligetur? An uero illa defensio uobis præclara uisa est: non deieci, sed obstiti. non enim tessum passus in fundum ingredi, sed armatos homines opposui: ut intelligeres, si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum. quid ais? is, qui armis perteritus, fugatus, pulsus est: non uidetur esse deiectus? posterius de uerbo uidebimus: nunc rem ipsam ponamus quam illi non negant: & eius rei ius, actionemq; quæ-

ramus. Est hæc res posita, quæ ab aduersario non negatur. Cecinnam, cum ad constitutam diem, tempusq; ueniisset, ut ius, ac deductio moribus fieret: pulsum, prohibitumq; esse ui, coactis hominibus, & armatis. Cum hoc constet, ego homo imperitus iuris, ignarus negociorum, ac litium, hanc puto me habere actionem: ut per interdictum, meum ius teneam, atque iniuriam tuam persequar. fac in hoc errare me, nec ullo modo posse per hoc interdictum id assequi, quod uelim: te uti in hac re magistro uolo. quæro, sit ne aliqua huius rei actio, an nulla? conuocari homines propter possessionis controuersiam non oportet: armari multitudinem iuris retinendi causa non conuenit: nec iuri quicquam tam inimicum, quam uis, nec æquitati quicquam tam infestum est, quam conuocati homines, & armati. quod cum ita sit, resq; eiusmodi sit, ut in primis à magistratibus animaduertenda esse uideatur: iterum quæro, sit ne eius rei aliqua actio, an nulla? nullam esse dices? audire cupio, qui in pace, & ocio, cum manum fecerit, copias parauit, multitudinem hominum coegerit, armarit, instruxerit: homines inermes, qui ad constitutum experiundi iuris gratia uenissent, armis, uiris, terrore, periculoq; mortis repulerit, fugarit, auerterit, hoc dicat: feci equidem, quæ dicis, omnia: & ea sunt, & turbulenta, & temeraria, et periculosa. quid ergo est? impune feci. nam quid agas mecum ex iure ciuili, ac prætorio non habes. Ita ne uero Recuperatores, hoc uos audietis? & apud uos dici patiemini sæpius? cum maiores nostri tanta diligentia, prudentiaq; fuerint: ut omnia omnium non modo tantarum rerum, sed etiam tenuissimarum iura statuerint, persecutiq; sint? ut hoc genus unum, uel ma-

ximum prætermitterent: ut si qui me exire domō meā coegisset armis, haberem actionem: si qui introire prohibuisset, non haberem? nondum de Cecinnæ causa disputo: nondum de iure possessionis nostræ loquor: tantum de tua defensione C. Piso quæror. quando ita dicis, & ita constituis: si Cecinna, cum in fundo esset, inde deiectus esset: tum per hoc interdictum eum restitui oportuisse. nunc uero deiectum nullo modo esse inde, ubi non fuerit: hoc interdicto nihil nos assecutos esse. quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati nonmodo limine, tectoq; ædium tuarum, sed primo aditu, uestibuloq; prohibuerint: quid acturus sit? monet amicus meus te L. Calphurnius, ut idem dicas, quod ipse antea dixit: iniuriarum. quid ad causam possessionis? quid ad restituendum eum: quem oportet restitui? quid denique ad ius ciuile, aut ad actoris notionem, & ad animaduersionem ages? iniuriarum? plus tibi ego largiar, non solum egeris, uerum etiam condemnaris licet, nunquid magis possidebis? actio enim iniuriarum non ius possessionis assequitur: sed dolorem imminutæ libertatis iudicio, pœnaq; mitigat. prætor interea, Piso tanta de re tacebit? quemadmodum te restituat in ædes tuas non habebit? qui dies totos aut uim fieri uetat, aut restitui factam iubet: qui de fossis, de cloacis, de minimis aquarum itinerumq; controuersijs interdicit: is repente obmutescet? in atrocissima re quid faciat non habebit? & C. Pisone domo, tectisq; suis prohibito, prohibito inquam per homines coactos, & armatos, prætor quemadmodum more, & exemplo opitulari possit non habebit? quid enim dicet? aut quid tam insigni accepta iniuria postulabis, unde ui prohi-

bitus sis? nemo unquam interdixit. nouum est, non dico inusitatum, uerum omnino inauditum. unde deiectus? quid proficies, cum illi hoc respondebunt tibi: quod tu nunc mihi, armatos se tibi obstitisse, ne in ædes accederes: deijci porrò nullo modo potuisse, qui non accesserit. deijcior ego inquis: si quis meorum deijcitur. omnino iam bene agis. à uerbis enim recedis, & æquitate uteris. nam uerba ipsa si sequi uolumus, quomodo tu deijceris: cum seruus tuus deijcitur? Verum ita est uti dicis, te deiectum debeo intelligere, etiam si tactus non fueris. nonè? age nunc, si ne quidem tuorum quisquam loco motus erit, atque omnes in ædibus adseruati, ac retenti: tu solus prohibitus, & à tuis ædibus ui, atque armis perterritus, utrum hanc actionem habebis, qua nos usi sumus? an aliam quampiam? an omnino nullam? nullam esse actionem dicere in te tam insigni, tamq; atroci, neque prudentiæ, neq; authoritatis tuæ est alia si quæ forte est, quæ nos fugerit: dic quæ sit. cupio discere. hæc si est, qua nos usi sumus, te iudice uincamus necesse est. non enim uereor ne hoc dicas, in eadem causa eodem interdicto te oportere restitui, Cecinnam non oportere. etenim cui perspicuum non sit? ad incertum reuocari bona, fortunas, possessiones omnium: si ulla ex parte sententia huius interdicti diminuta, aut infirmata sit: si authoritate uirorum talium ius armatorum hominum iudicio approbatum uideatur: in quo iudicio non de armis dubitatum, sed de uerbis quæsitum esse dicatur. is ne apud uos obtinebit causam suam? qui se ita defenderit: eieci ego te armatis hominibus, non deieci: ut tantum facinus non in æquitate defensionis, sed in una litera latuisse uideatur? huiusce rei uos statuetis nul-

tam esse actionem? nulli experiundi ius constitutum? quod obstiterit armatis hominibus, qui multitudine coacta non introitu, sed omnino aditu quempiam prohibuerit? Quid ergo, hoc quam habet uim? ut ista re aliquid cum aliqua ex parte differre uideatur: utrum, pedem cum intulero, atq; in possessionem uestigium fecero: tum expellar, atq; deijciar: an in eadem ui atq; ijsdem armis mihi ante occurratur: ne nonmodo intrare, uerum etiam aspicere, aut aspirare possim. qui hoc ab illo differt? ut ille cogatur restituere, qui ingressum expulerit: ille qui ingredientem repulerit, non cogatur? Videte per deos immortales quod ius nobis, quam conditionem uobismetipsis, quam deniq; ciuitati legem constituere uelitis. huiusce generis una est actio, per hoc interdictum, quo nos usi sumus, constituta. ea si nihil ualet, aut si ad hanc rem non pertinet: quid negligentius, aut quid stultius maioribus nostris dici potest? qui aut tantæ rei prætermiserint actionem: aut eam constituerint, quæ nequaquam satis uerbis causam, & rationem iuris amplecteretur? periculosum est dissolui hoc interdictum: captiosum est omnibus rem ullam constitui eiusmodi, quæ cum armis gesta sit, rescindi iure non possit. ueruntamen est turpissimum illud, tantæ stulticiæ prudentissimos homines condemnari: ut uos iudicetis huius rei interdictum, atq; actionem in mentem maioribus nostris non uenisse. Queramur inquit licet, tamen hoc interdicto Ebutius non tenetur. quid ita? quod uis Cecinnæ facta non est. dici in hac causa potest, ubi arma fuerint: ubi coacta hominum multitudo: ubi instructi, & certis locis cum ferro homines collocati: ubi minæ, pericula, terroresq; mortis: ubi uim non fuisse? nemo inquit occi-

sus est, neq; saucius, quid ais? cum de possessionis contro uersia, & de priuatorum hominum contentione iuris loquamur: tu uim negabis esse factã: si cædes & occasio facta non erit? ego exercitus maximos sæpe pulsos, & fugatos esse dico, terrore ipso, impetuq; hostium sine cuiusquam non modo morte, uerum etiam uulnere. Etenim Recuperatores non ea sola uis est: quæ ad corpus nostrum, uitamq; peruenit: sed etiam multo maior ea, quæ periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco sæpe, & certo de statu dimouet. itaq; saucij sæpe homines, cum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt: neq; enim relinquunt locum, quem statuerint defendere. at alij pelluntur integri: ut non dubium sit, quin maior adhibita uis ei sit: cuius animus sit perterritus, quàm illi, cuius corpus uulneratum sit. quod si ui pulsos dicimus exercitus esse eos, qui metu, ac tenui sæpe suspicione periculi fugerunt: & si non solum impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neq; ictu cominus, neque coniectione telorum, sed sæpe clamore ipso militum, aut instructione, aspectuq; signorum magnas copias pulsas esse, & uidimus, & audiuimus: quæ uis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur: & quod uehemens in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur? & quod exercitus armatos mouet: id aduocationem togatorum non uidebitur mouisse? & uultus corporis magis istam uim, quàm terror animi declarabit? & sauciatio quæretur, cum fugam factam esse constabit? tuus enim testis hoc dixit: metu perterritis nostris aduocatis, locum qua effugerent demonstrasse. qui non modo ut fugerent, sed etiam ipsius fugæ tutam uiam quæsierunt: his uis adhibita non uidebitur? quid

igitur fugiebant? propter metum? quid metuebant? uim uidelicet. potestis igitur principia negare, cum extrema conceditis? fugisse perterritos confitemini: causam fugæ dicitis eandem, quam omnes intelligimus: arma, multitudinem hominum, incursionem, atque impetum armorum. hæc ubi conceduntur esse facta, ibi uis facta negabitur? At uero hoc quidem iam uetus est, & maiorum exemplo multis in rebus usitatum: cum ad uim faciundam ueniretur, si quos armatos quamuis procul conspexissent: ut statim testificati discederent: optime sponsionem facere possent, ni aduersus edictum prætoris uis facta esset. Ita ne uero? scire esse armatos satis est, ut uim factam probes? in manus eorum incidere non est satis? aspectus armatorum ad uim probandam ualebit? incursus & impetus non ualebit? qui abierit facilius sibi uim factam probabit, quàm qui effugerit? At ego dico hoc, si, ut primo in castello Cecinnæ dixit Ebutius, se homines coegisse, & armasse: neq; illum, si eò accessisset, abiturum: statim Cecinna discessisset: dubitare uos non debuisse, quin Cecinnæ facta uis esset. si uero, simul ac procul conspexit armatos, recessisset: eo minus dubitaretis. omnis enim uis est: quæ periculo aut decedere nos alicũde cogit, aut prohibet accedere. Quod si aliter statuetis: uidete ne hoc uos statuatis: qui uiuus discesserit, ei uim non esse factam: ne hoc omnibus in possessionum controuersijs præscribatis: ut confligendum sibi, & armis decertandum putent: ne quemadmodum in bello, pœna ignauis ab imperatoribus constituitur: sic in iudicijs deterior causa sit eorum, qui fugerint, quàm qui ad extremum usq; contenderint. Cum de iure, & legitimis hominum controuersijs loquimur, &

in his rebus uim nominamus, pertenuis uis intelligi debet. uidi armatos: quamuis paucos. magna uis est. decessi unius hominis telo perterritus, deiectus, detrususq; sum. hoc si ita statuetis: non modo non erit cur depugnare quisquam post hac possessionis causa uelit: sed ne illud quidẽ, cur repugnare. sin autem uim sine cæde, sine uulneratione, sine sanguine nullam intelligetis: statuetis homines possessionis cupidiores, quàm uitæ esse oportere. Age uero, de ui teipsum habebo iudicem Ebuti: respondesi tibi uidetur, in fundum Cecinna utrum noluit tandem, an non potuit accedere? cum te obstitisse, & repudiasse dicis, certe hunc uoluisse concedis. potes igitur dicere non ei uim fuisse impedimento? cui cum cuperet, eoq; consilio uenisset: per homines coactos non sit licitum accedere? Si enim id, quod maxime uoluit, nullo modo potuit: uis profecto quædam obstiterit necesse est: aut tu dic quamobrem cum uellet accedere, non accesserit. iam uim factam negare non potes. deiectus quemadmodum sit, qui non accesserit, id quæritur. dimoueri enim, & depelli de loco necesse est eum, qui deijciatur. id autem accidere ei qui potest? qui omnino in eo loco, unde se deiectum esse dicit, nunquam fuit? Quod si fuisset, & ex eo loco, metu permotus fugisset, cum armatos uidisset: diceres ne esse deiectum? opinor. an tu, qui tam diligenter, & tam callide uerbis controuersias, non æquitate dijudicas, & iura non utilitate communi, sed literis exprimis: poteris ne dicere deiectum esse eum, qui tactus non erit? quid? detrusum dices? nam eo uerbo antea Prætores hoc interdicto uti solebant. quid ais? potest ne detrudi quisquam qui non attingitur? nonne, si uerbum sequi uolumus,

hoc intelligamus necesse est? cum detrudi, cui manus afferantur? necesse est inquam, si ad uerbum rem uolumus attingere: neminem statu detrusum qui non adhibita ui, manu demotus, & actus præceps intelligatur. deiectus uero qui potest esse quisquam, nisi in inferiorem locum de superiore motus? potest pulsus, fugatus, eiectus deniq; illud uero nullo modo potest, deiectus esse quisquã non modo qui tactus non sit, sed ne æquo quidem, & plano loco. quid ergo? hoc interdictum putamus eorum esse causa compositum, qui se præcipitatos ex locis superioribus dicerent? eos enim uere possumus dicere esse deiectos. an nõ? cum uoluntas, & consilium, & sententia interdicti intelligatur, impudentiã summam, aut stulticiam singularem putabimus, in uerborum errore uersari? rem, & causam, & utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere? An hoc dubium est? quin neq; uerborum tanta copia sit, non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops, sed ne in alia quidem ulla: res ut omnes suis certis, ac proprijs uocabulis nominentur? neq; uero quicquam opus sit uerbis: cum ea res, cuius causa uerba quæsita sint, intelligatur. quæ lex, quod senatusconsultum, quod magistratus edictum, quod fœdus, aut pactio, quod, ut ad priuatas res redeam, testamentum, quæ iudicia, aut stipulationes, aut pacti, & conuenti formula, non infirmari, aut conuelli potest, si ad uerba rem deflectere uelimus? consilium autem eorum, qui scripserunt: & rationem, & authoritatem relinquamus? sermo hercule & familiaris, & quotidianus non cohærebit. si uerba inter nos aucupabimur. deniq; imperium domesticum nullum erit, si seruulis hoc nostris concesserimus: ut ad uerba nobis obe-

diant: non ad id, quod ex uerbis intelligi possit, obtemperent. Exemplis nunc uti uidelicet mihi necesse est harum rerum omnium? non occurrit unicuiq; uestrũ aliud alij in omni genere exemplum? quod testimonio sit, non ex uerbis aptum pendere ius, sed uerba seruire hominum consilijs, & authoritatibus? Ornate & copiose L. Crassus homo longe eloquentißimus, paulo ante quàm nos in forum uenimus, iudicio centumuirali hanc sententiam defendit: & facile, cum contra eum prudentißimus homo Q. Mutius diceret: probauit omnibus, M. Curium, qui hæres institutus esset ita, mortuo Postumo filio: cum filius nonmodo non mortuus, sed ne natus quidem esset, hæredem esse oportere. quid? uerbis satis hoc cautum erat? minime. quæ res igitur ualuit? uoluntas. quæ si tacitis nobis intelligi posset, uerbis omnino non uteremur. quia non potest, uerba reperta sunt: non quæ impedirent, sed quæ indicarent uoluntatem. Lex usum, & authoritatem fundi iubet esse bienium. at utimur eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellantur. si uia sit immunita, iubet, qua uelit, agere iumentum. potest hoc ex uerbis intelligi: licere si uia sit in Brutijs immunita:: agere, si uelit, iumentum per M. Scauri Thusculanum. actio est in actorem præsentem his uerbis. quãdoquidem te in iure conspicio. hac actione Appius ille Cæcus uti non posset, si tam uere homines uerba consectarẽtur, quàm rem, cuius causa uerba sunt, non considerarent. testamento si recitatus hæres esset pupillus Cornelius: isq; iam annos XX haberet: uobis interpretibus amitteret hæreditatem? Veniunt in mentem mihi permulta, uobis plura certo scio. uerum ne nimium multa complectamur: atque ab eo, quod propo-

situm est, longius aberret oratio: hoc ipsum interdictum de quo agitur, considerem⁹. intelligetis enim in eo ipso, si in uerbis ius constituamus: omnem utilitatem nos huius interdicti, dum uersuti, & callidi uolumus esse, amissuros. VNDE TV, AVT FAMILIA, AVT PROCVRATOR TVVS. *si me uillicus tuus solus deiecisset, nõ familia deiecisset, ut opinor, sed aliquis de familia. recte igitur diceres te restituisse? quippe. quid enim facilius est? quã probari ijs, qui latine sciant, in uno seruulo familiæ nomen non ualere? si uero ne habeas quidem seruum præter eum, qui me deiecerit, clames uidelicet: si habeo familiam: à familia mea fateor te esse deiectum. neq; dubiũ est, quin, si ad rem iudicandam uerbo ducimur, nõ re, familiam intelligamus: quæ constet ex seruis pluribus: quin unus homo familia non sit. uerbum certe hoc non modo postulat, sed etiam cogit. at uero ratio iuris, interdictiq; ius, et Prætorum uoluntas, & hominum prudentium consiliũ, et authoritas, respuat hanc defensionem, & pro nihilo putet. quid ergo? isti homines latine non loquuntur? immo uero tantum loquuntur, quantum est satis ad intelligendam uoluntatem: cũ sibi hoc proposuerint, ut siue me tu deieceris, siue tuorum quispiam, siue seruorum, siue amicorum: ut seruos non numero distinguant, sed appellent uno familiæ nomine. de liberis autem, quisquis est, procuratoris nomine appelletur: non quo omnes sint, aut appellẽtur procuratores: qui negocij nostri aliquid gerant, sed in hac re, cognita sententia interdicti uerba exquiri omnia noluerunt. non enim alia causa est æquitatis in uno seruo, & in pluribus: non alia ratio iuris in hoc genere duntaxat, utrum me tuus procurator deie-*

cerit is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia non sit, absitue Reip. causa: quasi quidam penè dominus, hoc est alieni iuris uicarius, aut tuus colonus, aut uicinus, aut cliens, aut libertus, aut quiuis, qui illam uim, deiectionemq; tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit. Quare si ad eum restituendum, qui ui deiectus est: eandem uim habet æquitatis ratio: ea intellecta, certe nihil ad rem pertinet: quæ uerborum uis sit, ac nominum. tam restitues, si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo præpositus negocio: quàm si procurator deiecerit: non quo omnes sint procuratores, qui aliquid nostri negocij gerunt: sed quod in hac re quæri nihil attinet. tam restitues: si unus seruulus, quàm si familia deiecerit uniuersa: non quo idem sit seruulus, quod familia. uerum quia non quibus uerbis quidq; dicatur, quæritur, sed quæ res agatur. etiam, ut iam longius à uerbo recedamus, ab æquitate ne tantulum quidem: si tuus seruus nullus fuerit, & omnes alieni, ac mercenarij: tamen & ipsi tuæ familiæ, & genere & nomine continebuntur. Perge porrò hoc idem interdictum sequi. HOMINIBVS COACTIS. *neminem coegeris: ipsi conuenerint sua sponte: certe cogit is, qui congregat homines, & conuocat, Coacti sunt ij, qui ab aliquo sunt unum in locum congregati. si non modo conuocati non sunt, sed ne conuenerunt quidẽ: sed ij modo fuerunt: qui etiã antea, non uis ut fieret, uerum colendi, aut pascẽdi causa esse in agro consueuerãt: desertos homines coactos non fuisse: & uerbo quidem superabis, me ipso iudice: re autem ne consistes quidem ullo iudice. uim enim multitudinis restitui uoluerunt, non solum conuocatæ multitudinis: sed, quia plerunque*

ubi multitudine opus est, homines cogi solēt: ideo de coactis compositum interdictum est: quod etiam si uerbo differre uidebitur, re tamen erit unum: & omnibus in causis idem ualebit, in quibus perspicitur una atque eadem causa æquitatis. ARMATIS VE. quid dicemus? armatos si latine loqui uolumus, quos appellare uere possumus? opinor eos, qui scutis, telisq; parati, ornatiq; sunt. quid igitur? si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo præcipitem egeris, iussusq; sis, quē hominibus armatis deieceris, restituere: restituisse te dices? uerba si ualent, si causæ non ratione, sed uocibus ponderantur: me authore dicito. uinces profecto non fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quæ de terra ipsi tollerent: non esse arma cespites, neq; glebas: non fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramum defringerent arboris: arma esse suis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum: quæ qui non habuerint, inermes fuisse uinces. uerum siquidem erit armorum iudicium, tum ista dicito. iuris iudicium cum erit, & æquitatis, caue in ista tam frigida, tam ieiuna calumnia delitescas. non enim reperies quenquam iudicem, aut Recuperatorem: qui tanquam si arma militis inspiciunda sint, ita probet armatum. sed perinde ualebit, quasi armatissimi fuerint: si reperientur ita parati fuisse, ut uim uitæ aut corpori potuerint afferre. Atq;, ut magis intelligas, quàm uerba nihil ualeant: si tu solus, aut quiuis unus cum scuto, cum gladio impetum in me fecisset: atque ego ita deiectus essem, auderes ne dicere? interdictum esse de armatis hominibus? hic autem hominem armatum unum fuisse. non opinor tam impudens esses. atqui uide ne multo nunc sis impudentior. nam tum quidem

quidem omnes mortales implorare posses, quod homines in tuo negocio latine loqui obliuiscerentur: quod inermes armati iudicarentur: quod, cum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab uno: unus homo plures esse homines iudicarentur. uerum in his causis non uerba ueniunt in iudicium: sed ea res, cuius causa uerba hæc in interdictum coniecta sunt. Vim, quæ ad caput, & ad uitam pertinet: restitui sine ulla exceptione uoluerunt. ea fit plerunque per homines coactos, armatosq;. quæ si alio consilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse uoluerunt. non enim maior est iniuria, si tua familia, quàm si tuus uillicus: non si tui serui, quàm si alieni, ac mercenarij: non si tuus procurator, quàm si uicinus, aut libertus tuus: non si coactis hominibus, quàm si uoluntarijs, aut etiam assiduis, ac domesticis: non si armatis, quàm si inermibus, qui uim haberent armatorum, ad nocendum: non si pluribus, quàm si uno armato. quibus enim rebus plerunque uis fit, eiusmodi hæ res appellantur interdicto. si per alias res eadem facta uis est: ea, tametsi uerbis interdicti non concluditur, tamen sententia iuris, atq; authoritate retinetur. Venio nunc ad illud tuum non deieci, si non sui accedere. puto teipsum Piso perspicere, quanto ista sit angustior, iniquiorq; defensio: quàm si illa uterere: non fuerunt arma ti, cum fustibus, & saxis fuerunt. Si me hercule mihi nō copioso homini ad dicendum, optio detur: utrum malim defendere: non esse deiectum eum, cui ui, & armis ingredienti sit occursum: an armatos non fuisse eos, qui sine scutis, ac sine ferro fuerint: omnino ad probandum utranq; rem uideam infirmam, nugatoriamq; esse:

ad dicendum autem in altera uidear mihi aliquid reperire posse: nõ fuisse armatos eos, qui neq; ferri quicquã, neq; scutum ullum habuerint: hic uero hæream, si mihi defendendum sit, eum qui pulsus, fugatusq; sit, non esse deiectum. Atq; illud in tota defensione tua, mihi maxime mirum uidebatur: te dicere iurisconsultorum authoritati obtemperari non oportere. quod ego, tametsi non nunc primum, neq; in hac causa solum audio: tamen admodum mirabar, abs te quamobrem diceretur. nam cæteri tum ad istam hortationem decurrunt: cum se in causa putant habere æquum, & bonũ, quod defendant. si cõtrà uerbis, & literis, & (ut dici solet) summo iure contenditur: solent eiusmodi iniquitati & boni, et æqui nomen, dignitatemq; opponere. tum illud, quod dicitur sic uenire irridentur: tum aucupia uerborum, & literarũ tenticulas in inuidiam uocant: tum uociferantur ex æquo, & bono, non ex callido, uersutoq; iure rem iudicari oportere: scriptũ sequi calũniatoris esse: boniq; iudicis, uoluntatẽ scriptoris, authoritatemq; defendere. In ista uero causa, cũ tu sis is, qui te uerbo, literaq; defendas, cũ tuæ sint eæ partes: unde deiectus es? an inde quo prohibitus es accedere? eiectus es, nõ deiectus. cum tua sit hæc oratio: fateor me homines coegisse: fateor armasse: fateor tibi mortem esse minitatum: fateor, hoc interdictum prætoris uiolaui: si uolũtas, et æquitas ualeat. sed ego inuenio in interdicto uerbũ unum, ubi delitescam. nõ deieci te ex eo loco, quem in locũ prohibui ne uenires. in ista defensione accusas eos, qui consuluntur: quod æquitatis censeant rationẽ, nõ uerbi haberi oportere. Et hoc loco Scæuolam dixisti causam apud Centumuiros nõ tenuisse: quem ego antea non commemoraui, quod idem faceret, quod tu nunc: tametsi ille in aliqua causa faciebat, tu in nulla facis: tamen probasse nemini quod defendis: quia uerbis oppugnare æquitatem uidebatur. Cum id miror, te hoc in hac re alieno tempore, & contra, quàm ista causa postulasset, defendisse: tum illud uulgo in iudicijs & nonnunquam ab ingeniosis hominibus defendi mihi mirum uideri solet, nec iurisconsultis concedi, nec ius ciuile in causis semper ualere oportere. Nam qui hoc disputant: si id dicunt, non recte aliquid statuere eos, qui consulantur: non hoc debent dicere iuri ciuili, sed hominibus stultis obtemperari nõ oportere. sin illos recte respondere concedunt, & aliter iudicari dicũt oportere: male iudicare oportere dicunt. neq; enim fieri potest, ut aliud iudicari de iure, aliud responderi oporteat: nec ut quisquã iuris numeretur peritus: qui id statuat esse ius, quod non oporteat iudicari. At est aliquando contra iudicatum. primum utrum recte, an perperam? si recte, id fuit ius, quod iudicatum est. sin aliter, non dubium est, utrum iudices, an iurisconsulti uituperandi sint. deinde si de iure uario quippiam iudicatum est: non potius contra iurisconsultos statuũt: si aliter pronunciatum est, ac Mutio placuit: quàm ex eorum authoritate: si ut Manilius statuebat, sic est iudicatum. Etenim ipse Crassus non ita causam apud centumuiros egit: ut contra iurisconsultos diceret: sed ut hoc doceret: illud quod Scæuola defendebat, non esse iuris: & in eam rem non solum rationes afferret: sed etiã Q. Mutio socero suo, multisq; peritissimis hominibus authoribus uteretur. Nam qui ius ciuile contemnendum putat: is uincula reuellit,

non=

modo iudiciorum, sed etiam utilitatis, uitæq; communis. qui autem interpretes iuris uituperat, si imperitos iuris esse dicit: de hominibus non de iure ciuili detrahit. sin peritis non putat esse obtemperandum: non homines lædit, sed leges, ac iura labefactat. quod uobis uenire in mentem profecto necesse est: nihil esse in ciuitate tam diligenter, quam ius ciuile retinendum. etenim hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit: nihil est quod æquabile inter omnes, atq; unum omnibus esse possit. Itaq; in cæteris controuersijs, atque iudicijs, cum quæritur aliquid factum, nec ne sit: uerum an falsum proferatur: & fictus testis subornari solet: & imponi falsæ tabulæ nonnunquã honesto, ac probabili nomine: bono uiro iudici error obijci: improbo facultas dari: ut cum sciens perperam iudicarit: testamentum aut tabulas secutus esse uideatur. In iure nihil est eiusmodi Recuperatores: non tabulæ falsæ: non testis improbus: denique nimia ista, quæ dominatur in ciuitate potentia, in hoc solo genere quiescit: quid agat, quomodo aggrediatur iudicem, qua denique digitum proferat, non habet. Illud enim potest dici iudici ab aliquo, non tam uerecundo homine, quàm gratioso: iudica hoc factum esse, aut nunquam esse factum, uel cogitatum: crede huic testi: has comproba tabulas. hoc non potest. cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum, iudica: quod mulier sine tutore authore promiserit, deberi. non est aditus ad huiuscemodi res neque potentiæ cuiusquam, neque gratiæ. denique quo maius hoc, sanctiusq; uideatur: ne precio quidem corrũpi iudex in eiusmodi causa potest. iste uester testis, qui

ausus est dicere feciſſe uideri eum: de quo ne cuius rei argueretur quidem scire potuisset: ipse nunquam auderet iudicare, deberi uiro dotem, quam mulier nullo authore dixisset. O rem præclaram, uobisq; ob hoc retinendam Recuperatores. quod enim est ius ciuile? quod neque inflecti gratia, neq; perfringi potentia, neq; adulterari pecunia possit? quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adseruatum erit: nihil est, quod quisquam sese habere certum, aut à patre acceptum, aut relicturum liberis arbitretur. quid enim refert, ædes, aut fundum relictum à patre, aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum sit? quæ cum omnia tua iure mancipij sint, ea possis ne retinere? si parum sit communitum ius: si ciuili, ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest? quid inquam prodest fundum habere? si, quæ decentißime descripta à maioribus iura finium, possessionum, aquarum, itinerumq; sunt, hæc perturbari aliqua ratione, commutariq; possunt? mihi credite: maior hæreditas uenit unicuique uestrum in ijsdem bonis, à iure, & à legibus: quàm ab ijs, à quibus illa ipsa bona relicta sunt. nam ut perueniat ad me fundus testamento alicuius fieri potest: ut retineam quod meum factum sit, sine iure ciuili non potest. fundus à patre relinqui potest: at usucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis, ac periculum litium, non à patre relinquitur, sed à legibus. aquæductus, haustus, iter, actus, à patre, sed rata authoritas harum rerum omnium à iure ciuili sumitur. quapropter non minus diligenter ea, quæ à maioribus accepistis? publica patrimonia iuris, quàm priuatæ rei uestræ retinere debetis. non solum quod hæc

iure ciuili septa sunt: sed etiam quod patrimonium, unius incommodo dimittitur: ius amitti non potest sine magno incommodo ciuitatis. In hac ipsa causa Recuperatores, si hoc nos non obtinebimus: ui armatis hominibus deiectum esse eum, quem ui armatis hominibus pulsum, fugatumq; esse constet: Cecinnarem non amittet, quam ipsam animo forti, si tempus ita ferret, amitteret: in possessionem in præsentia non restituetur: nihil amplius. Populi Romani causa, ciuitatis ius, bona, fortunæ, possessionesq; in dubium, incertumq; reuocabuntur: uestra authoritate hoc constituetur: hoc præscribetur: qui cum tu posthac de possessione contendes: eum si ingressum modo deiceris, in prædium restituas oportebit. sin autem ingredienti cum armata multitudine obuius fueris: & ita uenientem repuleris, fugaris, auerteris: * tum statuetis uim in cæde solum, non etiam in animo, nisi cruor appareat, uim non esse factam: in iure parum delictum esse, qui prohibitus sit: nisi ex eo loco ubi uestigium impresserit, deijci neminem posse: iuris retinere sententiam, & æquitatem plurimum ualere oportere: uerbo, ac litera ius omne torqueri: uos statuite Recuperatores utrum utilius esse uideatur. Hoc loco percommode accidit: quod non adest is: qui paulo ante affuit, & adesse nobis frequenter in hac causa solet: uir ornatissimus C. Aquilius. nam ipso præsente de uirtute eius, & prudentia timidius dicerem: quod & ipse pudore quodam afficeretur ex sua laude: & me similis ratio pudoris à præsentis laude tardaret. cuius authoritati dictum est ab illa causa concedi nimium non oportere.

Vereor de tali uiro ne plus dicam, quàm uos aut sentiatis, aut apud uos commemorari uelitis. quapropter hoc dicam: nunquam eius authoritatem nimium ualere: cuius prudentiam populus Ro. in cauendo, non in decipiendo perspexerit: qui iuris ciuilis rationē nunquam ab æquitate seiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Rom. promptam, expositamq; præbuerit: qui ita iustus, & bonus uir est: ut natura, non disciplina consultus esse uideatur: ita peritus, ac prudens, ut ex iure ciuili non scientia solum quædam, uerum etiam bonitas nata uideatur: cuius tantum est ingenium, ita prompta fides: ut quicquid inde haurias, purum, liquidumq; te haurire sentias. Quare permagnam initis à nobis gratiam: cum eum authorem uestræ defensionis esse dicitis. illud autem miror, cur uos aliquid contra me sentire dicatis: cum eum authorē uos pro me appelletis, uestrum nominetis. Veruntamen quid ait iste uester author? omnibus quicquid uerbis actum pronunciatumq; sit, conuenit. ego ex isto genere consultorum non nominem ut opinor istum ipsum, quo uos authore rem istam agere, & defensionem causæ constituere uos dicitis. qui cum istam disputationē mecum ingressus esset: non posse probare quenquā esse deiectum, nisi ex eo loco in quo fuisset: rē et sententiā interdicti mecū facere fatebatur: uerbo me excludi dicebat, à uerbo autem posse recedi nō arbitrabatur. Cum exemplis uterer multis: etiam illa materia ætatis ab uerbo, et ab scripto: plurimis sæpe in rebus ius, & æqui boniq; rationē eße seiunctam: semperq; id ualuisse plurimum, quod in se authoritatis habuisset æquitatisq; plurimum, consolatus est me, & ostendit

in hac ipsa causa nihil esse quod laborarem. nam uerba ipsa sponsionis facerent mecum, si uellem diligenter attendere. quonam inquam modo? quia certe, inquit, deiectus est Cecinna ui hominibus armatis aliquo ex loco, si non ex eo loco, quem in locum uenire uoluit: at ex eo certe, unde fugit. quid tum? Prætor inquit interdixit: ut, unde deiectus esset, eò restitueretur: hoc est quicunq; is locus esset, unde deiectus esset. Ebutius autem, qui fatetur aliquo ex loco deiectum esse Cecinnam: is quo modo se restituisse dixit, necesse est: male fecerit sponsionem. Quid est Piso? placet tibi pugnare uerbis? placet causam iuris, & æquitatis, & non nostræ possessionis, sed omnino possessionum omnium constituere in uerbo? Ego quod mihi uideretur: quod à maioribus factitatũ: quod horum authoritate, quibus iudicandum est, dignũ esset: ostendi: id uerum, id æquum, id utile omnibus esse: spectari quo consilio, & qua sententia, non quibus quidq; uerbis esset actum. tu me ad uerbum uocas. non ante uenio, quàm recusaro. nego oportere, nego obtineri posse: nego ullam rem esse, quæ aut comprehendi satis, aut caueri, aut excipi possit: si aut præterito aliquo uerbo, aut ambigue posito, sententia, & re cognita non id quod intelligitur, sed id quod dicitur, ualebit. quoniam satis recusaui, uenio iam quo uocas: quæro abste, sim ne deiectus: non de Fulciniano fundo: neque enim Prætor, si ex eo fundo essem deiectus, ita me restitui iussisset, sed eò unde deiectus essem: sum ex proximi uicini fundo deiectus, qua adibam ad istum fundum: sum de uia: sum certe alicunde, siue de priuato, siue de publico: eò restitui sum iussus. restituisse te dixisti. nego me ex decreto Prætoris restitutum esse. Quid ad hæc dicimus? aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio, aut nostro defensio tua conficiatur necesse est. si ad interdicti sententiam cõfugis, & de quo fundo actum sit tum, cum Ebutius restituere iubebatur: id quærendum esse dicis: neque æquitatem rei uerbi laqueo capi putas oportere: in meis castris præsidijsq; uersaris. mea, mea est ista defensio: ego hoc uoci feror: ego omnes homines deosq; testor: cum maiores uim armatam nullæ iuris defensione texerint: non uestigium eius, qui deiectus sit: sed factum illius, qui deiecerit, in iudicium uenire: deiectum esse, qui fugatus sit: uim esse factam, cui periculum mortis sit iniectum. istum locum fugis: & reformidas: & me ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis ad istas uerborum angustias, & ad omnes literarum angulos reuocas. in ijs ipsis intercludere insidijs: quas mihi conaris opponere. non deieci, sed eieci. peracutum hoc tibi uidetur: hic est mucro defensionis tuæ: in eum ipsum causa tua incurrat, necesse est. ego enim tibi refero, si nõ sim ex eo loco deiectus, quo prohibitus sum accedere: at ex eo sum deiectus, quo accessi, unde fugi. si prætor non distinxit locum, quo me restitui iuberet, & restitui iussit: non sum ex decreto restitutus. Velim Recuperatores, hoc totum si uobis uersutius, quàm mea consuetudo defendendi fert, uidebitur: sic existimetis, primum alium non me excogitasse: deinde huius rationis nonmodo non inuentorem, sed ne probatorem quidem esse me: idq; me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni retulisse. me posse pro meo iure dicere minime inhacre, quam ego protuli: quæri oportere, quibus

uerbis Prætor interdixit: sed de quo loco sit actum, cum interdixit: neque in ui armatorum spectari oportere, in quo loco sit facta uis: uerum sit ne facta. te uero nullo modo posse defendere: in qua re tu uelis, uerba spectari oportere: in qua re nolis, non oportere. Veruntamen & quid mihi respondetur ad illud, quod antea dixi: non solum re & sententia, sed uerbis quoq; hoc interdictum ita esse compositum, ut nihil commutandum uideretur? attendite diligenter quæso Recuperatores: est enim uestri ingenij, non meam, sed maiorum prudentiam cognoscere. non enim sum id dicturus, quod ego inuenerim, sed quod illos non fugerit. Cum de ui interdicitur: duo genera causarum esse intelligebant, ad quæ interdictum pertineret. unum, si qui ex eo loco, in quo esset, ui deijceretur: alterũ, si ab eo loco quo ueniret. et horũ utrunq;, neq; præterea quicquã potest accidere Recuperatores. id adeo, si placet, considerate. Si qui meam familiam de meo fundo deiecerit: ex eo me loco deiecerit. si qui mihi præsto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, & me introire prohibuerit: non ex eo, sed ab eo loco me deiecerit. ad hæc duo genera rerum, unum uerbum, quod satis declararet utraſq; res, inuenerunt: ut siue ex fundo, siue à fundo deiectus essem, uno, atque eodem interdicto restituerer. VNDE TV. hoc uerbum unde, utrunq; declarat: & ex quo loco, & à quo loco. unde deiectus est Cecinna? ex urbe. unde deiecisti? ab urbe. unde deiecti Galli? à Capitolio. unde qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. uidetis igitur hoc uno uerbo significari res duas: & ex quo, & à quo loco. VI. Cum autem eo restitui iubet, ita iubet: ut si Gal-

li à maioribus nostris postularent: ut eo restituerentur, unde deiecti essent: & aliqua ui hoc assequi possent: non opinor eos in cuniculum, qua aggressi erant: sed in Capitolium restitui oporteret. hoc enim intelligitur: unde deiecisti, siue ex quo loco, siue à quo loco, eò restituas: hoc iam simplex est: in eum locum restituas, siue ex hoc loco deiecisti, restitue in hunc locum: siue ab hoc loco: restitue in eum locum: non ex quo, sed à quo deiectus. Vt si qui ex alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus optaret, ut cum esset à patria deiectus, eo restitueretur: hoc opinor optaret, ut à quo loco depulsus esset: in eum se fortuna restitueret: nõ in salum, sed in ipsam urbem, quam petebat. Sic quoniam uim uerborum necessario similitudine rerum aucupamur: qui postulat, ut à quo loco deiectus est, hoc est unde deiectus est, eo restituatur: cum uerba nos eo ducunt, tum res ipsa hoc sentire, atque intelligere cogit. Etenim Piso, redeo nunc ad illa principia defensionis meæ, si quis te ex ædibus tuis ui hominibus armatis deiecerit, quid ageres? opinor hoc interdicto, quo nos usi sumus, persequerere. quid? si qui iam de foro redeuntem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ages? utere eodem interdicto. cum igitur prætor interdixerit: unde deiectus es, ut eò restituaris: tu hoc idem, quod ego dico, & quod perspicuum est, interpretabere: cum illud uerbum VNDE in utranq; rem ualeat, eoq; tu restitui sis iussus: tam te in ædes tuas restitui oportere, si è uestibulo, quam si ex interiore ædium parte deiectus sis. Vt uero iam Recuperatores nulla dubitatio sit: siue rem, siue uerba spectare uultis: quin secun-

dum non iudicetis: exoritur hic iam obrutis rebus omnibus, & perditis, illa defensio, eum deijci posse, qui tum possideat: qui non possideat, nullo modo posse. itaque, si ego sim à tuis ædibus deiectus: restitui non oportere: si ipse sis, oportere. numera quàm multa in ista defensione falsa sint Piso, ac primum illud attende: te iam ex illa ratione esse depulsum: quod negabas quenquam deijci posse, nisi in eo loco esset: nunc iam posse concedis. eum qui non possideat, negas deijci posse. cur ergo aut in illud quotidianum interdictum, Vnde ille me ui deiecit, additur, cum ego possiderem: si deijci nemo potest, qui non possidet? aut in hoc interdictum, de hominibus armatis non additur? si oportet quæri, possederit nec ne? negas deijci, nisi qui possideat. ostendo si sine armatis, coactisue hominibus, deiectus quisquam sit: eum, qui fateatur se deiecisse, uincere sponsionem: si ostendat eum non posse dissse. negas deijci, nisi qui possideat. ostendo ex hoc interdicto de armatis hominibus, qui posit ostendere non possedisse eum, qui deiectus sit: condemnari tamen sponsionis necesse esse, si fateatur esse deiectum. dupliciter homines deijcuntur: aut sine coactis, armatisue hominibus: aut per eiusmodi rationem aut uim. ad duas dissimiles res, duo deuincta interdicta sunt. in illa ui quotidiana non satis est posse docere se deiectum: nisi ostendere possit, cũ possideret, tum deiectũ. ne id quidẽ satis est nisi docet ita se possedisse: ut nec ui, nec clã, nec precario posse derit. Itaq; is, qui se restituisse dixit: magna uoce sæpe cõfiteri solet, se ui deiecisse: uerũ illud addit: nõ possidebat. uel etiam, cum hoc ipsum concessit: uincit tamen sponsione: si planum facit, ab se illum, aut ui, aut clam, aut

precario possedisse. Videtis ne quot defensionibus eum, qui sine armis, ac multitudine uim fecerit: uti posse maiores uoluerunt? hunc uero qui ab iure, officio, bonis moribus, ad ferrum, ad arma, ad cædem confugerit: nudum in causa destitutumq; uidetis: ut, qui armatus de possessione contendisset: inermis planè desponsione certaret. Ecquid igitur interest Piso inter hæc interdicta? ecquid interest utrum hoc aditum? cum A. Cecinna possederit, necne? ecquid te ratio iuris, ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid authoritas maiorum commouet? si esset aditum, de eo quæri oporteret. aditum non est, tamen oportebit. Atque ego in hoc Cecinnam non defendo. possedit enim Cecinna Recuperatores, & id, tametsi extra causam est: percurram tamen breui: ut minus hominem ipsum, quàm ius commune defensum uelitis. Cesenniam possedisse propter usum fructum non negas. qui colonus habuit conductum de Cesennia fundum: cum idem ex eadem conductione fuerit in fundo: dubium est, quin si Cesennia tum possidebat: cum erat colonus in fundo: post eius mortem hæres, eodem iure possederit? deinde ipse Cecinna, cum circuiret prædia, uenit in istum fundum: rationes à colono accepit. sunt in eam rem testimonia. postea cur Ebuti de isto potius fundo quàm de alio, si quem habes, Cecinnæ denunciabas, si Cecinna non possidebat? ipse porro Cecinna cur se moribus deduci uolebat? idq; tibi de amicorum, etiam de ipsius C. Aquilij sententia respondebat. * At enim Sylla legem tulit. ut nihil de illo tempore, nihil de calamitate Reip. quæras: hoc tibi respondeo, adscripsisse eundem

Syllam in eandem legem: si quid ius non esset rogari: eius ea lege nihilum rogatum. quid est quod ius non sit, quod populus iubere, aut uetare non possit? ut ne longius abeam: declarat ista ascriptio esse aliquid. nam nisi esset: hoc in omnibus legibus nõ ascriberetur. Sed quæro abs te putes ne si populus iusserit me tuum, aut item te meũ seruum esse: id iussum ratum, atque firmum futurum? perspicis hoc nihil esse: & fateris ut in cæteris, quæ rogaui: sed qui primum illud concedas, non quicquid populus iusserit, ratum esse oportere. deinde nihil rationis affers: quamobrem si liberis adimi nullo modo possit, ciuitas possit. nam & eodem modo de utraq; re traditum nobis est: & si semel ciuitas adimi potest, retineri libertas non potest. qui enim potest iure Quiritum liber esse is, qui in numero Quiritum non est? Atque ego hanc adolescentulus causam cum agerem contra hominem disertißimum nostræ ciuitatis Cottam, probaui. cũ Aretinæ mulieris libertatem defenderem: & Cotta Decemuiris religionem iniecisset: non posse sacramentum nostrum iustum iudicari: quod Aretinis adempta ciuitas esset: & ego uehementius contendissem ciuitatem adimi non potuisse: Decemuiri prima actione non iudicauerunt. postea re quæsita, & deliberata, sacramentum nostrum iustum iudicauerunt. Atque hoc et contradicente Cotta, & Sylla uiuo iudicatum est. Iam uero in cæteris, ut omnes, qui in eadem causa sunt: & lege agant, & suum ius persequantur: & omnes iure ciuili sine cuiusquam aut magistratus, aut iudicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione utantur, quid ego commemorem? dubium nemini uestrum est. Certe quæri hoc solere

me non præterit: ut ex me ea, quæ tibi in mentem non ueniunt, audias: quemadmodum si ciuitas adimi non possit: in colonias latinas sæpe nostri ciues profecti sint: aut sua uoluntate, aut legis mulcta profecti sunt: quam mulctam si sufferre uoluissent, tamen manere in ciuitate uoluissent. Quid? quem Pater patratus dedidit, aut suus pater populusué uendidit: quo is iure amittit ciuitatem? Vt religione ciuitas soluatur, ciuis romanus traditur: qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus: si non accipiunt, ut Mancinum Numantini: retinet integram causam, & ius ciuitatis. Si pater uendidit, eum, quem in suam potestatem susceperat: ex potestate dimittit. Iam populus cum eum uendidit, qui miles factus non est: non adimit ei libertatem: sed iudicat non esse eum liberum: qui ut liber sit, adire periculum noluit. cum autem incensum uendidit, hoc iudicat: cum ij qui in seruitute iusta fuerunt: censu liberentur: eum, qui cum liber esset, censeri noluerit: ipsum sibi libertatem abiudicasse. Quod si maxime ijsce rebus adimi libertas aut ciuitas potest: non intelligunt qui hæc commemorant: si per has rationes adimi maiores posse uoluerunt, alio modo noluisse. Nam ut hæc ex iure ciuili protulerunt: sic afferant uelim: quibus lege, aut ratione ciuitas, aut libertas erepta sit. Nam quod ad exilium attinet: perspicue intelligi potest quale sit. exilium enim non supplicium est: sed profugium portusq; supplicij. nam qui uolunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem: eò solum uertunt, hoc est sedem ac locũ mutant. Itaq; nulla in lege nostra reperietur, ut apud cæteras ciuitates, maleficium ullum exilio esse mulcta-

tum. Sed cum homines, uincla, neces, ignominiasq; uitant, quæ sunt legibus constitutæ: confugiunt quasi ad aram in exiliũ: qui si in ciuitate legis uim subire uellent, non prius ciuitatem quàm uitã amitterent. quia nolunt, non adimitur his ciuitas: sed ab his relinquitur, atq; deponitur. Nam cum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse possit: tum amittitur hæc ciuitas deniq;, cum is qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam ciuitatem. Nõ me præterit Recuperatores, tametsi de hoc iure multa prætereo: tamen me longius prolapsum esse, quàm ratio uestri iudicij postularit. Verum id feci: non quod uos in hac causa hanc defensionem desiderare arbitrarer: sed ut omnes intelligerent: nec ademptam cuiquam ciuitatem esse, nec adimi posse. hoc cum eos scire uolui, quibus Sylla uoluit iniuriam facere: tum omnes cæteros nouos, ueteresq; ciues. neq; enim ratio afferri potest, cur si cuiquã nouo ciui potuerit adimi ciuitas: nõ omnibus patricijs, omnibus antiquissimis ciuibus possit. Nam ad hanc quidẽ causam nihil hoc pertinuisse, primũ ex eo intelligi potest: quod uos ea de re iudicare non debetis: deinde quod Sylla ipse ita tulit de ciuitate: ut nõ sustulerit horum nexa, atq; hæreditates. iubet enim eodem iure esse, quo fuerint Ariminẽses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse, & à Populo Ro. hæreditates capere potuisse? Quod si adimi ciuitas A. Cecinnæ lege potuisset: magis illam rationem tamen omnes boni quæreremus: quemadmodum spectatissimum, prudentissimumq; hominem, summo consilio, summa uirtute, summa authoritate domestica præditum leuatum iniuria ciuem retinere possemus: quàm uti nunc cum

de iure

de iure ciuitatis nihil potuerit deperdere: quisquam existat, nisi tui Sexte similis & stulticia & impudentia: qui huic ciuitatem ademptam esse dicat. Qui quoniam Recuperatores suum ius non deseruit: neque quicquam illius audaciæ, petulantiæq; concessit: de relinquo iam communem causam: populiq; Rom. ius in uestra fide ac religione depono. Is homo ita se probatum uobis uestriq; similibus semper uoluit: ut id non minus in hac causa laborarit: nec contenderit aliud: quàm ne ius suum dissolute relinquere uideretur: nec minus uereretur, ne contemnere Ebutium, quàm de eo contemptus esse existimaretur. Quapropter si quid extra iudicium est: quod homini tribuendum sit: habetis hominem singulari pudore, uirtute cognita, & spectata fide amplissimum, Hetruriæ nomine totius in utraq; fortuna cognitum multis signis & uirtutis & humanitatis. si quid in contraria parte in homine offendendum sit: habetis eum, ut nihil dicam amplius. qui se homines coegisse fateatur. sin hominibus remotis de causa quæritis: cum iudicium de ui sit: is qui arguitur, uim se hominibus armatis fecisse fateatur: uerbo se non æquitate defendere conetur: id quoque ei uerbum ipsum ereptum esse uideatis: authoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum: in iudicium non uenire, utrum Cecinna posederit, nec ne: tamen doceri possedisse: multo etiam minus quæri A. Cecinnæ fundus sit, nec ne: me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Cecinnæ. cum hæc ita sint: sta-

tuite quid uos tempora Reip. de armatis hominibus, quid illius confessio de ui, quid nostra decisio de æquitate, quid ratio interdicti de iure admoneant, ut iudicetis.

ΑΠΟΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ
IN VOLVMEN PRIMVM.

A

Acradina urbs Syracusarum. 228. 4.
Actores Græci 62. l 27.
Adrianus uiuus Vticæ exustus 90. l 26.
Aduersarium oratorem contemnit 33. l 21.
Africanus 35.. l 11.
Agonis liberta Veneris 63.. l 1.
Allegoria in re odiosa eidemq; subnexa occupatio atq; excusatio personæ offensæ 33. l 21.
Altercatio 15.
Amplificatio, ratione atq; comparatione rei similis 211.. l 25.
ἀναπεφαλαίωσις numerosa in peroratione 16.
Annuli aurei donatio 189.
Antiochus uictus à Scipione 87.
ἀντίθετον 41. l 31. & 57. l 22.
ἀντίθετον Hermogeneum cuius altera pars habet approbationem annexam 111. l 21.
ἀντιμεταβολὴ 195. l 15.
ἀντιμεταβολὴ duorum 185. l 30.
ἀπαίτησις ἐλέγχου 38.
ἀπόδοσις in eodem membro 196. l 4.
ἀποστροφὴ ad aduersarium 161. l 15. & 129.. l 13.
ἀπόφθεγμα Africani 114.
Arbitrium 46..
Archimedes 230..
Aretusa fons aquæ dulcis 272..
Argumentatio & epichirema plenum & inflexum 37.. l 12.

Argumentatio, Verrès inimicus, quoniam contrarias uiris bonis & mihi sententias habet: sola minor amplificata inuidiæ causa 149.
Argumentationi præmissa dubitatio 39.
Argumentatio per remotionem 7.
Argumentationi præmissa personæ uituperatio 34.
Argumentum a simili 143.l 3.
Argumentum ex coniunctis 279..l 2.
Argumenta ex consequentibus 175..& 176.l 30.
Argumentum ex consequentibus & repugnantibus. 139.l 15.
Argumentum ex contrariis affirmatiuum 98..l 19.
Argumentum ex dissimilibus 262.l 22.
Argumenta ex loco 33.l 28.& 107..l & 262.
Argumentum ex loco & tempore 34..
Argumẽta ex pari 286.l 24. & 291..l 1.& 301..et 302.
Argumentum ex tempore 39..l 21.
Argumentum informatum interrogatione 36.l 20.
Argumentum probabile tractatum separatim 34. l 5.
Aristeus inuentor olei 230.
Arrogantia 60..
Athenæ 29.
Athenio fugitiuorum dux 175..
Attentio captata 224..l 29.
Autumedon Patrocli auriga 35.
ἀξιώσεις & ἀξιώσεων comparatio 7.

B

τὸ βέλτιον 64.l 28
βασιλικήριον Syracusana curia 119.
Burrienus prætor 4..l 5.

C

C. Aquilius 301.
Cassiani Iudices 32..
Causam publicam agere difficile est 59.
Causarum fictarum remotio 42..l 22.
Censores Siculorum 135.
Cera legitima 58.
Cera infamis 58..
Ceres & Libera Siculorum Ennensis 225.
C. Flaccus Prætor in prouincia 4..
Chelidon Verris meretrix 104.
Chrysas amnis Assorinorum 222.
Cicero diligentiam subsidio comparauit 1.
Cicero Græce in Senatu Syracusano locutus est 234.
Cicero Verrem cum summa populi Ro. uoluntate accusauit 66..
Ciceronis diligentia in inquisitione Verrina 67..
Circeum poculum 63..
Cn. Dolabela 5.
Commata 99. l 30.
Communicatio cum iudicibus 72.
Commutatio uerborum 46.l 30.
Comparatio amplificatoria 226..227. 255.. 261.& 265..
Comparatio ἀξιώσεως 7.
Comparatio contrariorum 235.
Comparatio contrariorum exemplorum 150.l 1. & 212.
Comparatio contrariorum & similium: per commutationem uerborum 48..l 1.
Comparatio differentium rerum 46.. l 5. & 47.l 25.
Comparatio exemplorum 90.
Comparatio maioris atq; minoris 36..l 25.107..l 1. 124..& 178.l 3.

Comparatio similium 173..
Comparatione tractata conclusio 33.l 6.
Complexio, uide διλημμα
Comporationes Græcorum 89..
Complexio 59..l 20 & 137.l 25. 46.l 21.140.139.l 25.
Conclusio tractata comparatione 33.l 6.
Concessio, uide συγχώρησις
Confirmatio in quinta Verrina 151. l 5.
Conglobatio effectorum 200.
Congeries uide ἐπιμονή.
Contemnit oratorem aduersarium 33.l 21.
Contentio id est comparatio 36..l 15.
Contentio in qua comparantur singula singulis 42..l 14.
Contraria 136.
Contraria in rebus differentibus 113.l 1.
Contraria cõtrarijs opposita singula singulis 280.
Contraria contrarijs relata 45..l 30.& 264..l 17.bina binis 81.l 10.
Contrarij tractatio 67.l 6.
Contrariorum comparatio, singulorum cum singulis 45..l 14.46.l 1.48.l 30.& 48..l 2.
Contra testes generalis tractatio 276..
Consensio in malam partem 237.
Consequentia signa 34.l 22.
Contra scriptum 292.& 294..
Correctio post rem dictam 83.l.13. Vide ἐπανόρθωσις.
Corinthus sublata a L. Mummio 87.
Corruptoribus iudiciorum minatur 73.
Crudelis rei commemoratio 259..
Curia Syracusana βουλευτήριον appellata 119.

D

Declinatio a causa 62..l

Declinatio in narratione 126.l 10.
Declinatio in narratione, in qua irascitur: & iram excitat iudici 116.
Declinatio post narrationem magnæ rei 85..
Declinatio post rem iniquam & inuidiosam expositam, amplificandi gratia 124.
Definitionis ordo 293.
Diana Segestana 217.
διασκευὴ cum præmunitione 35.l 4.
διασκευὴ 211..241.161. l.25.
Dies & menses Græcorum cum solis lunæq; ratione congruunt 134..
Dies ἐξαιρίσιμοι 134.
Digestio 46.l 10.46..l 5.47.l 25.48.l 14.& 48..l 27.
Diligentia tempus & spacium requirit 1.
Diligentia subsidium oratorum.1.
διλημμα 59..l 20.& 137.l 25.
Dilemma interrogatione informatum 46.l 21.
Dilemma in quo in utraq; parte implicat aduersarium: sed alteram tandem asseuerat.140.
Dilemmati subiecta exclamatio 139.l 25.
διλημμα cuius pars prior approbationē habet: altera ex cõsequentibus, data ad extremū optione, asseuerationem simplicem 139.l 15.
Dissolutus 6..
Dissolutum 82..l 18.
Docilitatis exempla 82..l 6.
Dubitatio ante argumentationem 39.

E

Effectorum conglobatio 200.
εἰκὼν 85.l 5.
εἰρωνία 38..
ἔκπληξις denuntiatio 44.42.l 4.
τῶν ἐνδεόντων sed ἐλλιπομένων significatio 197.l 9.

ἐλέγχων ἀπαίτησις 276.
Eloquentia 60..
Eloquentia et gratia plurimū in ciuitate possunt 1.
Eloquentia non omnia potest 15.
ἐνδιασκευαστικά 118.l 10.161.l 25.
Enna 225.
Ennensium nemus umbilicus Siciliæ 225.
Enthymema ex contrarijs 58.l 9.& 99.l 21
Enumeratio omnium 143.l 4.
ἐπανάληψις 16.
ἐπανάληψις σαφηνίας ἕνεκα 130.. l 9.
ἐπανόρθωσις 36..l 22. 41.l 8.209.
ἐπανόρθωσις interrogatione facta 83.l 22.
ἐπένθεσις 84..
Ephimeris 10..
ἐπιμονὴ hoc est congeries 34..l 23. 42..l 19. 83..l 5.& 265.l 22.
ἐπιμονὴ interrogatione informata 109..l 25.116..l 17. & 130..l 22.
ἐπιχείρημα & argumentatio oratoria 57..l 9.
ἐπιχείρημα plenum & inflexum 37..l 12.
Equester ordo iudicijs præfectus 198.
Euerriculum 212.l 5.
Exclamationi subiecta ratio 84..
Βαιρέσιμα dies 134..
Exemplum fabulosum 208..
Exemplum adhibitum signo 32..
Exemplum interrogatione adhibita 130..l 15.
Exemplum tractatum pulchre 32..
Exempla ἀνώνυμα in comparatione maioris atq; minoris 178.l 3.
Exempla multa in uno loco congesta 64..
Exempla non quæuis idonea sunt 195.
Exemplorum comparatio 152.l 10.
Exemplum contrarium 83.l 28.

Exemplorum contrariorum comparatio 150.li.227. 228.260..l 28.& 261.l 7
Exempla comparata 195..l 19.
Exempla contraria eodem relata 29..
Expectatione suspendit attentionem iudicis 129. l 31

F

Facetiæ 62..l 21
Fictio uide τὸ πλαστὸν.

G

Galli brachati 280..l 26
Galli homines immolant 280..
Gallorum impietas 280.
Geminatio uerbi primi 124.l 24 & 124..l 6
Gorgonis os 229.
Græca sacra 227.
Græci actores 62.
Græcorum compotationes 89..l 9
Græci honorem alicui habitum in monumentis non mutant 141.
Gratia & eloquentia plurimum possunt in ciuitate 1.
Gratuitus pro eo qui gratis aliquid facit 280..l 21

H

Heraclius Hieronis filius Syracusanus damnatus a Verre 115..
Hieron charissimus rex Siciliæ 150.
Honesta noīa turpissimis reb. imponūtur 137..l 6
Hortensius διαιρετικὸς 6.
Hortensius dominus in iudicijs 58..
Hortensij actio 61..
Hostium duces uicti quomodo & quando pœnam luant 250..

I

Illusio 48.l 10
Imitatio orationis aduersarij 45.
Incisa 99.l 30
Indignatio 91..l 26
Ingenij arrogantia 60..
Inhonestarum rerum indicatio amplificationis causa 219.l 18
Inimicitiæ occultæ magis quam apertæ timendæ 273.
Interrogatio membratim continuata 113.
Interrogatio cum indignatione 99.
Interrogatio affirmandi causa 44..l 16
Interrogatio arguendi gratia 46.l 20
Interrogatione expectatio excitata 129..l 31
Inuictissimus 219.l 31
Inuidia conflata commemoratione opum 40.
Inuidiam conciliat Verri commemoratione diuitiarum & luxus 149..
Iracscitur ac minatur 73.
Ironiæ 3..7.& 124.l 24 Vide εἰρωνίαι
ἰδιωτικὴ θέσις: non nos solum sed comites etiam innocentes præstare debemus 114.
ἴδιον μιμητικῶς 10.
Iudicium 46..
Iudicium de probro 2:
Iudicia translata ad Senatorium ordinem 73.
Iudices Cassiani 32..
Iupiter imperator 230.
Ius ciuile 298..

K

κατάφορα 131.l 11 & 260..l 20
κῦνλος 124..l 14 78.l 12 219..l 28 260.l 3 & l 28 & 269.
κύνλος uitatus de industria 129.l 9

κῦνλος uitatus inflexione uerbi & ἀπροσδόκητα 177.l 6

L

Lampsacum 88..
Latona mater Apollinis & Dianæ 85.
Laudatio hominis 104.
Laus mulieris 89.
Lautumiæ Syracusanæ 249..
Lautumiæ carcer Dionysij Tyranni 295.
L. Cassius 32..
Legati nomen etiam inter hostium tela incolume 93..
Lex Acilia 81.
Lex Hieronica frumentaria 115.
Lex repetundarum 57..
Lex Rupilia Siculorum 115.
Libera eadem quæ Proserpina 225.
Locus communis de his quorum bona ex edicto possidentur 8..
λογισμοὶ 105. 115. l 24 & 117. l 4
λογισμοὶ expressi 36..l 11 67.l 23 & 71..
L. Mummius Corinthum sustulit 87.
L. Piso frugi 282.
L. Scipio Asiaticus 87.
Ludi plebeij 72.
Ludi Romani ibidem.
Ludi uictoriæ 72.
Ludi uotiui ibidem.

M

Maiorum & minorum comparatio 36.l 25. 107. l 124..178.l 3

M Iunius exercitatus patronus 1.
M. Marcellus 109..
Mandati iudicium 36..
Massilia 286..
Membratim facta oratio 127. l 6 121. & 185. l 6
Menses & dies Græcorum cum Solis lunæq; ratione congruunt 134..
Mentor artifex toreumatum 208.. l 5
Mercurius Tindaritanorum 219..
Messala 43..
Messana urbs 20. (266.. l 17
Metaphora 35. l 17 36.. l 4 39.. l 30 188. l 22 209. l 5 &
Metaphora continuata 33.. l 8
Metaphoræ significantes 166. l 14
Metuo & uereor 1..
Militaris ratio itinerum laborem maxime requirit 240..
Misericordia reo, odium aduersario conflatur 43.

N

Narbo Martius 276.
Narratio pro A. Cecinna 287..
Narratio breuis 213. l 13
Narratio breuis & simplex de condemnatione Sosippi & Epicratis fratribus 113.
Narratio simplex 89.. l 2
Narratio inuidiosa 119.
Narratio ἐγκατάσκευος 98.
Narratio tristis rei 91..
Narratio crudelis rei 259..
Narratio non propria causæ 63.. l 31
Narratio flagitiosæ rei 88..
Narratio uariorum & magnorum criminum 85.
Narratio inuidiosa & plena doloris 262.
Narratio longa, interpositis etiam maiusculis declinationibus. 115..

Narratio partitioni subiecta in quinta Verrina 150. l ultima
Narrationi rei subiecta amplificatio & confirmatio 90. l 24
Narrationi subiuncta comparatio atq; exempla uituperationis causa 87. l 2
Narrationi subiecta ironia 95.
Narrationi interposita declinatio παθητικὴ 116.
Narrationi subiecta uituperatio 91..
Narratio expectationem excitat 85. l 5
Nauiculariam facere 245.
Neapolis 228.
Nobiles in quauis re excellunt 5..
Nobiles sine iniuria potentiam leuem atq; inopē esse putant 5..
Nobilitas 2. & 41 l 28
Nobilitatis inania nomina 69.
Nominis inquisitio 10.
Nouorum hominum uirtus & industria inuidiosa 273.

O

Obsecratio 44. l 20 Vi. ἀξιώσις
Occupatio post uituperationem personæ 33 l 21
Occupatio negatione & ratione tractata 38.. l 22
Odium aduersario misericordia reo conflatur 43.
Olinthus expugnata a P. Seruilio 87.
ὁμοιώπτωτα 174.. l 5
Oratores mali 33.
ὀργίζει ἐν προοιμίῳ 76..
ὀργίζει τοὺς δικαστὰς 74.

P

Palma lemniscata 35.
παράγραμμα 265. l 2

Parentum amor 99.
Paria paribus relata 37..l 26 & 48. l 24 bina binis 36..l 9 72..l 13 & 197. l 16 terna ternis 72.l 20 109.. l 18 110. l 2 & 201..l 1 quaternis & binis 73.l 5.
Paria paribus relata non eodem modo 44.l.12.
Paria paribus non reddita 204..l 27
παρήχησις 37..l 8 78.l 10 & 129 l 9
Partitio præposita præteritione 82..
Partitio quintæ Verrinæ 150.
Peccandi consuetudo 188.
Percunctatio 72.l 26
Periodica 202..l 29 & 230.l 30
Periodica breuissima 99.l 30
Periodica μονόκωλα 77.
Periodicum bimembre 36..l 7
Periodicum bimembre redditione καθ' ὑπέρβατον longiuscula 138..l 4
Periodicum trimembre 82..l 3
Periodicum trimembre citatum 84. l 15
Periodicum septem membrorum, cum redditione breuiore quam sit propositio 55.l.1
Periodica continuata 188..l 2
Periodicum in postremo quiescens 84. l 11
Periodus bimembris 34..l 26
Periodus bimembris καθ' ὑπέρβατον 109. l 1 & 110 l 18
Periodus bimembris ἰσόκωλος 129.
Periodus bimembris ex similitudine 45.l 13
Periodus bimembris fini longiore 81.l 2
Periodus bimembris & ἐπισύναψις tertij membri 189.l 16
Periodus trimembris 76..
Periodus trimembris redditione bimembri 195.. l 10

Periodus trimembris & ἐπισύναψις bimembris 189. l 9
Periodus trimembris apta μεταποιήσει 42.l 4
Periodus trimembris in qua dubium ubi redditio 135.l 16
Periodo trimembri annexa bimembris 141. l 16
Periodus trimembris in qua medium & ἀπόδοσις est & πρότασις 188.l 10
Periodus quadrimembris 64.l 26 & 141. l 14
Periodus quadrimembris dissolutior 172..l 4
Periodus quadrimembris χιαζομένη 143. l 17
Periodus quadrimembris diuisa hyperbato 186. l 16
Periodus quadrimembris ἰσόκωλος, apta μεταποιήσει 63..l 31
Periodus quadrimembris redditione longiore 141.l 1
Periodus quadrimembris, duplici redditione, & propositione 219..l 15
Periodus ἰσοσκελὴς in qua tertium membrum longius duobus paribus 67.l 26
Perparuulus 222..l 11
Persen L. Paulus superauit 87.
Personæ laudatio 47..
Personæ uituperatio 48.136..& 166.
Petitio probationum inartificialium 38.
Philippus & Macedonia subacta a Flamminio 87.
Phrygium ferrum 33.
Piratarum latibula idoneæ ciuitates 204.
τὸ πλατὸν 35..l 11 77.l 29 & 128..l 4
τὸ πλατὸν amplificationis causa προσωποιητικὸν 271.

πνεῦμα 42..l 7 73.l 5.78.l 6 93. 112.l 2 129.l 23 237.288..
πνευματικὰ 67.l 16
πνεῦμα cum ἐπαναλήψει 241..l 12
πνεῦμα καταφορικὸν in quo ἐπιμβολαὶ 131. l 6
πνεῦμα pulchrum & rotundum 262.
πνεῦμα octo membrorum 139..l 3
Poteſtas metum parit 1..
Præmunitio ante argumentationem 34.l 2
Præteritio 34..l 23 & 36.l 12
Præteritio ex reiectione & propoſitione 82..l 6
Probri iudicium 2.
Promiſſum ac receptum 264.
Propoſitio bimembris informata dubitatione & & utrinq; confirmata 101.
Propoſitio multiplex confirmata 32..l 24
Propoſitio informata ironia & faceta 99..l 13
Proquæſtore 65.
προσαπόδοσις 37.l 11 & 38.l 23
προσαπόδοσις duorum membrorum ἀντιμεταβολικῶς 171..l 23
προσαπόδοσις trium ſed immutato ordine 47.l 17 & 47..
Proſerpinæ raptus 225.
προσωποποιία 57.l 20
P.Scipio Africanus 109..
Pugnantium comparatio 152.l 19

Q

Quæſtores quantum cuiq; prouſura deberetur reſpondebant 3..
Quintianæ orationis partitio 6.
Q. Roſcius comœdus 14.

R

Ratiocinatio rei ſimilis amplificandi gratia 211.l. 25.
Ratiocinatio amplificatoria 137.l 13.
Ratiocinatio amplificatoria: quorum etiam nunc ij quibus cauſa dicenda eſt, nomen ipſum reformidant. nam magna fuit ſeueritas: cuius ne tum quidem fuit obliterata memoria 32..l 17.
Receptum hoc eſt promiſſum 264.
Reditus ad rem in declinatione cum præmonitione inſequentium 117.
Refutatio uiolenta 64..l 28.
Remotio 47.l 15.
Remotio oratoria informata dubitatione & commemoratione 261.l. 23.
Repetitiones uerborum 78.
Repetitio uerbi primi 91.l 26. 113..l 10. 125.l 20. & 237.. 19.
Repetitio primi uerbi cum ſimiliter deſinentibus 263..
Repetitio primi uerbi, una cum geminatione 124.. l 6.
Repetitio uerbi eiuſdem in principio & medio 185.. l 21. & 195.l 9.
Repetitio eiuſdem uerbi una in principio medio & fine 94.l 10.
Repetitio continuata eiuſdem uerbi 269.279.l 23. & 95..l 1.
Repetitio poſtremorum uerborum 113. & 197. l 17.
Repetitio uerbi & diſſolutum in eadem coacerua-tione 105..l 2

Resumptio uerbi 16. & 130. l 9.
Rubrius Verris deliciæ 89.

S

Sacerdos Iouis quotannis sortito capiebatur 134..
Sapphus statua Syracusis 229..
A Scipione uictus Antiochus 87.
Scripto præposita interpretatio reprehensionis causa 115.
contra Scriptum 292. & 294..
Scripto subiecta causa & ratio aduersarij 83. l 20.
Scripto subiecta criminosa asseueratio 96.
Scripto subiecta interrogatio παθητικὴ cum indignatione 99. l 14.
Scripto subiuncta interrogatio arguendi causa 93..
Scripto subiecta ironia 83.. l 5.
Scripto subiuncta refutatio & uerborum uitu[illegible]ratio 98.
Scripto subiectum scomma & ironia 98.
Segesta 216.
Segestana Diana 217.
Senatorius ordo iudicijs præfectus 198.
Sermocinatio 192..
Seruitium, id est, manus seruorum 237.
Sex. Alphenus procurator 4..
Siciliæ laus 109..
Sicilia cella penuaria & nutrix plebis Rom. à Catone nominata 109..
Signa consequentia 34. l 22.
Signorum artifices 200..
Similia 67. l 30.
Similium comparatio. 173..

Similiter desinentia 263..
Similiter desinentia cum repetitione primi uerbi 247..
Similitudo 40. 43.. l 31. 47. & 62. l 27.
Similitudo fabulosa 265..
Similitudo amplificationis causa adhibita 204. l 23.
σκῶμμα 211. l. 13.
Sopatris causa & condemnatio 122.. & per tres sequentes paginas.
Sophocles Agrigentinus homo disertissimus 194.
σωτὴρ 139..
Statuam Mithridatis Rhodij ne belli quidem tempore sustulerunt 141.
Stesichori poëtæ statua 126.
Subitæ & inter dicendum natæ orationes 152.. 130.. l 1.
Suffigurata 35. l 25. 211.. 241. 161.
Syllana tempora 41.
Syracusæ 227.. & 109..
Syracusæ captæ à M. Marcello 87.
Syracusanorum mos in dicendis sententijs. 233.
συγχώρησις 118. l 1.

T

Tabulæ accepti 88.
Tabula cerata 58..
Temporum ratio atq; inclinatio 272..
Tenes Deus 86.
Testes suos nominat & confirmat uera esse 102.. 57.
Contra testes generalis tractatio 276..
Testis uirtutes 279.
Testem nominando laudat 113.
Testibus minatur 35.

Testimonio præmissa dubitatio & communicatio 185.l 23
Testimonio subiecta rei explicatio, interrogatio, asseueratio ex ipsa persona 185..
Testimonij refutatio 35..
Thesis 36..l 25
Thesis socium fallere turpe est 37..l 12
Thesis sortis & conditionis necessitudinem lædendam non esse 84..l 1
Thesis in exordio. Carere debet uicio, qui in alterum paratus est dicere 148.
θέσις ὑλικὴ tractata paucis, & καθ' ὑπόθεσιν probata, pecuniæ omnes positę sunt in eorum potestate qui iudicia dant 114..
Timarchides Verris in sceleribus minister 136..
Trabalis clauus 246..
Transitio 56..l 5 38..l 20 94..l 1 132..l 3
Transitio ad aliam narrationem cum excitatione attentionis 125..l 4
Transitio cum præmunitione 91.l 15
Transitio cum reiectione 84..l 23
τροχὸς 194..l 5
Tribunitia potestas 74..& ..
Tum quater repetitum 107.

V

Vacatio omnium rerum ἀτέλεια 247..
Venerei 63..
Veneris liberta Agonis 63..l 1
Venus Erycina 63..
Verba gradatim ascendentia 270..l 29
Verborum commutatio 46.l 30
Verba commutata interpretationis atq; uituperationis causa 246..l 21
Verba honesta rebus turpissimis imponuntur 137.l 6
Verbum mutatum per idem significantia 82.l 6
Verbum nouum 212.l 5
Verba propria 55..l 1 & 118.l 3
Verborum propriorum distinctio 76..l 21
Verborum propriorum notatio & inuestigatio 220..l 23
Verbi proprij & significantis inuestigatio 200.
Verba significantia 76..l 21
Verba significãtia præteritione enumerata 130.l 26
Vereor & metuo 1.
Veritas sæpe nulla re infirmari potest 15.l 6
Verrea 119.
Verres Apollinis templum in Delo spoliauit 85.
Verres mollis & effœminatus imperator 241.
Verris Apronius adiutor libidinum 152.
Verris meretrix Chelidon 104.
Verris stuprum 88..& 89.
Verres secunda actione adfuit 70..
Verris statuæ deiectæ per Siciliam 142.
Verrem Mamertini laudarunt 111.
Victoriati 279.
Vis quid sit 293..
Vituperatio personæ 68.152.l 10
Vituperatio personæ amarulenta 180..
Vituperatio personarum duarum uno in loco 38.
Vrbanitas 126..l 30 & 229..l 25
Vrbanitas allusione captata in uerbo 119.l 28
Vrbanitas in etymologia 213.l 4
Vrbanitas σκωπτικὴ 188.l 1 & 189..
Vrion Iouis imperatoris statua 230.
Vticæ uiuus combustus Adrianus 90.l 26

FINIS.

Ne te cõturbet cãdide lector signandi indicis hæc nostra ratio, notabis, hoc uno puncto. significari primam faciẽ folij: his duobus uero.. secundam.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s
t u x y z A B C D E F G H
I K L M N O P Q R.

Argentorati per Vuendelinum
Ribelium.
ANNO M. D. XL.
Mense Martio.




II e
431